




DE OPERI
SS. LEON.
ET PROSP.









XXXIX 1

in LEON. et
PROSP. ag
ANTELM.

DE VERIS OPERIBUS
SS. PP. LEONIS MAGNI
ET
PROSPERI AQUITANI
DISSERTATIONES CRITICÆ.

Quibus CAPITVLA DE GRATIA, *&c. Epistolam* AD DEMETRIADEM V. *Nec non duos* DE VOCATIONE OMNIVM GENTIVM *Libros*, LEONI *nuper adscriptos abjudicat*, *&* PROSPERO *postliminio restituit*

JOSEPHUS ANTELMIUS PRESB. ET CANONICUS FOROJULIENSIS.

Accessere, cum ipsius judicio, de celebri LEONIS *ad* Flavianum, *& aliis ad diversos, à* PROSPERO *dictatis, in causa* Eutychis, *ceterisque Epistolis: aliæ ejusdem* Dissertationes *de* LEONINIS *Sermonibus & duobus contra* Pelagianos *Rescriptis: de Chronicis* Prosperianis, *Poëtice, & reliquis ejus operibus tam genuinis, quàm dubiis, ac supposititiis.*






LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud ANTONIUM DEZALLIER, Viâ Jacobæâ, sub Signo Coronæ Aureæ.

M. DC. LXXXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.





ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

D. CAROLO LE GOUX DE LA BERCHERE

VAURENSIUM EPISCOPO ET ALBIENSIUM ARCHIPRÆSULI DESIGNATO

JOS. ANTELMIUS *Presb. & A. Canonicus Forojul.*

S. P. D.



AJORES causæ Majores judices ambiunt, ANTISTES ILLUSTRISSIME, *mosque iste qui communi omnium gentium, ætatumque propensione subortus est, hic apud Ecclesiasticos viros vim legis obtinuit. Unde non modò insolens, sed contra regulam videretur, si sacrum, maximumque negotium volvens, alii quàm Maximo Sacerdoti sisterem judicandum.*

Et aliud quidem eo majus esse non potest, quo de partus discrimine, aut subjectione agitur, quod adeoque in Lege veteri non ad Judices è Sanhedrin, *sed ad ipsum Principem devolvi necesse fuit: illud intelligo, quod Regis post omnium mortalium memoriam sapientissimi studium primò occupavit, cuncto-*

rumque linguis ac literis judicium commendandum asseruit. Verùm enim verò quam nunc controversiam sacro tribunali Tuo dirimendam offero longè gravior & intricatior est; namque Hebrææ illæ cauponariæ de sui prole corporis litem duntaxat moverunt, ego verò ingenii fœtum internoscendum objicio, quem nullus negaverit tantò difficilius esse secernere, quantò sunt nobiliora & impenetrabiliora spiritualia corporeis. Siquidem agitur de dignoscendis tribus absolutissimis Ecclesiastici Scriptoris tractatibus, quos cum Prospero Aquitano Viro Religiosissimo tribuerint canæ antiquitatis monimenta, vindicarintque omnium penè ætatum suffragia, probato vel reputato multis annorum centuriis parenti abjudicare non est veritus Autor hujus ævi non ignobilis, ut illos ipsos tanquam germanum, ac etiam primogenitum fœtum adscriberet alteri, quem Magnum quamlibet, nullus hucusque suspicatus erat hujus sobolis progenitorem. Non nescius haud dubiè versatus homo, quod cùm partus subjectionem nullo uspiam tempore præscribere Leges edixerint, nunquam præposterè suas ad vindicias proponendas & exaggerandas adventaret.

Quo facinore mihi & aliud magis fore licitum intellexi, si adversùs paucorum annorum judicium, nec plurium forsan Eruditorum consensu firmatum litem instaurarem, & exceptiones meas proferrem, quibus vicissim naturum suppositionem causatus, pro illis sartam ac tectam Antiquitatis sententiam permanere debuisse contenderem: non sic quidem ut eum vi Legum civilium persequerer, adversùs quem de subjecto partû cum non paucis conquerebar; etsi enim Imperatoriis Constitutionibus in tales capitalis Legis Corneliæ Testamentariæ pœna porrrecta fuerit, quod, inquiunt Glossatores nostri, & falsum committit, qui supponit partum: & argutè Græci vestri: δοκεῖ γάρ τὴν φύσιν αὐτὴν πλαστογράφειν: in istis nostris tamen minori licet experiri discrimine, & ubique non impunis modò sed & laudabilis ausus est, cùm ipsi non judicant decernuntque literarum studiosi, sed quæ sentiunt exponunt ab Eruditis definienda.

Quidquid alii fecerint, hoc ego sincerè nunc exequor, moxque in Prologo suas per partes satis explico. At cur Te coram, ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME tanti momenti causam agitare præduxerim, duæ præsertim res fecerunt, quarum una, Tua ex parte, ex mea, altera petita fuit. Et illa quidem perspectû facilis quæ Te respicit; namque ut Periti cujusdam judicio, non sunt felices
Quintilian. artes, quando de iis non judicant artifices, quò beatitatem illam citò consequerer, mihi illicò in Te dirigendus obtutus fuit: qui Musas ab incunabulis penè colere suetus tantis literarum omnium, doctrinarumque thesauris affatim ditaris, ut istiusmodi controversiæ, & si quæ majores aliæ, nullum perspicaciorem Te judicem sortiri possent.

Nec enim exquisitæ illius eruditionis Tuæ testes forsan vel indices præcipui sunt, aut Doctoratus laurea, quâ juvenis admodum in Sorbonicæ Facultatis venerandorum sodalium album, cum omnium plausu cooptatus es: aut illa prædives, & omnium librorum supellectili instructissima cunctisque patens Bibliotheca, quâ Pontificias ædes Tuas exornas ac consecras: aut ille tandem amor ac favor, quos in omnes Literatos amanter impendis: non illa, inquam, in Te, quod in pluribus, potiora doctrinæ tuæ sunt argumenta, sed quæ ipsam penitiùs & splendidiùs omnibus exhibent dispiciendam ac demirandam, illa illa

in primis facultas eſt, quâ ſive in privatis, ſive in publicis colloquiis; ſeu Hiſtoriæ Sacræ atque Eccleſiaſticæ varia & obſcuriora monimenta diſcutiantur: ſeu Canonum diſciplina ventiletur: ſeu SS. Patrum doctrina diſquiratur: ſeu Sacrarum linguarum nitor ac ἐνεργεία *expendantur: ſeu Theologica dogmata agitentur: ſeu de Criticis recurrat controverſia: ſeu de Aſceticis inſtauretur ſermo, ita de univerſis copiosè ſolidèque diſſeris, quaſi unius illarum Diſciplinarum attingere principatum unicè collineaſſes.*

Quæ non ſim expertus non loquor, ut cùm de meis iſtis Proſperianis *coram fortuitò diſcurrens, ſic implicatiſſima diſquiſitionum queis incumbebam capita explicabas, ut omnes meas dubitationes reſolveres, tuiſque quibuſvis reſolutionibus meam multorum quamlibet menſium diligentiam mirè præverteres. Idipſum rurſus expertæ ſunt Civitates ac Regiones quibus præfuiſti, quas paſtoralis memor ſollicitudinis aſſiduè luſtrans populos, quos exemplo mirè ſemper erudiebas, verbo etiam paſcere conſuevisti, & romphæa illa omni gladio ancipiti penetrabiliori ſemel armatus, uſque ad diviſionem ſpiritus & medullarum attingens, illos etiam ex hæreſi revertentes, & poſt reverſionem adhuc omni doctrinæ vento circumlatos, ita matris Eccleſiæ gremio infixiſti, ut hanc deinceps ſicut ancoram animæ tutam ac firmam habuerint, columnamque eam ac firmamentum veritatis pererrantibus adhuc fratribus indicarint.*

Et hujus quoque triumphi teſtis quandoque oculatus audiri poſſum, quando ſcilicet Te politicis Provinciæ noſtræ Comitiis Præſidentem inviſens, dum Te totum Regis ac Patriæ negotiis deditum omnes Ordines celebrarent, Te ipſum iſtis duntaxat commodatum animadverti: ſiquidem Eccleſiæ rebus, raro in omnem partem exemplo, tum providens, & intentus, quæ erant Pontificii muneris præcipuè curabas: ſeu, per feriatas inducias, ſuburbicarias obiturus parœcias furtim dilabebare: ſeu nobilium, pauperumque diſſidia æquo componebas affectu: ſeu Te miſerabilium perſonarum actorem: ſeu (quod de Sancto Provinciali Antiſtite celebravit tam ſanctus Collega.)

Te conſpicuis gradibus venerabilis Aræ
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtens,
Expoſitæ legis bibit auribus ut medicinam. Apoll. Sidon. *Euch. ad* Fauſt.

Sic enim quò non minùs plebeïos, quàm Proceres, ad ſuarum cultum Eccleſiarum nobiliter ſtimulares, in illis etiam inferiorum Paſtorum munia complêre non detrectans, Dominicis feſtiviſque diebus ſalutis monita familiariter quidem explanabas, ſed eâ familiaritate, quæ vel Auguſtinum, *vel* Chryſoſtomum, *vel* Leonem, *vel* Gregorium, *Paſtores ſupremos ac Sanctos aut æmulabatur ſemper, aut referebat,*

Hæc profectò doctrinam Tuam conſummatam ultro teſtantur, ſed & mores in Te caſtigatos & ſanctos ſatis oſtendunt. Et quorſum in Te tales non eſſent, qui ex aula pietatem non reportaſti modò, quam portaveras, ſed auxiſti? Ubi ſiquidem LUDOVICO MAGNO ab Eleemoſynis per multos annos cùm adfueris, Tui ſemper ſimilem & æqualem Te Regia conſpexit, quæ ſui tam diſſimiles videre ſolet. Ergò cur nunc gratiam, comitatemque Tuam prædicarem, quibus omnium animis demerendis Te natum prodis? Nec *enim*

Ruric. Lemovicen. Ep. 39. ad Victorin. Forojul.

mirum est Tua in virtute miraculum, si diligis venerantes, qui odientes amare consuevisti. *Cur vigilantissimam industriam extollerem, quæ Te nunquam esse patitur non actuosum? Cur Te aliàs aut orantem referrem, aut studentem, qui his inconcussis veluti cardinibus semper innixus fugientis vitæ rotam præcipitem, morosasque vicissitudines viriliter sustines? Cur Te* domui bene præpositum, *qui hanc ut Ecclesiam domesticam informasti religiosa Sodalitatum exercitia quotidie obeuntem, quæ, Te etiam silente, alios erudit? Cur hæc, inquam, retractarem? cùm progressibus istis, tantis initiis jam præluxisses, & in aula, quasi* in viridi, *qualis in Episcopatû, veluti* in sicco, *futurus esses ultro monstrasses.*

His itaque prætermissis ac consepultis, quæ tam interna propriaque sunt, quantùm posthac præposterum esset externam Generis Tui nobilitatem exsuscitare, Proavosque illos Tuos, Parentemve, seu Germanum, Viros utrinque spectabiles censere, quos aut Burgundiæ Duces præcipuos Aulicos ac Ministros habuerunt: aut Galliæ Reges Senatuum Principes, vel Provinciarum Procuratores, summo Reip. bono, renuntiarunt. Hæc illi aucupentur qui non in se tanta norunt unde nitescant; at Tu, PRÆSUL RELIGIOSISSIME, fulgorem stirpis, *(ut de* Antonio *nostro Lirinensi dixit* Ennodius *Ticinensis)* morum radiis obumbrasti, vincens decorem sanguinis ingenii claritate.

In vit. S. Anton.

Ibid.

Nil ergo, mirum si factus *sic* victor stemmatis Tui, *cùm in aula, tùm aliis in locis ubi fuisti, vel præfuisti, non solùm gratissimam Tui memoriam, sed etiam ardentissimum desiderium reliquisti. Testatur id Sponsa Tua prædilecta Vaurensis Ecclesia, cujus populi ne Metropolim istam Aquensem, ad enixam venerandi Cleri postulationem, administratum venires, ad quam Regiâ nominatione jam designatus eras, viis omnibus atque viribus Te suos intra fines detinere conspiraverant. Testantur hoc Provinciales illi Salyi, qui vix Tuâ semestris interstitii præsentiâ recreati, Te ab ipsis insperatò recedentem iis suspiriis gemitibusque prosecuti sunt, cujus amplius faciem non erant visuri, ut in nostri HIERONYMI GRIMALDI* Cardinalis, *Viri incomparabilis funere, non omnes omnium lachrymas profusas fuisse (quod vix credebatur) clarò constiterit. Testantur id vicissim Albienses Cives, qui diutinâ formidine consternati, ne iisdem sic commodatus, aliò nolens etiam raperere, ita, dum raptus non es, triumpharunt, ut quasi Te iteratò illis promissum ac ratum, plausu longè majori complexi sint, quàm cum Te primò semetipsis destinatum tam lætanter acceperunt: faustaque post illa secunda nuntia, dies aliquot publicis gaudiis, solemnibusque omnium Ordinum gratulationibus, quasi ex condicto, reduxerint dedicandos. Sed, ut certa fert fama, rem denuo splendidiùs testantur Vaurenses Tui, quos nuper adiens, dum, orante pro cis Capituli Decano, recrudescentem dolorem suum Tibi, ut putabant, mox amittendo coram reducerent, ingemiscentes gemebundus & ipse complexus, paternis istis affatus es verbis: EGO SUM JOSEPH FRATER VESTER, NE DUM VOS DESERUI. Sed an ista ad ornatum sermonis, vel ad mobilem & mox transiturum cordis affectum exprimendum pronuntiasti? Hæc invalescat quamlibet, pejore ætate, consuetudo, Tu veteris ævi Parentis filius haud absimilis, cum illo didicisti nescire dicere, quæ non facias. Nam & heic citò fidem Tuam liberasti & splendidè aliorum expectationem fefellisti.* Ex-

cubante *enim*, *ut* Prosperiana *tractans* Prosperianè *quandoque loquar*; pro universis membris Christi vigilantissimâ industriâ Tuâ, *quos ad tempus dereliqueras, ut Albiensibus Pastoris præsentiâ dudum destitutis opem ferres, ex iis, ad istos festinatò rediisti, inter & quos, hæc nunc scribens audio à tribus jam mensibus Te degere Parœcias Tuas sedulò lustrantem: & in difficillimis locis, in difficillima hyeme, & cum aliquot demum difficillimis Proselytis, admirabili patientia conversantem, quò eos ex hac Quadragesima, ad proximas Paschales ferias tutò perducas Sacramenti veritatem spontaneè & in sinceritatis azymis percepturos. Et horum quidem animi languores ut sanes, quoties corporis Tui valetudinem debiiitas? quoties ut à mortis faucibus errantes oves eripias, per invia & inaccessa decurrens in summa discrimina vitam adducis? quot denique labores exantlas? quot angores devoras? ut agrum Dominicum rite excolas, non ego sermone repræsentare præsumo. Et si præsumerem, non ad verba, sed ad ipsorum Vaurensium facta alios intendere provocarem, qui his Pastoralis affectus tam caris pignoribus in admirationem rapti, & ad amorem rependendum incensi, quasi Te quique finibus suis plus aliis detinere certarent, à pagis & urbibus ut abscedis, Te plebes turmatim sine commeatu per longa itinera comitantur; ut adhuc videant, & videndi copiam pro desiderii modo capiant. Nam & ista prisca fidei miracula oratio non satis assequi posset.* Prosp. Epist. ad August.

At hæc & alia forsan, vel fabulosa, vel exaggerata viderentur, nisi nunc, vel intra biennium, totâ spectante Galliâ, transacta essent; verùm quæ sic vidimus & audivimus Tuarum sunt exquisita virtutum præconia, ILLUSTRISSIME DOMINE, *quæ nobilem æmulationem excitent, & Historiæ nostræ paginas illustrent: Hæ voces quasi tubæ sunt, quæ larvatos livoris summa petentis latratus æternùm obstruant: Hæ famæ publicæ testificationes, quæ arte pigmentisque defæcatæ, omnique ævo proinde superstites nomini Tuo monumentum ære perennius consecrent. Sed & illæ tandem ipsæ partes sunt, quæ bonum & æquum decebant judicem; quandoquidem enim (quod de Romano cive dixit nobilis Historicus) id ex istis recurrat* omnibus sentiendum ac prædicandum, esse mores Tibi vigore ac lenitate mitissimos, & vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validiùs diligat, aut faciliùs sufficiat negotio; & magis quæ agenda sunt, curet, sine ulla ostentatione agendi, *nonne & propter illa stimulati fuissent alii quilibet, ut Te intricatissimæ istius controversiæ Arbitrum nuncuparent? Ergo tanto major (ut, quod mea tangit, paucis expediam) Te reverenter conveniendi me debuit incessere cupido, cui notior cum sis, vel virtutes Tuas scriptis memorare, vel eas mente recolere solatii semper plena res erit. Hæc enim denuo causa fuit, cur his tribus prioribus Dissertationibus Tibi primùm destinatis, sex alias adjungens, quæ in omnia SS.* Leonis *ac* Prosperi *opera criticas observationes explicant, eas nomini Tuo consecrare similiter affectarim, ut hoc quasi duplicato, triplicatoque pignore significarem observantiæ erga Te meæ argumenta, non casus rem fuisse, nec uspiamfuturam esse sed rationis, ac constantis voluntatis.* Vell. Pat. l. 2.

Tametsi enim à me, qui in remotioris Provinciæ remotiori plaga literas colo, Te longis nimis spatiis invida fortuna sejunxerit, malueritque nostris omnium votis invocari præsentiam Tuam, quàm nobis illam perenne bonum esse quo bearemur, de ultimis *semper* finibus, *nisi in judicem, mihi nihilosecius in Patronum nunc exqui-*

rendus fuisses, ac Mœcenatem. Siquidem ut mea in devotione, seu, ut Tu mavis, amicitia, nihil umquam humile, vel insincerum deprehendisti, quem è contra semper ingenuum, & liberiorem forsan, quàm fert ævi nostri genius, redamasti; quàm oppidò res à me aliena fuisset, si Te mox abeuntem quaquaversum spectare moratus essem? Aliorum sit Occidentem, quod aiunt, Solem non respicere, Orientem quantumlibet colere festinarint. Quòd ad me spectat, nec istis conscribetur mei studii fervor apicibus, nec Te ulteriùs celebrandi citò conquiescet in me desiderium, quando celebranda præstare non desistis. Quin me etiam ad nutum, voluntatemque Tuam, nuspiam non æquam ac rationabilem comparatum ac intentum, quò cum aliis magis agnoscas tam cordi habeo, ut me talem sponte devovere, publicèque profiteri nullus ambigam. Vale.

Fori-Julii Non. April. an.
CIↃ. IↃCↃ. LXXXVIII.



IN DISSERTATIONES CRITICAS, DE VERIS OPERIBUS SS. PP. LEONIS M. ET PROSPERI AQUITANI.

PRÆFATIO.

Præteritorum studiorum ratio retractata:



NE cui videretur insolens hominem publicam in scenam redire, suas non ex ordine, quas assumserat, partes acturum, dicenda ἐκ τοῦ προσκηνίου erit exhibendi alterius argumenti ratio. Scilicet cùm Forojuliensem Historiam quàm primum parare fidem fecissem, quando de illius Ecclesiæ *Initiis*, speciali libro, latè disserui; huic ipsi operæ perficiendæ priùs incumbere me debuisse non nemo jure censere posset, quàm ad extranea prorsus contendens, extra limen libens excurrerem. Sed hanc inordinationis suspicionem deponet quisque nunc præmonitus, me illud ipsum, quod pollicitus eram, ita præstitisse, versuræque in me susceptæ eo satis continenti labore inhæsisse, ut quodcumque ferè mearum erat partium, huic adornandæ Spartæ, aut adjecerim, aut brevi saltem adjecturus essem, cum aliis, quæ necdum promiseram, Ecclesiasticas sedium Provinciæ nostræ II. Narbonensis, nec non Monasticas illius origines illustrantibus; si tam festino gradu convenire rescirem, quos attinet huic operæ suam conferre symbolam, ut in lucem cum aliqua integritate, decoroque prodire possit. Hoc autem an citò, vel serò futurum sit, non à me, sed ab iisdem ediscendum, quorum interest Patriarum Antiquitatum, aut fatiscentia monimenta, aut alia summo labore & impensis non modicis eruderata, iis consignare tabulis, laminisque insculpere, quæ & temporis injuriam satis hucusque grassatam, & mortalium invidiam periculosius quandoque sævientem prævertant. Et his quidem sine subsidiis & quasi repagulis jejuna cùm esset Civilis & Ecclesiastica Historia, & manca rerum nostrarum notitia, conducibilius haud scio an foret, si hæc aut

nunquam, aut inopportunè accedere in fatis sit, multa per se satis stabilia, imò & splendida membratim dare, quàm omnia conjunctim aptare corpori, quod suis omnibus juncturis, & proportionibus non consurgens, nunquam nisi quid informe repræsentaret.

Et ex iisdem suggesta operæ præsentis occasio.

Quidquid sit, hæ mearum occupationum mox redditæ rationes licet mihi facilè, vel à morosioribus impetrassent, ut, interea rerum, ad alia diverterem: quam tamen nunc adeo diversam assumo tractationis materiem, meæ nihilosecius Forojuliensis historiæ partem, seu quoddam, ut ita loquar, recrementum esse, non possum non testari. Quod enim in remotissima loca tendentibus accidit, ut antequam peregrinationis terminum attingant, multas obeant terras, regionesque lustrent, è quibus opes, commodaque cuique propria, pro data occasione, referunt; ita planè mihi palæstram licet domesticam emetienti evenit, ut multorum retrò sæculorum revolvens spatia, eventuumque & vicissitudinum, quibus singula ornantur, causas & commissuras expendens, varia, exquisitaque in censum retulerim, quæ aut nobis propria, aut cum accolis communia deprehendi. Unde & epochis illis otiosiùs immorari consentaneum fuit, quas *Pelagianorum*, & *Semipelagianorum* præcipuè, dissidia magis occupabant; quòd istorum *Nostri* pars maxima fuissent.

Quanti nostra interesset verum *Capitulorum* autorem agnoscere?

Et in hoc examine profectò, cùm id penso nostro specialiter obtingere cognovissem, obortorum in regionibus nostris, & tandem consepultorum hujusmodi tumultuum narrationem, non satis hucusque dilucidatam retexere: consequens erat, ut in ea *Capitula*, quæ & *Apostolicæ Sedis autoritatum* nuncupatione notantur, inciderem. Illis enim cùm præfixa sit epistola Cælestini I. ad *Leontium* nostrum Forojuliensem, *Venerium* Massiliensem, aliosque Provinciales Episcopos nonnullos, qui viciniæ istius Ecclesiis præerant, pro reprimendis primis *Semipelagianorum* ausibus; factum illud curiosiùs inspicere, & excutere nullos magis quam nos attinebat, quibus proprium & quasi speciale devenerat. Namque totius oræ Phocensis maritimæ Massilia & Fotum-julii Metropoles tùm communiter censebantur; imo & erant (Telone nondum ex istorum Parœciis, ad novam constituendam civitatem intermediam, divulso) & in utriusque territorio florentissimum Cœnobium consistebat, in quibus Monachi omni virtutum doctrinarumque culturâ celebres alebantur, quos aut errori novissimo præluxisse, aut omnimodis favorem tum conferre dudùm fama jactaverat. *Sanvi-*

ctorinum, & *Lirinense* Monasteria, illud juxta Massiliam, hoc in Fori-julii vicinia, & sub ejus jure facilè quisquis intelligit: at non ita planè secernunt omnes, quid circa eorum Ascetarum fidem ab quibusdam temerè traductam, ab aliis citra exploratas judicii rationes defensam, præcisè statuendum sit; nisi tandem illud eliquatum maneat, ecquis Capitula nostra, Pontificiæ epistolæ subjuncta, quæ suscitatas controversias, contrariis & satis apertis definitionibus suffocant, condiderit? Hæc enim variis hucusque autoribus vindicata sunt & hanc pro suscepti negotii ratione, inquisitionem maturanti, tam mihi visa fuerant illa reliquis præponderare argumenta, quæ hoc opusculum *Prospero* Aquitano *Semipelagianorum* indefesso profligatori asserunt, ut omnibus ritè perpensis, in has ultro adductus sim transire partes, quas etiam aliquibus momentis de meo roborasse mihi videbar. *Prosper* Aquitanus pro tali universim vindicatus.

Verùm enim verò incautiùs tum incedentem monuit ex Eruditorum agmine aliquis, non amicus modò, sed amans, nec tam Lato Clavo, quàm lato illustrandæ Antiquitatis studio, aliisque commendatissimis mentis dotibus clarus, opportunèque suggessit, sententiam in quam demùm abieram, ex omnium fermè suffragiis, suo quasi pondere olim libratam, loco suo nuper penè motam fuisse, ex novissimi juxtaque sapientissimi Scriptoris animadversionibus, quæ lineamentis hactenus inobservatis, lucubrationem illam *Leonis* magni Pontificis, tum Ecclesiæ Romanæ Diaconi partum aut demonstrant, aut demonstrare videntur. Quod etsi olim advertissem, novam hanc S. Patris editionem à R. P. *Paschasio Quesnello* Congregationis Oratorii D. J. C. presbytero splendidè adornatam, in laudati amici musæo, satis festinanter ad alia utique intendens, dum evolverem, exciderat memoriâ tam copiosus labor, quem librorum meorum versura refricare non valebat; adeòque necesse fuit ut ad me inde transmitteretur opera (quod effusissimo affectû quacumque datâ occasione, fieri solet) ubi eam primùm delibaveram. Quis enim congruâ explicatione testari possit, quantùm à libris, librorumque quandoque æstimatoribus, in nostro *terrarum angulo*, longè abesse & tædii & detrimenti nobis eveniat? ubi, quod omnium miserius, *pessimos magistros nosmetipsos habere compellimur*: quis, inquam, id satis significantibus verbis enuntiaret? nisi qui illas quotidie sustinere coguntur angustias, dignas profectò, ut aïunt, propter quas *vadimonium deseratur*. Quod etsi aliàs

Cujus loco S. *Leo* M. nuper assertus, & suppositus est à P. *Quesnello*:

Hieronym. in Prol. *de Script. Eccles.*

* P. Ioh. Columby S. I. in lim. 1. tom. exp. in S. Script.

*Necessarii quondam mei τοῦ μακαρείτου exemplo, publicè conquestus sim, non potest non tam pristini angoris memoria aliquantò in transversum non agere.

Leoni itidem tribuente *Prosperianos de Vocat. Gentium* libb. nec non Epistolam ad *Demetriadem* V.

Ceterùm, cum ejus *Leoninæ* editionis copiâ, Dissertationem, quam de *Capitulorum* autore disertissimè conscripsit laudatus P. *Quesnellus*, otiosiùs legere & examinare fas fuit, cujus certè rationes primo mihi intuitu fucum fecissent, si illæ tandem uti aliorum argumenta quædam, ita omnia, meaque etiam infirmassent. At cùm ejus inter *probationes probationibus cumulatas*, longè potiora pro *Prosperi* causa militarent, magisque ac magis ex obstinatiori discussione, adversa præjudicia levia deprehenderem: ut fert hominum indoles occulta cognoscere, & nova semper indagare, vehementiùs stimulatus sum in alias Viri eruditi exercitationes excurrere, quibus alia *Prosperi*, quæ censebantur scripta in sui *Leonis* opes transtulerat, & cum *Capitulis* nostris suæ editioni præire fecerat; quæ profectò abs se illustrato Patri progeniem uti copiosiorem, ita & nobiliorem supponebant. Illi etenim splendidissimi liberi, duo erant gemmei DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM libri, aureaque AD DEMETRIADEM Virginem epistola, pro quibus itidem *Leoni* vindicandis, duas alias Dissertationes emisit, ubi quà ex indubitatis ejusdem operibus, seu Sermonibus, seu Epistolis, quà ex controversis; illis ipsis nempe de quibus agitur, inter se promiscuè collatis, aliisque exquisitis rationibus, conatur evincere, utraque ex ejusdem Scriptoris genio calamoque prodiisse.

Inquisitio, ad autorem Capitulor. secernendum, quò nos longiùs nolentes & invitos protraxerit?

Hæc quidem, magnâ licet diligentiâ tractata, multifariâ eruditione proposita & exquisitâ methodo digesta, nec tamen rem omnino probare, nec multominùs *Prosperi* fortunis præripere posse mihi videbantur, quem ei major Eruditorum, imò & sanior pars adjudicaverat, *Capitulorum Indiculum*, pro quo mihi interim negotium unicum erat. Attamen cùm & hoc ipsum ille aliorum causæ innexuisset, & iis involutissimis difficultatibus intricasset, ut peremptorium unius judicium ex connexorum definitione penderet, nec uspiam prælibatum nostrum opusculum *Prospero*, citra dubitationis scrupulos, vindicari posset, quandiù non plenè diluerentur rationes, quibus geminus *de Vocatione Gentium* jam memoratus liber, cum epistola *ad Demetriadem*, Leoninæ collectioni asserebatur; heic fateor animi pendens, & quasi *inter cæsa & porrecta*, diu in deliberando fui, ecquid tandem consilii capesserem? Enim

verò, ut minimè patiebatur instituti ratio de *Capitulis* illis, & eorum autore, ob jam allegatas rationes, silere, ita vehementer abhorrebat animus, hoc scopulosum pelagus enavigare, quo mihi illud in necessitatem vertebatur, ingratum prorsus & insperatum meo periculo regredi, & à terra, quam jam jam videbam, longiùs recedere. Sed velificari tandem persuaso id tandem, emenso cursu, seriùs innotuit, mihi omninò extra lineam, turbinum, procellarumque fortunâ, deportato, nullo idoneo medio proram rursus vertere, & eò unde solveram prosperâ navigatione remeare fas esse; seu, ut clarius loquar: laborem nostrum etsi multis compendiis) nisi Nostrorum adulatio decipiat) cumulatum, cum nullo sapore coire, aptarive his posse, quæ primò intenderam, quod, tanto processu, tam dissimilia argumento consurrexissent. Quamobrem in extraneum littus exscendere, & ibidem, quasi dato signo, delecto loco, & singulari certamine etiam impunè digladiari necesse fuit: refugiente quamlibet animo in pacifica semper proclivi, cum eo manus conserere, qui jus sibi multo sudore partum, quasi possessionem & manubias legitimâ pugnâ reportatas sic reputabat, ut & novam eis nuncupationem, in adepti dominii signum, indere duxerit; & alicubi id tandem *spondere: nihil esse, quo sua posset opinio concuti.*

Liberiori *Viri docti* assertioni pro *S. Leone*:

Diss. 2. p. 366.

Quod etsi grave fuerit à Viro sic affecto dissentire, & in tantum quidem dissentire, ut id ex adverso reclamandum videatur, *nihil esse, quo possit hæc opinio consistere*: etsi, inquam, grave illud molestumque fuerit, acerbum mihi fecit ejus conditio asserentis; quem uti famâ, nomine, & ætate, ita doctrinis, facundiâ, pietate, aliisque partibus mihi tantùm superiorem intelligebam: *quantùm lenta solent inter viburna cupressi.* Quæ tam genuina mentis, quàm oris testificatio, eam mihi erga laudatum Scriptorem reverentiam suggerebat, ut illi omnia & in omnibus, præter unam veritatem, concedere non solùm pro caritate, sed pro gloria sincerè reputarem. Si tamen & ad hanc observantiam non magis accedere, quàm recedere sit, pro vero contendere; *nisi fortè*, ut mirabiliter *S. Augustinus* epist. 19. ad *S. Hieronymum* scribit, *ille modus est, quo vitii suspicionem caveamus, si cum doctiore amico sic disputemus, ut quidquid dixerit,, necesse sit approbare, nec quærendi saltem causâ, liceat aliquantulum reluctari.* At profectò veritatis consecutione nihil antiquius cordi habere sapientes omnes, cùm pro certo esse debeat; de isto, id mihi ex ipsius aperta declara-

Quàm nostra opponatur è diametro?

Ibid. p. 381.

tione sit certissimum: dum scilicet alterius Eruditi *H. Norisii* sententiam in examen adducens, id sibi ultrò licitum & adversario non molestum, *illustrandæ veritatis gratiâ* jure persuasit. Et quonam alio P. *Quesnellus*, quàm ejus reperiendæ studio actus suas laboriosissimas disquisitiones aggressus est? quorsum tàm curiosè, & obstinatè cogniti & incogniti Autoris scripta, sensus, membra, periodos, verba, voces, syllabasque tandem versare, reversareque, rimari, expendere, & minutatim invicem conferre potuit; nisi ut hâc studiosâ versutâ, & iterato velut eliquamine, veritatem adeo sibi caram exprimeret?

Quo pacto res *Quesnello* non ingrata,

nec per nos illi injuriosa futura sit.

Et hâc certè nisi fiduciâ fretus & exemplo firmatus huic literario certamini me commisissem nunquam, in quo, si quid imprudenti dilaberetur, quod ab sincerissima observantiæ meæ professione, vel latum unguem recederet, id contentiosæ disputationis studiis affectibusque etsi remittendum, in antecessum tamen retracto & expunctum volo. Quàm enim nobis S. *Augustini* epist. eadem, notum est dictum, tam exosum est factum illud, *juvenilis* scilicet *jactantiæ, quasi nomini nostro famam, viros illustres accusando quæreremus*. Hæc contestari, hæc præfari visum est, ut edoctus quisque scriptionis occasionem & scribentis finem sciat, me neque huc gratis contentionis funem ducere voluisse, nec nisi fortuitò in hanc disputationem incidisse. De methodo nunc superest dicere, sed paucioribus.

Prior operis nostri idea.

Prima dissert. nostra 3. *Quesnellianæ*: 2. ejusd. 4. tandemque 3. respondet 2.

In ea siquidem, ut *Viri docti* hæc est operis œconomia, quà rationibus, quà styli convenientiis tria opera dubia jam memorata triplici Dissertatione *Leoni* adjudicare, ita nos prorsus & rationum momentis & styli similitudine totidem amœbæis exercitationibus, pro fortunis *Prosperi* luctabimur; sed eo ordine, quo ad illas ex occasione divertisse testati sumus. Cùm itaque pro vindicandis *Aquitano* nostro *Capitulis*, seu Apostolicæ Sedis autoritatibus, opera nostra primùm collocata sit, hæ præibunt omnibus vindiciæ. Istas excipient, quæ Epistolam *ad Demetriadem* eidem autori restituere debent; quibus duabus disquisitionibus, ad tertiam prolixiorem viam nobis fregisse arbitramur, quâ celebres illos *de Vocatione omnium Gentium* libros, nullo jure, nullâ autoritate *Leoni* tribui posse, sed verum germanumque *Prosperi* fœtum esse concludimus, & nativis illius lineamentis demonstramus.

Denique *Prosperi* lectione & locutionibus occupati, in hoc etiam examen transiliimus: utrum insignis illa S. *Leonis ad Fla-*

vianum epiſtola, in *Eutychetis* cauſâ, data (quam *Gennadius* in Catalogo ſuo, cum aliis à *Proſpero*, in eodem negotio, dictatis implicat, multis id ægrè ferentibus) ejuſdem verè genium ſtylumque redoleat? Et quæ in hoc præſtantiſſimo opuſculo lineamenta *Proſperiana* animadvertimus, hæc ſeorſim collata à nobis fuerunt.

Sed licet alia perplura inter iſtiuſmodì relectiones occurriſſent haud ſpernenda, hæc tamen fuſiùs perſequi ſicuti longius, ita & periculoſius reputantes conſultò vela contraxeramus, ut citiùs navigatione decurſâ, tutò tandem derelictum littus, & optatam ſtationem ingreſſi domeſticos lares continentiùs deinceps excoleremus. At præmaturatum otium invidit nobis Viri præcipui, ac diligentis autoritas, qui conſentaneum judicans omnium *Leonis*, *Proſperique* operum recenſionem iſtis noſtris adjicere, antiquo nos incluſit ludo, & novum onus humeris noſtris impoſuit; ad quod levandum ut novas curas aſſumere, noviſque ſtudiis incumbere, ſic & operæ aliam univerſaliorem nuncupationem indere neceſſe fuit. Et ad hanc quidem generalem inverſionem, quaſdam etiam rerum jam conſignatarum partes luxare conduxit: ſed inter productiores moras, variaſque fortunas, quæ ab primis noſtris conatibus ad iſtos poſteriores advenere, acceſſit opportunè, quod & pro occaſione monuimus, unde & membra iſta, & alia de novo implantata conjunctiùs invicem ordinari, adeoque ex dilatione compendia non mediocria referri poſſent. An illa autem & heic, & in aliis cunctis æquè retuliſſe pares fuerimus, ac ad illud ſedulò intendimus? non nobis præproperè gratulamur, tenuitatis noſtræ, etiam ante aliorum judicium, ſatis nobiſmetipſis conſcii: an ea porrò in multis ſaltem conſecuti? neque id pariter à nobis ex Prologo, ſed ab tua, Lector, aliorumque Eruditorum ſententia, poſt ipſam rerum diſcuſſionem, repetendum eſt. Nos eas, ductore Numine, jam aggredimur.

Et noviſſima ejuſdem ampliatio, atque inſcriptio.

nò ignarus, quamvis meæ tenuitatis in aliis conscius: me non sine admiratione deprehendisse *Prosperum* sibi magis in negatis illi tractatibus consentaneum & conformem esse, & pleniùs sibi in istis *Anonymis*, cum aliis tractatibus indubitatis concordare, quàm ipsimet tractatus indubitati inter se conveniant. Quod cùm summum sit & decretorium, dubiumque omne dilucidet & dirimat, gratulari meritò possum Concivi nostro, & in studiis veritatis conjunctissimo; qui, post omnium retrò sæculorum inquisitionem inutilesque conatus, legitimi tandem parentis ulnis partum restituit, quem P. *Quesnellus*, Vir alioquin eximiæ pietatis & doctrinæ suppostitii patris fortunis addixerat: tantâ, ut notavit Vir doctus, sui confidentiâ, ut quasi *primogenitum* in fronte voluminis sancti *Leonis* præposuerit. Quantus autem labor & quàm immensa opera, ad veritatem extricandam, adhiberi debuerit, etsi tabulæ toto opere mirabili arte dispositæ satis arguent; scholia illis apposita & aliæ innumeræ disquisitiones in quas delabitur Author noster, profundam & laboriosam ejus eruditionem, æquè ac omnes libri paginæ sanam fidem ipsius commendabunt. In his enim tanta fœlicitate cuncta adversarii themata semper refellit & diluit, & tantâ efficaciâ atque modestiâ nervosé & viriliter frangit; ut non modò omnes P. *Quesnelli* rationes evertat, sed objectiones, quas pro sua sententia in medium adducere & allegare deinceps posset, præscindat & præjudicet, & sic omnes vias pugnæ redintegrandæ occupet & occludat. Unde futurum speramus, ut autor, quâ modestiâ & sinceritate frontem libri adornavit, nunc ductus suam ipse sententiam, magnorum virorum exemplo, retractet, & ita partam jam famam non minuat, sed mirè adaugeat. Datum Aquis in domo nostra Priorali vigesima die Junii anni 1686.

J. CLAUD. VIANY *Prior S. Jo. Aquens. & S. Facul. Synd.*

SI ex harum lectione Dissertationum, alii ut ego convincantur, cessabit omnis investigatio, ecquis tandem autor sit trium Anonymorum tractatuum, *Capitulorum de gratia Dei*: Epistolæ *ad Demetriadem*; & librorum *de Vocatione omnium Gentium?* Nam qui hanc aggressus est *D. Josephus Antelmius* nostræ facultatis Theologicæ Doctor emeritus & S. Ecclesiæ Forojuliensis Canonicus ac perdiligens Historicus, ut evidentissimè probavit, hosce tractatus *Leoni* magno Pontifici Romano immeritò nuper adscriptos fuisse, & nunquam imposterum eidem adjudicari posse; sic in eis obliterata interdum *Prosperi* lineamenta reduxit, ut pro illius germano ac sincerissimo fœtu in futurum agnosci debeant. Nec enim, ut egregiè probat Dissertator, aliæ inter *Prosperiana*, istaque opera dissimilitudines secerni possunt, quàm eæ quas peculiaris & proprius singulis tractatibus styli character necessariò exposcit. Imò & tam genuinæ, characteristicæque, ut ait, expressiones & loquendi formulæ, ac transitiones in tabulis collectæ sunt, & ingeniosè inter se collatæ, ut major similitudo inter *Anonymi* tractatus & alios indubios *Prosperi* in illis persæpè appareat, quàm inter ipsos indubios invicem comparatos. Sed inter magnos hujus operæ, &

quidem morosæ pertinacissimæque labores, ut *Prosperi*, *Leonisque* lucubrationes variis & innumeris modis ab eruditissimo nostro Autore versatæ reversatæque sunt; ita præ aliis audiri debet in examine librorum, qui utrique sancto Patri jure, vel immeritò attribuuntur; in eo enim vera genuinaque à suppositiis maximâ judicii maturitate & felicibus signis ac indiciis discernit. At & aliæ quidem observationes eruditissimæ toto opere respersæ non modò novissimum doctissimumque *Leonis* Illustratorem, in variis ab eo, tanquam certa essent, statutis invictè confutant; sed & pleraque divinæ gratiæ arcana elucidant; ambiguis, obscurisque certam lucem affundunt, & horum temporum Historiæ monumenta egregiè illustrant; nam ubique probationes probationibus ita cumulat, ut semper consurgat, semperque sibi superior habeatur. Quare ut opus præclarissimum, in quo nihil à fidei catholicæ, aut à moribus nostris alienum deprehendimus, in lucem quàm primum prodeat, non solum optamus ex animo, sed è re litteraria esse judicamus. Datum Aquis-sextiis Kal. Decemb. 1687.

Fr. Ant. Pagy. *S. T. Doct. & Min. Prov. S. Lud. Provincial.*

Extrait du Privilege du Roi.

PAR grace & Privilege du Roi, donné à Versailles le 27. Novembre 1687. signé par le Roi en son Conseil, LE PETIT. Il est permis au Sieur ANTELMY, ancien Chanoine de l'Eglise de Frejus de faire imprimer, vendre & debiter par tel Imprimeur ou Libraire qu'il voudra choisir, un Livre iutituté *Dissertationes Criticæ de veris Operibus SS. PP. Leonis Magni, & Prosperi Aquitani, &c.* pendant le temps & espace de six années, à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer pour la premiere fois: & défenses sont faites à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer ledit Livre sous quelque pretexte que ce soit, même d'augmentation, correction, & changement quelconque, sans la permission de l'Exposant ou de ses ayans cause, à peine de deux mille livres d'amende, & autres peines portées par ledit Privilege.

Registré sur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, le 5. Decembre 1687.

Signé, J. B. COIGNARD, Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 31. Janvier 1689.

DE VERO



DE VERO AUTORE CAPITULORUM DE GRATIA DEI.

DISSERTATIO I.



UM de autore Capitulorum inquisitionem præmittere proposuerimus, illud primò memorare juvat, hoc judicium Eruditos in duas diversasque partes traxisse, quarum altera *Cælestino* Pontifici, alia *Prospero* Aquitano opus asserebat. Et inter ambas factiones lis hucusque variis contentionibus agitata, majorum tamen suffragiorum partem *Prospero* jam prærogaverat, cùm *Vir doctus* in medium prodiens, & nullius jurare in verba professus, tertiam illam sententiam protulit, quâ *S. Leonem* disceptatæ operæ artificem constituit. An ille autem plures post se duxerit, disquirere nil attinet; cùm ipsemet tam nomine suo, quàm rationibus quibus pugnat, multorum loco haberi mereatur: adeoque & tres in choros Eruditorum societas nunc divisa censeri debet. Prima itaque sententia antiquior æstimari poterit, quòd ex autoribus *Cælestino* supparibus prodierit. Secunda communior profectò est, quòd à

I. De vero Capitulorum autore sententiæ tres.

majore, maximoque numero defendatur. Tertia pro novitia audit, quia novissimè unus autor doctrinâ licèt non vulgari conspicuus, sed nullo antea suffragatore vel duce præmunitus eam proposuit & propugnavit. Sed cùm istius, & præcedentis discussio paginas nostras explere debeat, de prima paucis præfandum nobis est; à cujus quippe explicatione ad aliarum judicium paratur aditus.

II. Occasio cur *Cælestino* PP. adjudicata fuerint.

Et quidem cur illa *Cælestino* Capitula adscripta sint, nihil aliud fuisse existimatur ab Eruditis, quàm *Dionysii* cognomento *Exigui* collectio, qui cùm sexto ineunte sæculo, Pontificias constitutiones in corpus cogeret, *Cælestini* epistolæ ad Gallos Episcopos datæ, super exortis de gratia Dei, & libero arbitrio controversiis, hæc Capitula de eodem argumento tractantia, & hoc ipso tempore concinnata subjunxit: unde aliis, sed præcipuè Decretorum, Canonumque, quos vocamus compilatoribus, qui ad unum omnes ea *Cælestino* supposuerunt, facem ad lapsum prætulisse meritò creditur. Sed uno ore reclamarunt severiores moderni Critici, & tam patentia visa sunt subjectionis indicia, ut in excusis Conciliorum editionibus *Crabbi*, *Surii*, *Sixti* V. id semper in margine præmonitum sit: *hæc Capitula non esse*, vel *non videri Cælestini*. Quam & in sententiam abierunt gravissimi Theologi *Franc. Suares* prolog. 6. de gratia. c. 1. num. 11. *Jacobus Sirmondus* in editione Concilior. tom. 1. & post eum, novissimi maximique eorumdem Collectores, de re ita persuasi, ut Capitula ipsa, quæ hucusque cum epistola *Cælestini*, cohærenti serie, coaluerant, suas in naturales genuinasque sectiones diviserint: *Henricus Norisius* Augustinianus à nobis sæpè laudandus, ut de aliis ejus scholæ discipulis taceam: nec non de cæteris Historicis & Criticis, *Baronio* ad an. 431. *Gerardo Vossio* l. 1. hist. Pelag. cap. 30. &c. qui omnes uno ore id operæ *Cælestino* abjudicarunt.

III. Rationes, ob quas abjudicata, variæ & validæ.

Rationes autem ob quas ita sentire tot viri docti coacti fuerunt, hæ sequentes potissimùm hucusque allegatæ sunt. 1. Quia Capitulorum stylus planè diversus est ab eo epistolæ *Cælestini*. 2. quia formulæ, & verborum expositiones collectoris, Apostolicam sedem cum solitâ autoritate definientem non exhibent; sed privatum hominem produnt, ex ejus fortè jussu, *Magistrorum*, ut habet, sententias colligentem: quæ vel sola vox eo sensu adhibita abhorret omnino ab usu & stylo Pontificio. 3. Epistola, ut monet *Vossius*, suâ solitâ salutatione clauditur: *Deus vos incolumes custodiat* &c: adeo ut quidquid extra eam manere potest, ab ea

Vossii,

alienum censeri debeat. 4. Si eisdem Capitulis, ab alio licèt, dummodo *Cælestini* præscripto, digestis, communem cum epistola autoritatem impertire voluisset Pontifex, id in epistolâ ipsa præmonere necessarium erat, quod omnium sensus dictat, & usus inculcat. 5. Hæc potior id observandi causa premebat, quòd ex hac reticentia, major obtrectationis præbebatur ansa delatis, imò subreptionis, & obreptionis, ut jam loquimur, vitio rescriptum oppugnandi; tantum abest ut ipsa autoritatum sylloges aliquo roboris validioris præsidio penes ipsos prævaluisse crederetur. Cùm enim ex legitimo & authentico tituli, quo commendabatur, indicio destituta esse convinceretur, ex epistolæ silentio; reliquum erat ut in uno fraudulenter agere visi, in aliis, in suspicionem saltem mali doli traducerentur, quod tàm erat industriæ *Prosperi*, quàm Apostolici Præsulis sapientiæ prævertisse. 6. Suggerit opportunè *P. Quesnellus, Dionysii* codicem apertè rem demonstrare, quippe qui quoties unius Pontificis scripta, ab alterius scriptis secernere parat, decreti prioris initio, hunc semper titulum præfigit: *Incipiunt decreta N. Papæ*, quem deinceps non repetit. At in horum Capitulorum consignatione *Cælestini* nomen supprimit *Dionysius*, & hæc solùm præmittit: *Præteritorum sedis Apostolicæ Episcoporum autoritates*. In fine autem: *Expliciunt autoritates præteritorum*, &c. Quod autem utrobique prætermissa sit *Cælestini* mentio, argumentum est eundem, pro ejus operis autore à *Dionysio* creditum non fuisse. 7. Quandoquidem in recrudescentibus post *Prosperi* reditum dissidiis, neque ab illo hæc Capitula *Cælestino* asserta sunt, neque etiam de iisdem specialis mentio facta est, ut in expressiorem autoritatem assumerentur, quàm eam, quæ inerat testimoniis ibidem intextis, apertè cognovit *Prosper*, hæc ipsa nec majoris habenda, nec venditanda. 8. Contendimus etiam, quòd, si se res aliter habuisset, non satis videretur, quî *Augustini* ille intrepidus defensor, post emissam responsionem suam contra *Collatorem*, silentium sibi deinceps indicere statuisset, ut id in fine operis toties testatur; tamque impensè *Sixti* sedentis tum Præsulis opem implorasset, qui hæc omnia, quæ *per legitimos Ecclesiæ Principes componenda* avebat, hâc Capitulorum factâ connexione, probata, aut composita videbat, aut componere magis poterat. 9. Si hæc credidisset vir perspicax, quomodò ea Pontificii rescripti verba: *Augustinum sanctæ recordationis virum* &c. quibus tamen etiam impensiùs Doctoris personam, vitæque merita, quàm doctrinam ipsam commendare videri poterat Pontifex: quomodo,

Quesnelli.

Nostræ.

inquam, potuit *Prosper* hoc testimonium *inflatis tibiis*, ut aïunt, celebrare ac extollere, & ne verbum quidem, toto illo prolixo in *Cassianum* opere, in eorum Capitulorum laudem & venerationem ab omnibus habendam emittere? Quæ erant aliæ, sed validiores *Cælestini* voces, quibus Ecclesiæ autoritatem oppignerare in *Augustinianæ* doctrinæ defensionem invictissimè poterat; ex corollariis præsertim inde deductis, quæ præcedentium Pontificum mentem & definitionem clariùs exponebant. Quorsum hoc telo contradicentes omnes non transverberasset? Aut *intentionem* eorum posthac *tolerandam* contestatus, fatale sibi silentium indixisset? quæ mox etiam magis urgebimus.

H. Norisii. 10. Ex his roboratur *H. Norisii* argumentum, quod habet omnium gravissimum c. 8. August. vindic. existimat quippe, quòd *si Capita illa Cælestini essent & à Sede Apostolicâ* emanassent, non possent ab hæreseos notâ excusari magni nominis viri, Lirinenses, *Faustus*, *Vincentius*, & alii, quos in hac sententia, post hæc Capitula, perstitisse notat. Quod scimus certè non præstitum; at alii neque id præstari potuisse totis nervis contendunt, quòd in illis autoritatibus specialis fieret exceptio, de *quæstionibus profundioribus*, quas *Nostri* tuebantur & Ecclesiæ sententia canone suo non complectebatur. Hæc est saltem quorundam recentiorum defensio, pro qua, aut in quam summâ contentione digladiantur, alii aliis audentiores Theologi Scholastici, nec *nostrum tantas componere lites?* à tricis enim, quas eorum quidam carò vendunt, feliciùs expediunt nos, quas profitemur Historiæ leges; ad quarum & amussim, si id dissidii terminari posset, uti pacatiùs, ita veriùs fortè diceretur: quod cùm nullâ ex parte constet, hæc & similia, de autoritate *Cælestini*, Semipelagianis aut eorum sequacibus objecta uspiam fuisse, neque talia ab istis in adversarios reposita, & excepta, quæ nunc officiosè suggeruntur; præposterè, perperamque obtruderetur Historiæ factum, cujus nec autoritas, nec vestigium ex horum temporum monimentis, nec ex discussis rationabilis suspicio induci potest.

IV. Scriptionis Capitulorum tempus & occasio investigantur.

Hæc sunt porrò, quæ primæ sententiæ statuendæ, vel refellendæ litata sunt, quam postremam partem cur plures amplexi sint, in promptû est secernere. Ii autem omnes ad alteram accedunt, quæ *Prospero* opus adscribit, pro quo certè omnium gravissima pugnare inficiari nemo potest. Nos plura collegeramus, quæ nunc in re novâ, novo etiam ordine distribuere ratio postulat. Et primò quidem, quia de hujus scriptionis in publicum emissæ tempore, & emittendæ occasione, inter omnes convenit,

illam post *Prosperi & Hilarii*, ex Romanâ legatione in Provinciam reditum, ad cohibendos Massilienses luci datam esse, (quanquam super his varii varia referant, aut conjectent) nos *Vossio* penè assentimur lib. 1. hist. Pelag. c. 30. nec abnuimus à *Prospero* colligi potuisse Capitula, vel illorum partem, inter Romanæ commorationis spatia: quæ cùm oblata *Cælestino* fuissent, novissetque ille, hanc esse Sedis suæ doctrinam, germanasque decessorum suorum sententias, brevibus fortè glossematis explicatas, consensum præbuit, ut illis magis elucidandis ac roborandis intexerentur Conciliaria Africanorum decreta, quæ deinceps veluti germanæ Sedis Apostolicæ autoritates, datâ occasione, assumi possent. At seu quòd Romanus Pontifex, de *Nostrorum* modestia ac reverentia id æquè autumasset, eos, post receptas literas suas, Ecclesiasticæ paci & *Augustini* doctrinæ adversari destituros, seu quòd *Prosper* idipsum sensisset, neque ille collectionem expressiori Pontificii nominis autoritate roborare, nec iste quid simile poscere cogitasse credi potest. Quod si tùm concinnatum opus non fuit, opinari consequens videtur, *Prosperum* ex Romanâ civitate reducem, sentientem atque palpantem, *Cælestinianam* epistolam in alienum sensum detortam, excitatos motus non sedasse modò, sed fortè magis incendisse, de Capitulis illis colligendis cepisse consilium; quod, quia antea cum *Cælestino* id generatim approbante communicaverat, *ex Apostolicæ Sedis autoritate*, hanc operam emisisse meritò arbitrari potuit. Quæ certè ultrò admittent, qui *Prospero* potestatem Massilienses scriptis impugnandi à Pontifice indiscriminatim factam fuisse tradunt. Et *Norisius* quidem loco citato, etsi non consentiat Capitula, ex Sedis Apostolicæ præscripto, facta, probat tamen post reditum *Prosperi*, ex allegata mox occasione prodiisse; quod probabilius etiam ex eo videri potest, quia si hæc Romæ, vidente *Cælestino*, digesta fuissent, ob eam fortè rationem ejus diplomati subjecta essent, ob quam eadem colligere necessitas postea fuit.

Quidquid sit tamen, sive hæc Romæ, sive postea elucubrata fuerit opera, quia simul ac emissa est à reduce *Prospero*, Pontificis obitus contigit anno 432. non potuit collectio illa nullo tanti nominis singulari præsidio suffulta, majorem eâ autoritatem sortiri, quàm obtinebant dogmata in illis contenta: quæ tamen cùm per se validissima essent, & artificiosâ, quam excogitaverat autor, connexione, sibi invicem pondus tribuerent, causæ patrocinio sufficiens, sapienter præcavit, ista solummodo in se-

V. Cur citra expressam *Cælestini* autoritatem prodierint?

rie disputationum seorsim usurpare; nec explicationes suas, aut consectaria illis interposita, ex certo explicitoque Pontificis sensu, (quem probato satis indicio elicitum probare non poterat) sed ex suo urgere duntaxat voluit. Quæ etsi majorem omnium verisimilitudinem præferant, in decursu etiam perspectiora fient.

An à solo *Prospero*, vel ab aliis conjunctim elucubrata? inutile disquirere.

Ceterùm examinare nunc superfluum putamus, an *Prosper* solus, an *Hilario*, & sociis adjunctus hunc Indiculum autoritatum digesserit? ut putat *Vossius*, quod in plurali habeatur sermo: hanc, inquam, inquisitionem supervacaneam existimamus; quia rei parum confert, si unus, vel plures operæ incubuerint, dummodo, quod demonstrare confidimus, primæ præcipuæque ejus partes *Prosperi* peritiæ cesserint; qui uti facultate ceteris longè præstabat, ita majores ingenii, & styli sui dotes opusculo illi consignasse perhibebitur. Quod si sermo in plurium personâ exprimi visus plures item operæ σύμβολον contulisse, satis probatum argumentum appareat, responsiones ad *Vincentianas* Objectiones, hâc servatâ circunstantiâ, datas, *Prosperi* etiam sociorumque nomine scriptas asserendi recurret ratio; inde etiam robur mutuata, quòd responsa ad *Gallorum* Capitula singulari unius reponentis locutione concepta sint. Sed hæc eòdem redeunt.

VI. Prima potiorque ratio cur *Prospero* vindicari debeant.

Jam ad rationes, quæ pro nostra communique sententiâ conducant, deveniamus, & inter eas quidem hâc unâ uti minus huc usque, quod sciam, expensâ, ita magis abreptum semper fuisse fateor, ut hunc Indiculum *Prospero* præ aliis adscriberem: facilis autem & obvia illa est; quòd scilicet, si ab eo alter, opus concinnasset, ab ipso *Prospero* frequentiùs usurpatum & magnificentiùs collaudatum, dummodo Sedis Apostolicæ nomine vel autoritate, præter ejus operam, communitum. Nam si hunc *Cœlestini* partum existere cognovisset, quoties uti *Zozimum*, uti *Innocentium*, uti Africana Concilia hostibus suis opposuit, toties ipsum *Cœlestinum*, eadem efficaciâ, eodemque concentu, imò & fortiori illos opprimentem objicere res per se postulabat: & ille totus in venandis expiscandisque autoritatibus illis, quas in hoc conflictu summas etiam in adversariis esse sciebat, hanc ipsam tam spontaneè currentem non arripere non potuisset. Quod & sentire par ratio cogit, si à præcipuæ post Pontificem potestatis viro, *Leone* Diacono digestam operam existimasset: quem inter *magistros Augustini* doctrinæ patrocinantes in tanta illorum ἀπειρία censere & prædicare quid non stimulasset? aut quæ ulla satis valida temporum aut personarum ratio, quâ non facilè præva-

luisset Ecclesiæ causa tantùm ex contradicentium pervicacia, ingenio, famaque periclitans. Ideo autem de exarato à se opere illo, aut omnino tacuisse, aut cum nullo singularis laudis præconio, carptim & transeunter, præ modestia & prudentia locutus esse mihi ex hoc solo semper recurrit *Prosper*: quòd pro illius artifice cognitus, & jactatus cùm haberetur, totamque operam, seu explicationes, & illationes suas non insertis sententiis novum robur penes adversarios, sed has potiùs eisdem, si rectè deducerentur, valorem omnem asserere posse convictus esset; expeditius præstabiliusque judicavit easdem nudas autoritates, citra ullum invidiæ, vel redargutionis discrimen assumere, quàm iisdem intertexti laboris sui exquisitiorem commendationem sæpius subjungendo, aliorum linguas in se armare, publicæque, & privatæ suæ causæ dignitati detrahere.

2. Sed hæc otiosiùs retractare convenit, atque opponere, quæ *Prosper* postremò Collatorem impugnans, sub sui tractatus finem, pro tuenda magni *Augustini* doctrina præstitit. 1. enim memorat legationem à se nuper obitam. 2. consultationem benignè susceptam testatur. 3. Refert ad verbum *Augustini* commendationem à *Cælestino* in literis ad Provinciales oræ nostræ Præsules datis subjunctam, quem & *inter optimos magistros à prædecessoribus suis semper habitum* renuntiat. Quâ testificatione semel exscriptâ animos resumens, pæanaque sibi concinens *Aquitanus* in hæc erumpit: *Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra hanc sacratissimii testimonii dignitatem, audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere?* &c. At non sic terrebat adversarios tantus tubæ fragor, & illi *Augustinum* pro eximiis doctrinæ meritis reverentes semper, nihilosecius excipiebant, quòd scilicet: *quia in epistola Papæ librorum*, de Persever. & Prædestin. ac *pro quibus actum est, non erat expressus titulus, hinc eos appareret non probatos, & istam* in S. Hipponensem Episcopum *laudationem, pro anteriorum scriptorum autoritate* fuisse collatam. Quid ad ista Prosper? inardescit animis, & ex istis sensum forsan *ultra verba* (ut ait alibi) *rimari* contendens hanc commendationem ad omnes prorsus *Augustini* posteriores tractatus extendi debere pronuntiat: *Maneat planè*, inquit, *maneat ista sententia*, &c. mox: *agnoscant calumniatores superfluò se objicere, quòd in his libris non speciale, neque discretum testimonium sit perhibitum*, &c. Et post aliqua concludit tandem: *Igitur hujusmodi hominum pravitati, non tam disputationum studio, quàm autoritatum privilegio est resistendum.* Hæc & alia plura *Prosper*.

Magis roboratur & illustratur.

An hæc autem illius consequentia rectiùs deduceretur, quàm *Nostrorum* exceptio? nunc non inquirimus: isti saltem perperam deduci nuspiam credebant. Sed in his sistamus: si hæc ipsa Capitulis glossematum facta connexio, è qua omnes pendebant disputationes, *ex Apostolicæ Sedis autoritate* prodiisse, potuisset evinci, nunquam valentiori animo conclamasset *Prosper: contra hanc tubam*, &c. Hoc quidem ex parte forsan exæquatum jam reputatur, quoad *Cælestinum*, quem hujus collectionis autorem tot rationum pondus suspicari prohibet. At quis alius uspiam alicujus in Ecclesia Rom. autoritatis opusculum illud elucubrasset, quem exquisitis commendationibus non celebrasset *Aquitanus*? Et si quis alius Doctor huic stylum commodasset, nonne aliqua data esset occasio eum collaudandi, & *Magistris* illis accensendi, quorum copiâ tam laborabant rectæ doctrinæ defensorum partes? Quòd autem nihil eorum à *Prospero* præstitum vel indicatum sit, quòd hanc compilationem vel tacuerit ille, vel de ea modestè duntaxat, & transeunter locutus sit (ut probabimus) non alium ejus artificem agnovisse *Prosperum*, quàm seipsum æquè semper recidit: sapienter utique ratus eos, qui tam expressam *Cælestini* Pontificis, quam retulerat autoritatem, exceptionibus & ambiguitatibus involvebant, longè audaciùs his Capitulorum glossematis allaturos esse cavillos, si merâ illorum autoritate obstinatè decertaretur.

VII. Aliæ rationes ex variis petitæ.

3. Quas notavimus non convenire Romano Pontifici locutiones, *magistris nostris obloquuntur*, quæ nec *Leoni* primario Sedis Apostolicæ ministro congruunt, *Prosperum* magis indicant, qui ubique passim *Augustinum*: *præstantissimum patronum* suum, *specialem fidei patronum*, *doctorem*, *prædicatorem*, *præcipuum in Ecclesia virum*, & aliis similibus honoris & reverentiæ titulis decorat: *Hieronymum* autem *mundi magistrum* dicit; *Cassianum* aliquando, *veracem Magistrum*; hinc, *ministeria Magistrorum* & alibi sæpiùs hac voce ad Ecclesiæ Doctores designandos utitur. Imò & pronomen *nostris*, virum etiam arguit his conflictibus jam motis non novitium, sed longiori pugnâ nobilitatum & emeritum. Nullus autem hac ætate, præter *Prosperum*, publicam in aciem prodiisse visus est, ut *S. Augustini* doctrinam scriptorum monimentis tueretur & *Magistrorum* illorum defensionem susciperet.

Ep. ad Aur. & Ruffi. carm. de Ing. Con. Collat. &c.

4. Has Romanorum Pontificum & Conciliorum autoritates in Capitulis contentas continuò adversariis *Prosper* opponit, sive ad *Ruffinum* scribens, vivente adhuc *S. Augustino*: sive *contra Collatorem* stylum acuens: sive ad *Vincentianas* objectiones reponens:

nens: sive contra *Ingratos* speciali poëmate decertans. Quæ sententiæ in opere adversus *Cassianum* edito fusiùs adductæ, & exaggeratæ iisdem penè verbis, & ordine, quibus eas exprimunt Capitula, continuò multis jure persuaserunt, utriusque operæ unum & eundem autorem fuisse.

Norisii argumentum illustratur.

5. His omnibus addit sagax *Norisius* cap. 9. Vindic. Augustinian. *Prosperum* in eo magis autori Capitulorum concinere, quòd cap. 9. contra *Collatorem* arguat adversarios *Augustino* suisque criminantes: aliqua *justo amplius asserere*: quæ erat ipsissima querela in Capitulis exposita; quâ rursus iidem hostes *Magistris obloquebantur, quasi necessarium modum excessissent.* Quemadmodum autem, hâc objectione propalatâ, Capitulorum Collector Pontificum Rom. & Conciliorum autoritates exponit; ita prorsus, eadem refricatâ oblocutione, connexionem eorumdem decretorum retractat. Quæ certè viri docti conjecturæ novum robur adjiciunt; quandoquidem autor uterque non modò eundem finem assumit, sed iisdem mediis & ex eadem occasione, non fortuitò objectâ, per tritum jam callem rectissimo processu tendit.

VIII.
Gravior ratio ex methodo & distributi argumenti ratione Prospero familiaribus atque nativis.

6. Quàm autem in rerum circunstantiis singularibus, in propriis locutionibus, in fine & occasione propositarum defensionum, tàm apertè collucet *Prosperi* genius in collatâ Capitulorum indici formâ, servatâque œconomia; quæ tales sunt, ut in nullo, ab aliis discrepent, quas in ejus indubiis scriptis omnibus observamus. Illeic enim quæstionum summa, solerter ad certa capita contrahitur, & ex *autoritatum subditarum brevitate pendere* dicitur, omnium disputationum *connexio*. At idipsum similiter retinet *Prosper* in responsis *ad Gallos*, ubi postquam singulis Indiculi placitis, peculiaribus assertionibus replicavit, has easdem in totidem breviores sententias, sub paucorum verborum simplicitate premit. Rursus *ad excerpta Genuensium* reponens tria prima dubia, unico articulo extricat, & dilucidat; virque reperiendæ similium cohærentiæ assuetus iterum miratur resp. 7. *Cur inter obscura decerptum, quod ex cohærentibus potuerat absolvi*, &c. Et in fine opusculi iterùm queritur, de argumento, quod superiori capitulo copulari debuerat, *quia eidem causæ connexum erat*: tam altè istiusmodi *connexionum* principia ejus animo insedebant. Porrò eadem sæpè expostulat contra *Vincentianos* disputans, miraturque: *tertiò objiciendum repetiisse, quod semel dixisse suffecerat.* Sed splendidiùs etiam hæc illius consuetudo perhibetur, in libro *contra Collatorem*, ubi, postquam ejus omnes defini-

tiones variis & exquisitis argumentis diluit, easdem in fine subsumit, & contentorum in eis errorum *numerosam connexionem* propalat, *ea*, inquit, cap. 39. *breviter conjunctimque digerere necessarium, ut quæ interjectis responsionibus nostris, possunt recordationem legentium effugere, fideliùs simul recursa recolantur.*

IX. Gravissima & urgentissima, ex prætenti styli convenientiâ.

7. Maxima styli convenientia, quæ inter utraque opera mirè irradiat, non diversum, sed unicum eorum autorem fuisse manifestè clamat, & in tantum certè, ut Compilatores, aliique periti qui postremas Canonum vel Conciliorum editiones procurarunt, hâc evidenti similitudine, primo intuitu abrepti, nec alio fortè ceterarum rationum majori præmisso examine, in id datâ manu convenerint: *Capitula illa* Prosperi *esse.* Quod primum & commune omnium judicium, quo quid nescio, mentem ferit & abripit, quàm in rebus hujusmodi rectè dijudicandis & secernendis grave & peremptorium sit, omnes agnoscunt. Et ita profectò *Binius*, & qui ante illum sub *Sixto* V. editioni Conciliorum præpositi fuerant, *Cælestini* epistolæ, cui hæc subjuncta sunt Capitula, istud scholion præfixerunt: *Non videtur dubitandum quin sequentia sint* Prosperi, *tam sunt similia & stylo, & argumento ejus scriptis.*

Quo præjudicio per R. P. *Quesnellum* infuscata, seu retusa?

Sed hâc omninò ratione pugnat & adversatur nobis *P. Quesnellus* & toto pectore clamat hunc esse *Leonis* stylum, illique ex tam apertâ similitudine Capitulorum Syllogen, citra fas jusque, eripi non posse contestatur. Hinc multa pro suæ assertione sententiæ conquirit; sed quia semper gravissimum illud & obvium cuique præjudicium assensum vehementer remorabatur, quod *Prosper* similia prorsus & stylo & argumento retractasset, & quidquid est in Capitulis orationis, methodique eum ipsum continuò reclamaret: quia, inquam, hæc sæpè recurrebant, *Vir doctus*, ut uno conatû omnes illos scrupulos excuteret, præmonendum censuit, affinitatem quæ reperitur inter hæc Capitula, & caput 10. libri contra *Collatorem* ex eo solùm contigisse, *quòd Indiculus traditus* Prospero *Româ redeunti* OB EJUS OCULOS *versabatur, dùm in Galliis adversarios exagitabat: eo quippe consilio*, inquit, *datus erat, ut esset ei velut Commonitorium, ex quo quid responderet Massiliensibus autoritatem Sedis Apostolicæ opponentibus assumeret, quod & fecit.* Quæsita certè præjudicii ratio, ut aptè in antecessum depellerentur, quæcumque *Prosperi* causæ deinceps conferre potuissent: sed cujus ita fibras omnes excutiemus, ut nullâ sui parte consistere possit.

Quesn. Diss. 3. p. 105.

Et primò ne *Prosperianus* stylus nebulis illis obfuscatus appa-

Quo consilio per nos recusa & instaurata?

reat, quas ex hac sua opinatione non affundere non potuit *Vir doctus*, consilium mihi fuit S. nostri Doctoris lucubrationes eo ordine methodoque secernere, ut tabellis eam in rem dispositis, eas præfigam, quas ante Capitulorum collectionem, ab illo emissas esse compertum est; quales sunt epistola *ad Augustinum* & altera *ad Ruffinum*, quam vivente eodem S. Præsule datam esse constat, vel ex eo in quo ejus obtrectatores refellens, ait: *Cur non saltem eum aliquibus scriptis, à quo talis manat doctrina, conveniant? magnâ enim gloriâ humano generi consuluerint, si* Augustinum *ab errore revocaverint, &c.* qua clariora sunt. Harum itaque duarum epistolarum fragmenta quædam duntaxat, primæ tabularum columnæ præponam conferenda & commensuranda Capitulorum textui, quem integrum subjiciet, respondens intermedia tabella, vocesque & locutiones hinc inde similes majusculis literis distinguentur: tùm diversâ etiam scriptione annotatæ erunt, quæ pariter ex aliis posterioribus *Prosperi* libris decerptæ & tertiæ columnæ affixæ, *Anonymo* mediæ tabulæ textui convenire reperientur; ut uno tandem conspectû videat æquus Lector *Prosperum*, quæ præcipuæ sunt in Capitulis, occupasse singulares locutiones, antequam de illis condendis cogitaretur; cum ad *Augustinum* & *Ruffinum* literas dedit, quod prima columna luce clarius demonstrabit. Et ex hoc priori judicio, aliud ferre in promptû erit, si videlicet *Prosper* contra *Cassianum*, *Vincentium*, *Gallos* & alios stylum exerens, in horum potius Capitulorum, quæ *ob oculos* habebat, ut conjectat *Quesnellus*, seriem, sensus & elocutiones intenderit, quàm in illam rationum & sermonis contexturam, à se longè antea in memoratis epistolis præoccupatam: ubi, quod monitum est, tam frequentes sunt singulariores voces & formulæ in Capitulis adhibitæ, ut id pene credendum induceretur, quòd si ea alter à *Prospero* digerere potuit, non ita id operæ præstare fas illi fuit, quin ad hæc prævia *Aquitani* nostri scripta mentem converterit. Namque quia hæc sola revincendæ adversæ opinationi sufficiunt, ultra verum forte supponimus, has duntaxat Capitulorum Indiculo præivisse lucubrationes. Quanquam vix credibile sit virum per omnia doctum, & pium nullum ex adducendis opusculis suis emisisse, antequam has daret ad *Augustinum* & *Ruffinum* epistolas. Hoc itaque, ne contentiosum funem ducamus, gratis ultrò concedimus, quin tamen formido subeat opus in lite positum *Prosperi* fortunis eripi posse, quandiù antiquam ejus possessionem tuebitur, vallabitque murus hic & antemurale.

XI. Conspectus I. tabulæ proœmium exhibens, ac conferens, cum aliis operibus *Prosperi*.

Priorum operum Prosperi *fragmenta.*

1. In istis Pelagianæ PRAVITATIS reliquiis. Ep. ad *Aug.*
1. Igitur hujusmodi hominum *pravitati.* sub fin. lib. con. *Coll.* Et quæ per paucorum superbiam & quorumdam *imperitiam*, *ibid.*
1. Et in his quæ abdicata sunt *immorantes.* Resp. ad Dub. 3. *Gen.*

Proëmium Capitulorum.

1. Quia nonnulli qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus, seu PRAVITATE, seu *imperitiâ demorantes* piissimis disputatoribus obviare præsumunt, &c.

2. Quo tibi magis pateat falsitas OBLOQUENTIUM Ep. ad *Ruff.* init. Et non longè post: Augustino QUIDAM nostrorum occultis, susurrationibus OBLOQUUNTUR.
2. Qui sincerissimis gratiæ defensoribus *obloquuntur.* con. *Coll.* c. 39.
2. Malignitas *obloquentium*, ad *Gen.* in fin.
2. Ecclesiasticam regulam non *excederet &* c. *Coll.* c. 15. Erravit *sacrosancta beati Petri Sedes. ibid.* c. 10. Item Innocentius *Petri Sede* dignissimus. *ibid.*

2. Et cùm Pelagium, atque Cælestium anathematisare non dubitent, Magistris tamen nostris quasi necessarium modum *excesserint*, OBLOQUUNTUR, eaque tantummodo sequi & probare profitentur, quæ sacratissima *beati* Apostoli *Petri Sedes* contra inimicos gratiæ Dei, per ministerium præsulum suorum sanxit & docuit:

3. Has autem versutias..cum & Orientalium Episcoporum judicia, & Apostolicæ Sedis autoritas, & AFRICANORUM CONCILIORUM vigilantia deprehenderit. Ep. ad *Ruffin.*
3. Quando *Africanorum Conciliorum* decretis beatæ recordationis Papa Zozimus senten-

3. *Necessarium* fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Ecclesiæ, de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicarint, & contra nocentissimos liberi arbitrii defensores, quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint; ita ut etiam AFRICANORUM CON-

Posteriorum operum Prosperi *excerpta ex Proëmiis.*

1. Quidam Christianæ ac fraternæ charitatis obliti in tantum existimationem nostram quoquomodo student lædere, ut suam... Ex proëm. ad object. *Vincent.*

1. Doctrinam quam sanctæ memoriæ Augustinus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi & liberi arbitrii, quibusdam visum est, aut intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendere, &c. Ex proëm. ad object. *Gallor.*

1. Gratiam Dei qua Christiani sumus quidam dicere audent à S. M. Augustino non rectè esse defensam, librosque ejus contra errorem Pelagianum conditos immoderatis calumniis impetere non quiescunt .... Ex proëm. contra *Collat.* & ita *deinceps in serie, eodem operum & membrorum ordine.*

2. Contexunt enim & qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quar.. ..

2. Et hoc quasi compendium cognitionis, his qui judicio eorum ducebantur afferre, ut quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse jactabant.....

2. Siquidem habentes speciem pietatis in studio, cujus virtutem diffitentur in sensu, trahunt ad se multos ineruditos... atque in eum statum deducere causam Ecclesiæ moliuntur, ut dum nostros affirmant non veraciter.....

3. Unde ne ejus querelæ inveniretur occasio, *necessarium* conveniensque credidimus.

3. *Quod heic deberet respondere membrum, implexum est alteri ejusdem opusculi, quod adeoque suo loco integrum inferiùs reddere, quàm non satis aptè divisum heic illigare duximus.*

tiæ ſuæ robur adnexuit. c. *Coll.* c. 4.

3. Ejus oblatio non fit ſine illa confeſſione, quam Chriſtus *ſuam fecit.* Exp. *Pſal.* 140. v. 2.

Item: *fecit.* eum *ſuum*, ut multiplicaretur. *Pſal.* 106. v. ult.

Item: Deus participando naturam *ſuam fecit. Pſal.* 118. v. 63.

CILIORUM quaſdam ſententias jungeremus, quas utique *ſuas fecerunt* Apoſtolici Antiſtites, dum illas comprobarunt.

4. Diabolico continentur *Indiculo.* Proëm. cont. *Vinc.*

4. Brevium Capitulorum *indiculis* prædicarint. Proëm. contr. *Gall.*

4. In paucorum *brevitate* verborum, impietatum numeroſa *connexio.* c. *Coll.* c. 24.

4. Hi quorum CONTRADICTIONE offendimur. Ep. ad *Aug.*

4. Hæc quid *contradictionis* incurrunt? Reſ. ad Dub. 4. *Genuen.*

4. Ut ergo plenius, qui in aliquo dubitant, inſtruantur, conſtitutiones Sanctorum Patrum compendioſo manifeſtamus *indiculo*; quo ſiquis non nimium eſt contentioſus agnoſcat, omniũ diſputationum *connexionem*, ex hac ſubditarum autoritatum *brevitate* pendere, nullamque ſibi CONTRADICTIONIS ſupereſſe rationem, ſi cum Catholicis credat & dicat.

XII. Obſervationes in textum 1. & 2. columnæ.

Etſi proëmium iſtud quid ab ipſis Capitulis extraneum quadantenus cenſeri poſſit (in quantùm utique dogmata in eo non recenſentur) ut nil mirum eſſet, ſi alibi his ſolum intentus *Proſper* præambulas iſtas locutiones neutiquam occupaſſet, in literis ſaltem ad *Ruffinum* & *Auguſtinum* datis: attamen & in ipſis, tam propriæ & ſingulares locutiones eidem excidiſſe notatæ ſunt, mox in Capitulis adhibitæ, ut ſobria licet loquela *Proſperum* & heic omni ex parte manifeſtum faciat. Ac primùm quia in memorato proëmio *pravitas* & *imperitia* adverſariis exprobrantur, à *Proſpero* deinceps toties oppoſitæ; idem, in anteceſſum tamen, *Auguſtinum* alloquens *Pelagianæ pravitatis reliquias* cognoverat: tum in iiſdem tarditatem, quæ *imperitiam* arguit: hinc de Noſtrorum *contradictione* ſæpius conqueritur, adeo ut illi ipſi indigitari videantur, quibus *nullam contradictionis ſupereſſe rationem* oſtendere conatur, qui in præfatione loquitur. Iſte autem cùm etiam cauſetur Maſſilienſes *Magiſtris obloqui: Magiſtris tamen noſtris obloquuntur*; notabile eſt locutionem illam adeo frequentem & familiarem eſſe *Proſpero*, ad obtrectatorum illorum conſuetudinem deſcribendam, ut aliâ nunquam utatur. Unde ad *Ruffinum*, iteratò eandem uſurpat: *quo tibi magis appareat falſitas obloquentium*, & poſtea

Quot quantiſque modis ſibi invicem ſcripta concinunt.

3. Non ergo negligendum eſt hoc malum, quod ab occultis praviſque ſeminibus augetur quotidie, & ab ortu ſuo longiùs latiùſque diſtenditur, ſed ſtudendum eſt, ut fallaciam....

4. Propoſitis igitur ſingillatim ſexdecim Capitulis, ſub unoquoque eorum ſenſus noſtri & fidei, quam defendimus, verba ponemus, ut qui paululum ſe ad hæc legenda dignati fuerint occupare evidenter agnoſcant nullum.....

4. Ne ergo hanc perſuaſionem temerè quis recipiat, & talem putet ſenſum qualem, &c. brevi & abſoluta profeſſione reſpondeo, in nullo recedens à tramite earum definitionum,.... ut vel tenuis diligentiæ advertat inſpector.

4. *Neceſſarium* exiſtimo, ea quæ oſtendimus Catholicæ non congruere veritati, breviter conjunctimque digerere, ut, quæ interjectis reſponſionibus poſſunt recordationem legentium effugere, fideliùs ſimul recurſa recolantur.

XIII. Obſervationes in textum 3. columnæ Proœmium Capitulor. triplici *Proſperiano*, verbis, ſenſibus, ſtylo, membrorum ordine numeroque mirè commenſuratum.

Huic tertio laterculo plura ſubjecimus examine & obſervatione digniſſima: & quidem intermediæ præfationi tres alias à *Proſpero* tribus variis opuſculis præfixas oppoſuimus, eo ordine, ut primum cujuſque membrum reſponderet primo membro præfationis Capitulorum: ſecundum ſecundo & ſic deinceps. Horum autem conſpectui ſi tantillùm immoretur Lector, continuò animadvertet eandem eſſe quatuor illarum præfationum contexturam, tùm in ſenſu, tùm in membris orationis, tùm in vocum ſimilium frequenti uſurpatione, ſicque in ſingulis partibus, exordio, medio & fine invicem referri & cohærere; ut neceſſariò conſequens videatur, vel *Proſperum* ad ejus exemplar controverſæ præfationis, tres ſuas contra *Vincentium*, *Gallos* & *Caſſianum* heic adductas digeſſiſſe, ſuaſque illi commenſuraſſe periodos, vel iſtis è contra Capitulorum artificem. Sed hæc aliis omnibus prævivere: &, ipſo *Queſnelli* judicio, major erat *Aquitani* peritia, quàm ut tales in ſpecies, formulaſque ſcribens intenderet; adeoque uti breviùs, ita veriùs pronuntiabitur, hæc quatuor operum initia ex una eademque opificis officinâ prodiiſſe. Nam ita membra quælibet ſponte cadunt, ita ſenſus in eundem finem collineant, ut citra ullam penè eorum obſcuritatem, vel ſubverſionem, unum in aliud viciſſim transferri poſſet. Etenim autor utrobique quatuor in partes orationem diſtribuit, eodemque prorſus ordine contextûque: in 1. operæ occaſionem edocet. In 2. λῆμμα, ſeu negotii ſtatum exponit. In 3. prævertendi periculi neceſſitatem & quâ ratione rem aggrediatur commemorat. In 4. denique compendia inde ſecutura perſtringit.

eodem, quo in Capitulis, contextû: *occultis sed non ignotis susurrationibus obloquuntur.* quod & alibi similiter expressisse notatum est: *sincerissimis gratiæ Dei defensoribus obloquuntur.* Hi autem, quinam alii sunt, quæso, quàm ii de quibus initio proëmii Capit. dictum est: *piissimis disputatoribus obviare presumunt*? Sed ille ut Semipelagianos qui in *hæreticorum sensibus demorabantur* revincere proponit, *autoritate Sedis* Petri, *ejusque Præsulum, nec non Africanorum Conciliorum sententiis*: ita omnino *Noster*, hæc omnia prævalidæ defensionis arma nuper adhibuerat, dùm ad *Ruffinum* iisdem penè verbis sic loquitur: *Has autem versutias, Orientalium Episcoporum judicia, & Apostolicæ Sedis autoritas & Africanorum Conciliorum vigilantia deprehendit.* Quæ invictissimè probant autoritates in Capitulis contentas, ex his sententiis penitùs conflatas, nec obscuras, nec extraneas *Prospero* ex tunc fuisse, ut ad id operæ necesse illi fuerit vel Romam abire, multòque minus *Leonis* industriam ad earum collectionem expetere. Quod argumentum denuò assumendum, heic tantùm ex occasione prælibavimus.

Aliæ singulares voces & locutiones utrinque similes expenduntur.

Jam si voces expendendæ forent, id primùm occurreret Massilienses in his quatuor opusculis simili semper locutione designatos: uti enim Capitula: NONNULLI, *qui Catholico nomine gloriantur*, &c. ita *Prosper* contra *Vincentium* QUIDAM *Christianæ charitatis obliti*, &c. contra *Gallos* autem: *doctrinam quam contra inimicos gratiæ* QUIBUSDAM, *visum est*, &c. Denique *Cassianum* refellens: *gratiam Dei, quâ christiani sumus* QUIDAM *dicere audent.* Ita similiter epistola ad *Demetriadem* de iisdem sermonem texens habet: *quam superbæ prædicationis partem* QUIDAM *servaverunt.* Ex quibus evidens est eosdem Semipelagianos, per hanc indeterminatam vagamque vocem: *quidam*, Et, *nonnulli*, utrobique indicari: quod mihi magis etiam notandum videtur, quàm aliæ quantumvis singulares locutiones *Prospero* usitatæ, ut illæ: Ecclesiasticam regulam non *excederet*: quæ isti conformatur: tanquam necessarium modum *excesserint.* Item & hæc *Aquitano* nostro tam familiaris: *suam facere*, confessio quam Christus *suam fecit*,: Deus participando naturam *suam fecit*, & aliæ similes ad marginem annotatæ, quæ tam sincerè ejus similitudinem referunt, quâ Capitulorum autor dicit: sententias quas *suas fecerunt* antistites, cum probarunt. Adeo perinde insignis illa est: *diabolico continentur Indiculo*. ita in Capitulis enuntiata: *compendioso manifestamus Indiculo*, &c. quibus subjungens Collector: *disputationum connexionem ex subditarum autoritatum brevitate pendere*: habet iterum *Nostrum* concinentem: *in paucorum brevitate verborum, impietatum numerosa connexio.* Alia multa prætermittimus facilè ex prioris conspectû laterculi conferenda, cuique præter consuetudinem deinceps observandam, hæc ex posterioribus licet operibus *Prosperi* attexere necessitas fuit, ne tertius textû præfationum satis occupatus ex aliis adjunctis intricaretur.

Præpostera nec inopportuna observatio.

Sed nec nisi majori cum incommodo potuissent operæ proëmiorum omnium textus duabus, quod primò sperabamus, aptare paginis, in quibus observandas etiam unico conspectû pollicebamur adeo operosè consignatas styli conformitates: sed quod una non exhibet tabula, non inconcinnè supplet altera,

ut

ut & in decursu retinendum serò advertimus. Ne porro & vacua omnino remaneret; quæ prior occurrit pagina, quid argumento consentaneum illi superscribendi studium incessit. Utque jam subierat mentem dubitatio Capitulis *Prosperum* aliquâ lucubratione prælusisse, unam vel alteram saltem ex iis, quas strictâ oratione digessit, hoc charactere probabiliùs venire signandam, ex hoc præjudicio facile censuimus: quod cùm lusus illi poëtici juvenilibus animis longè magis congruant, quàm ætate maturis, *Aquitani* nostri facultatem tum procliviùs excitare atque exercere potuerint, antequam à *Nostratibus* lacessitus, cum eisdem nervosè & aperto marte conflixisset. Unde aliquâ poëseos ejus parte relecta, vel in memoriam reductâ, hos potissimum c. 3. *de Ingrat.* versus certò rem inducere posse penè persuasi fuimus, dum videlicet canit:

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium cui dux Aurelius *ingeniumque*
Augustinus *erat? quem* Christi *gratia cornu*
Uberiore rigans nostro lumen dedit ævo
Accensum vero de lumine: nam cibus illi
Et vita & requies DEUS EST; *omnisque voluptas*
Unus amor CHRISTI EST, *unus* CHRISTI EST *honor illi:*
Et dum nulla sibi tribuit bona, FIT DEUS *illi*
Omnia, & in sancto REGNAT *sapientia templo.*

Ita *Prosper*, in quibus Magistrum optimum tanquam superstitem continenti celebrat elogio: quo modo sanè de aliis Episcopis, aut viris in hac causa præcipuis & fato jam functis ibidem non loquitur.

Quod si ita est, quantas Deus bone! quantas aut consepelisse, aut postposuisse fatale fuit splendidissimas similitudinum jam occupatarum lineas, quæ *Quesnelli* conjecturarum jejunitatem magis ac magis manifestassent, & ab ipso convicissent aditû, nil pensi fuisse *Prospero* deinceps scribenti, ut OB OCULOS haberet jactatum *Leonis* Indiculum, quandoquidem, ante illum confectum, cum inditis illi formulis ac locutionibus tam ingeniosè luserat. Sed nec deerunt in serie insignes istiusmodi species, quæ in tertio licet laterculo dispositæ, ex hac licet præpostera monitione, suam omnem themati claritatem refundent: quò nunc regredi locus postulat.

C

XIV. Conspectus 2. tabulæ autoritatum cap. 2. exibens & comparans, &c.

Priorum Prosperi *operum excerpta.*

1. IN PRÆVARICATIONE ADÆ OMNIBUS *prostratis*, nisi quosdam assumeret misericors gratia.... *Item*: cum ergo totam justitiam hominis ex naturali vellent rectitudine ac POSSIBILITATE consistere.... *tum*: ut PER LIBERUM ARBITRIUM POSSET assequi Dei regnum. ex Ep. ad *Ruffin. initio*, & circa *med.* OMNEM HOMINEM Adam peccante peccasse, & NEMINEM per opera sua. ex Ep. ad *Aug.* initio. NEMO NISI per gratiam justificatur, & nemo nisi IN PRÆVARICATIONE nascatur. *ibid.*

Primum Capitulum.

1. IN PRÆVARICATIONE ADÆ OMNES homines naturalem POSSIBILITATEM, & innocentiam perdidisse, & *neminem* de *profundo* illius *ruinæ* PER LIBERUM ARBITRIUM POSSE *consurgere*, *nisi* eum gratia Dei miserentis erexerit, pronuntiante beatæ memoriæ Papa Innocentio, atque dicente in epistola ad Carthaginiense Concilium: libero enim arbitrio olim ille...

XV. Observationes in textum 1. & 2. col.

Heic ne una fortè vocula est ab autore Capitulorum usurpata, quæ non his in schematis per totum assumpta resumptaque fuerit à *Prospero*, idem prorsus argumentum excutiente. Imò & illud opportunè ad omnes præjudicii offucias depellendas, contigit, ut magis singulares & significantiores locutiones ab *Aquitano* nostro continenter occupatæ fuerint in memoratis ad *Augustinum* & *Ruffinum* epistolis, ex quibus habemus: *naturalis possibilitas* & rectitudo: tum hæc initii Capitulorum pene integra repetitio: *omnibus in prævaricatione Adæ prostratis*, quæ postrema vox propriè opponitur isti: *consurgere*, illeic appositæ, unde habet: *consurgere per liberum arbitrium*, *nisi eum*, &c. *Noster* autem: *per liberum arbitrium assequi Dei regnum.* tùm: *gratia Dei miserentis*: *Prosper* autem: *misericors Dei gratia.* Quæ omnia ex solo *ad Ruffinum* epistolæ fragmento deprompta sunt: alias voces supplet, aut repetit alterum ex epistola ad *Augustinum*; quæ simul junctæ penè explent retractantque quæcumque relatam Capituli seriem conficiunt. Sed si penitiùs inspiciendus etiam est orationis contextus: si ipsa partium commissura expendenda, in his pauculis dictionibus unius *Prosperianæ* epistolæ; majoris similitudinis lineamenta advertentur, nam primum utriusque operæ membrum eodem flexu tendit: adjectiva substantivis semper præponuntur; sed & in aliis particulis: *nisi*, & *per*: tùm hâc voce: *nemo*, quæ toties adhibentur & iterantur, idem styli character magis ac magis elucescit.

Posteriorum Prosperi *operum excerpta.*

1. *in Adam omnium hominum* corrupta natura est. Resp. ad 1. object. *Vincent. Neminem* Deus boni *possibilitate* dispoliat. Resp. ad 15. causas *ruinarum.* ad 13.

2. Ex primi patris *prævaritatione* venerunt, de cujus pœna *nemo* liberatur, *nisi* per gratiam.... Resp. ad object. 1. *Gallor:* priusquam à dominatione diaboli per *Dei gratiam* liberetur, in illo *profundo* jacet, in quod se sua libertate demersit. Resp. ad 6. *Gall.*

3. Totus homo ex ipsa & cum ipsa in *profundum* miseriæ decidit. con. *Coll.* cap. 8. natura humana in illa universalis *prævaricationis ruina*... in quam *profundum* malum totius generis humana natura demersa sit, *in* illius *prævaricatione*... in quo quidquid ille perdidit perdiderunt. *ibid.* cap. 8. hanc autem *possibilitatem* in omnibus esse naturalem. c. 40.

4. Magno peccato periit *Adam* & in illo *omnes* perierunt. Resp. ad dub. 6. *Genuen.* item resp. 1. &c.

5. De *profundo* laboris exire... ex epigraphe *epigrammatis* 30.

6. Arbitrium nunquam *consurgere* posse. de *Ing.* c. 22. deperiit nec habet quisquam quo *surgere* possit. Ad vitam, sacro *nisi* rursum nascitur ortû *ibid.* c. 25. quanto natura *profundo* immersa... quantæ mole oppressa *ruinæ. ibid.* c. 43.

7. *De profundo* cordis humani. ex *Psal.* 106. *de profundo* tentationis exitur. ex *Psal.* 120. è quibus longe plura seligere ad manum erat.

Quas huic tertiæ columnæ alias præfigamus observationes non paucas nemo non videt, & quidem tot similium locutionum membra ex septem diversis operibus *Prosperi* defrustavimus, ne in uno vel altero selecta, fortuitò posita esse dubitarentur. Sed cum de eodem argumento tractanti continuò undequaque similes occurrunt loquendi formulæ, certum indicium profectò est eas autori familiares & connaturales esse. Et quàm longè plures enim adduci potuissent? In istis autem nunc consignatis semper recidunt jam annotatæ voces: *nisi*, *per*, *nemo*, &c. *neminem* Deus dispoliat: *per Dei gratiam*, atque: *nisi per gratiam nemo* liberatur. Tum ad illud 1. Capituli nostri: *in prævaricatione Adæ omnes homines*, &c. hæc continuò alludunt: *omnium hominum corrupta natura: periit Adam & omnes perierunt.* Item: *ex primi patris prævaricatione.* At quod singularius est membrum Capituli: *de profundo illius ruinæ neminem posse consurgere*, sic plena manu ex schematis nostris redditur: *in illo* PROFUNDO *jacet: in* PROFUNDUM *miseriæ decidit: in illa ruina: in quàm* PROFUNDUM *malum demersa sit.* Hinc etiam poëtico stylo: arbitrium nunquam *consurgere posse.* nec non: *Quanto natura* PROFUNDO *immersa*, atque: *mole ruinæ*: iterumque aliter: *de multis* PROFUNDIS *humanarum miseriarum.* Quæ singula genuinis sincerissimisque lineamentis utrinque *Prosperi* stylum referunt, qui quidem cùm primi hominis, lapsum, non nisi per *ruinæ* miseriæque *profundum* seu *profunda* concipere atque exprimere soleret; ita non nisi ille hanc tam selectam locutionem occupare potuisse sponte suggeritur, quâ: *neminem* de PROFUNDO *illius ruinæ consurgere posse*, &c. pronuntiavit. Omitto alia plurima, &c.

XVI. Observationes in textum 3. col.

XVII. Conspectus 3. tabulæ capita 4. exhibens & comparans, &c.

Priorum operum Prosperi *exerpta.*	*Capitulorum* IV. *series.*
1. Si ignorabiliter malus receptionem boni, non à summo bono, sed à SEMETIPSO, inchoare, malè dicitur. ex Ep. ad *Aug.* non longè à fine mox: nihil fit boni, quod in nostram PARTICIPATIONEM non, Deo autore, defluxerit.	1. Neminem esse PERSEMETIPSUM bonum, nisi PARTICIPATIONE sui ille donet, qui solus est bonus: quod in eisdem....,
2. Si divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur quia voluit, non ideo quia adjuvatur ut velit: *ibid.* Et *paulò post*: sub ipso gratiæ ADIUTORIO.	2. Neminem etiam baptismatis gratiâ renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum ADIUTORIUM Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Quod ejusdē antistitis....
3. Ut monstraretur LIBERUM ARBITRIUM nihil posse sine gratiâ. ex Ep. ad *Ruffin.*	3. Quòd nemo nisi per Christū LIBERO benè utatur ARBITRIO, idem magister in....,
4. Sed refugiunt istud fateri, divinoque adscribere operi SANCTORUM MERITA formidant, quia nemo nisi per gratiam justificatur..... Si ALIUNDE Deo PLACETUR, NISI EX EO, QUOD IPSE DONAVERIT. ex Ep. ad *Aug.* ut supra.	4. Quòd *omnia* studia, & omnia opera, ac MERITA SANCTORUM *ad Dei gloriam laudemque referenda* sunt, QUIA NEMO ALIUNDE ei PLACET, NISI EX EO, QUOD IPSE DONAVERIT. In quam sententiam dirigit *beatæ recordationis Papæ Zozimi regularis* autoritas, cum scribens ad totius orbis Episcopos, &c.
5. Cura SINCERISSIMÆ caritatis. ex Ep. ad *Ruffin.* item. plenissima veritate, tum: patentissima veritate. *ibid.*	5. Hunc autem sermonem SINCERISSIMÆ *veritatis luce* radiantem, &c,

Observantiuncula.

Quandoquidem quæ Capitulis nostris præivere Prosperi *lucubrationes in adversa pagina consignatæ, eorum tam manifestè locutiones occupant, nil causæ est, cur alias ex posterioribus ejusdem scriptis accersere satagamus; quæ forsan vel tam expressæ, vel tam frequentes alibi non reperirentur*

Posteriorum operum Prosperi *excerpta.*

4. Ut *omnia* bona *ad Dei gloriam laudemque referantur. Psal.* 105. expos. v. *ut lauderis.* item : in *Dei laudem & gloriam* omnis Sanctorum beatitudo refertur. v. ult. *Psal.* 110. item : *omnia ad laudem Dei referam. Psal.* 103. Et : nec aliud invenit ut retribuat *nisi quod* Deus *ipse donaverit. Psal.* 115. v. 3.

4. *Beatæ recordationis Papa Zozimus* sententiæ suæ robur adnexuit, &c. c. *Coll.* c. 41.

Et ubi est quod *regulari* definitione præmissum est. *ibid.* c. 8. *regulari* sententiâ pronunciat, &c.

5. Relicta *Serenissimæ veritatis luce*: contra *Collator.* c. 4. perspicuæ *sincerissimæ* quæ sententiæ *ibid.* Tùm : *sincerissimè* credendum est. Resp. ad object. 2. *Vincent.*

XVIII. Animadversiones omnium validissimæ ex collatione textus 1. columnæ.

Capita quatuor connexuimus, tum quia breviora sunt, tùm quia invicem conjuncta quasi per gradus ad veri autoris notitiam certò manuducunt: sunt enim, ut jam patefactum est, vel in sensu, vel in propriis locutionibus à *Prospero* reddita; in ipsa ejus ad *Augustinum* epistola. Et illius verba tamen licet in tabula exarata sint, cum aliis quibusdam etiam repetenda erunt, ut commodiùs expendamus, quî illis commensuratæ sint præfixæ Capitulorum sententiis explicationes; ne deinceps *Prosper* per partes, rimulasve, sed totus tandem discussis tenebris agnoscatur. Ipse igitur sub finem epistolæ memoratæ, uti Semipelagiani erroris dogmata carptim retractat, omnem illius pravitatem ad determinata quædam capita more suo reducit, super quibus eruditionem ex *Augustini* parte, se impatienter opperiri testatur, his omnino verbis: *Quia in istis Pelagianæ pravitatis reliquiis, non mediocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur: si divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur, quia voluit, non ideo quia adjuvatur ut velit: si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè dicitur: Si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donaverit.* Hæc est capitum summa, quæ sapientissimo præceptori refellenda proponit solicitus discipulus, hæc consequenter subjungens: *Tribue nobis in hac causa, Papa beatissimè, Pater optime, quantùm donante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ, obsecro, ut quæ in istis quæstionibus obscuriora, & ad percipiendum difficiliora sunt, quàm lucidissimis expositionibus digneris aperire.* Id ultrò præstitit *Augustinus* in duobus libris *de Prædestinatione SS. & dono perseverantiæ*, quos ad *Prosperum* ea de causa scripsit: cumque his pristina in fide magis firmasset inquirentem, idipsum *Aquitano* residuum fuit, ut hæc monstrosa errorum capita tam validis disputationibus proscripta, aliâ idoneâ & penitus irrefragabili censurâ perstringere conaretur. Ad id autem efficacior & compendiosior via excogitari non potuit, quàm Romanorum Antistitum sententias, hisque concordes Africanorum Conciliorum, quos illi probarant, anathematismos *Pelagio* dictos invicem connectere, & utramque eam autoritatem opponendam aptare istis Pelagianæ nequitiæ sensibus, quorum damnationem tam studiosè prosecutus erat. In quo certè summum operæ pretium referre sibi meritò persuadebat, quòd, prætermissâ *Augustini* apud adversarios male audientis commendatione, ejus tamen doctrinam Pontifico suffragio roborare fas illi esset. An autem eò unicè collineans feliciter tandem attigerit, demonstrant ipsa relatæ epistolæ verba, glossis Capitulorum autoritatibus præinsertis collata, in quibus ab proposito tramite ne latum unguem deflexit.

His Capitulis non alia inserta sunt dogmata, quàm quæ postulaverat *Prosper* ab *Augustino* definienda.

Recensentur per singula & invicem coaptantur ac commensurantur.

Etenim uti primam Pelagiani dogmatis labem *Augustino* loquens animadverterat: *si principium salutis malè in homine collocatur*: ita eam omnino eluit paraphrasi primo Capitulorum intexta in id apprimè convenienter, quæ etiam includit, ut patet, Capituli 4. glossema, *quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio*, ad majorem claritatem heic duntaxat iteratum; licet hæc etiam verba in epistola ad *Ruffinum* occupata ostenderimus. Tùm 2. *Prosper* alium periculum portendit: *si originaliter malus receptionem boni, non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè dicitur*: Et illud secundi Capituli explicatione hinc desumptâ sic amolitur: *neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet qui solus est bonus*,

in quibus verba sensusque egregriè congruunt, quin etiam hæc annotatio *Prosperiana* reducatur: *nihil fit boni, quod in nostram participationem non Deo autore defluxerit.* 3. Nec ferre potest *Augustini* discipulus: *si divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur, quia voluit, non ideo quia adjuvatur ut velit:* Et hoc ipsum in tertio Capitulo conceptis terminis præcavetur, habet enim: *neminem idoneum esse ad superandas diaboli insidias, nisi, per quotidianum adjutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* Quæ adæquatam conformitatem exhibent, & signis utrinque felicibus *Prosperum* delineant: nam & hac similiter locutione usus est in epistola: *adjutorium gratiæ.*

XIX. *Prosperi* genius magis elucescit in collatione istius capituli.

Sanè utrobique in his collationibus unius irradiat *Prosperi* genius, qui nonnisi sanandis fratribus intendens, sapienter, providè, consultè, lethali virulentiæ vivificum antidotum parare satagit, & in hac Capitulorum sylloge, quasi in saluberrimo latice propinandum objicere: quæ namque magis idonea curandæ invaletudini industria, quàm quæ, diuturna affectuum observatione, morbi naturam exploravit? Sed ut velo magis etiam deducto officiosissimi medici manus manu contractetur, quarti epistolaris articuli residua explicatio tractanda est. Itaque ut in eo à S. Doctore, pro meta & petitionum suarum coronide postulaverat resolvi: *Si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donaverit:* ita prorsus non pari sensu tantùm, sed iisdem verbis hoc membrum resumit, & quarti Capituli dogmati planè coaptat: *quia nemo aliunde Deo placet, nisi ex eo quod ipse donaverit.* Quæ luce splendidiora sunt. Sed neque hùc resolvuntur *Prosperi* curæ, neque hâc cautelâ illius solicitudo circumscribitur; quoniam enim jam magistro suo, *Nostrorum* etiam hoc, in aliis licet implicitum, vulnus patefacere expressiùs voluerat, quod scilicet *refugerent* fateri: quia *nemo nisi in prævaricatione nascatur, divinoque adscribere operi Sanctorum merita formidabant*, &c. prospicere diligentiùs studuit, ut hoc eis præcluderetur effugium, præfato Capitulo hanc etiam commissuram prætexens: *quod omnia studia, & omnia opera, ac merita sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda sunt.* In quibus nullus nisi in luce cæcutiens non potest rursus *Prosperum* non intueri retractantem, & recoquentem, quæ fratrum laborans sthomachus capere refugiebat. Sed alio etiam indice se exhibet secernendum, nam quia *Cassianus* jam ab anno 424. quo ejus intermediæ ad *Honoratum* & *Eucherium* datæ collationes erant, in decimæ tertiæ c. 12. id altiùs & inconditiùs elocutus erat: *cavendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referamus, ut nihil, nisi quod malum est, humanæ adscribamus naturæ:* absolutæ necessitatis fuit ut erroneo dogmati, à tanto retro tempore Catholicas aures pulsanti & facile abducenti, opponeretur ex contrario ducta negans, seu potius affirmans assertio: *quod omnia studia, & omnia opera ac merita Santorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt.*

Cassianus heic etiam notatur atque refellitur.

Quo ex singulari facto, nisi jam satis superque cognitus esset *Prosper* inter innumeros facilè secerneretur. Si enim Pontificiæ *Zozimi* sententiæ his subjunctæ hanc clariorem glossam præposuisset *Cælestinus*, vel ex ejus præscripto *Leo* Diaconus, quorsum hic *Noster Cassianum* hâc Pelagianæ propositionis exprobratione sæpius lacessens, non altiùs hanc Pontificio ex culmine emissam vocem extulisset? curque *Zozimi* autoritatem referens, hâc expressiori non solidasset? Cur autem ipsemet *Aquitanus* causæ suæ ita accom-

modam sententiam, pro qua stabilienda unicè laborabat, adhibere neglexerit? quæ alia rationabilior ejus reticentiæ causa excogitari potest, quàm quod ejus Indiculi manifestatus autor; non his pertinaciter pugnandum esse censuit, ne eum ex propriis placitis, non ex Romanorum Præsulum definitionibus, quibus solis adhærere profitebantur adversarii, jus sibi præproperè dicere criminarentur. Quæ licet jam ab initio prænotaverimus, tam idoneo loco retractare supervacaneum non judicamus. Porro ut ille ex genuinis verbis conceptionibusque suis orthodoxam illam propositionem Capitulo nunc versato præmisit, ita ad eam roborandam, *Zozimi* effatum ad Afros Episcopos, eorumque huic renuntiatam acclamationem trahit; sed ea affectatione, quæ ex ea etiam patenter illum indigitat, qui primus oppositæ virulentiæ fibras deprehenderat, & cujus cordi earum recisionem omnimodis urgere altè insederat. Namque non ita ac in aliis sententiæ Apostolicæ commensuratur præinserta explicatio, quæ certè alterà paullò latiùs patet: sed cùm in his præcipuum expressumque adversariorum dogma statui, & perniciosiùs invalere sensisset, non mirum si ejus proscriptionem vehementioribus studiis movens præscriptos sibi limites quadantenus transilierit. At tenuem licet excessum animadvertit homo perspicax, & æquis lancibus omnia perpendens illum etiam præmonere voluit, non enim heic tàm absolutè, quàm in aliis Capitulis in suarum definitionum confirmationem dixerat: *pronuntiante beatæ memoriæ Papa* Innocentio, &c. vel: *ejus Pontificis sententia protestatur dicens:* non, inquam, istheic formulas illas retinet, sed contractiùs & modestiùs sententiæ suæ solitum robur sic annectit: *in quam*, inquit, *sententiam dirigit nos beatæ recordationis Papæ* Zozimi *regularis autoritas*, *&c. Dirigebat* ergo tantùm hæc illius Pontificis autoritas, quâ, ut aïunt Africani Episcopi, humani arbitrii libertatem districto veritatis gladio, cursim transiens amputavit: *dirigebat*, inquam, transeunter emissa vox, ut crederetur *omnia studia & omnia opera SS. ad Dei gloriam laudemque referenda esse*, & ad cetera in articulo posita; at ea non expresè & per singula definiebat, unde instaurari posse controversiam semper confidebant, qui ea *tantummodo sequi & probare profitebantur, quæ sacratissima B.* Petri *Sedes per ministerium præsulum suorum sanxerat & docuerat.*

Quid in hoc 5. Capitulo observatù dignius ac singularius.

XX. Ab ulteriori collatione consultò abstinetur.

Ceterùm quia hæc invictissima videntur, ideo penso onereque debent eximere scrupulosiùs saltem conferendi & aptandi consequentibus verbis, aut locutionibus præfati Capituli, quas ex aliis *Prosperi* scriptis adduximus sincerissimè respondentes; ut sunt hæc: *beatæ recordationis Papæ* Zozimi, quibus ita concinit *Aquitanus: beatæ recordationis Papa* Zozimus. tum: *regularis*, autoritas, & *regularis* definitio. Inde: sermonem *sincerissimæ veritatis luce* radiantem: quæ ita variè redduntur: serenissimæ *veritatis luce*: perspicuæ *sincerissimæque* sententiæ: plenissima & patentissima *veritate*: cura *sincerissimæ* caritatis, &c. Quæ dictiones, quæ voces & selecta epitheta eandem omnino vocem loquelamque sic resonant, quasi utraque ab echo opposita repercuteretur: ut alia multa, vitandæ prolixitatis causâ, in re præcipuè tam manifesta prætermittam.

Sextum Capitulum quod ex aliis ad majorem explicationem & elucidationem conflatum est, in iis etiam comprehensum censeri debet, quanquam & in quibusdam quæ complectitur singularibus, non desint similes inter opera

opera *Prosperi* locutiones qualis est illa: *divinæ gratiæ opitulatione*: quam iisdem verbis exprimit *Noster* cap. 38. ubi: *opitulationis divinæ gratiæ stabilimenta* recenset, &c.

Observatiuncula.

Septimum Capitulum vix quidquam Collectori proprium complectitur, verborum enim *Zozimi* seriem refert in epistola *ad totius orbis Episcopos*, hæcque tantummodò de suo præmittit: *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem Doctor instituit*, &c. Quæ pauca licet tota tamen *Prosperiana* sunt: quin his comparandis diutius immoremur.

XXI. Conspectus 4. tabulæ Capitul. 8. repræsentans & conferens &c.

Excerpta è prioribus Prosperi *operibus.*

1. Naturam nullomodo ab æternæ mortis debito liberam... nisi ad imaginem Dei.. gratia reformaverit, liberumque ejus arbitrium agendo, sperando, auxiliando, ET USQUE IN FINEM præeundo servaverit. Ep. ad *Ruff.*

1. vocationis vacillaret exordium, nisi per judicia præcedentium STUDIORUM Deum constaret operatum *ibid.*

1. Spiritualium STUDIORUM. Ep. ad *Aug.*

2. ad PERCEPTIONEM Evangelicæ doctrinæ. Ep. ad *Ruff.*

2. LAPSIS cura resurgendi adimitur.

2. Per SACRAMENTA REGENERATIONIS assumere..... REGENERATIONE salvari. Ep. ad *Aug.*

Capituli 8. textus.

1. Præter beatissimæ & Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres, pestiferâ novitatis elatione dejectâ, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium STUDIORUM, & in eis USQUE IN FINEM *perseverantiam*, ad Christi gratiam referre docuerunt: obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita *in toto mundo*, atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi, lex statuat *supplicandi*,

2. Cum enim *sanctarum plebium* Præsules mandatâ sibimet legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, & tota secum *Ecclesia* congemiscente postulant & precantur: ut infidelibus donetur fides: ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus: ut Judæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat: ut hæretici Catholicæ fidei PERCEPTIONE resipiscant: ut schismatici SPIRITUM redivivæ charitatis accipiant; ut LAPSIS pænitētiæ remedia conferantur: ut denique Cathe-

Excerpta è posterioribus Prosperi *operibus*

1. Fidei autem & caritatis opera atque IN EIS USQUE IN FINEM PERSEVERANTIA homini per *Dei gratiam* conferuntur. Resp. ad obj. 14. *Gall.*

1. Ut fides & obedientia ceteræque virtutes, ET IN EIS USQUE IN FINEM PERSEVERANTIA, non nisi ex dono Dei, haberi posse credantur. Resp. ad dub. 9. *Gen.*

1. Si & principia & profectus & PERSEVERANTIA in bonis USQUE IN FINEM dono Dei esse dicantur. c. *Coll.* c. 38.

1. *Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis eorum.* Oratio, inquit, Christi sive quam docuit, sive quâ quotidie interpellat pro nobis, adhuc placebit eis, qui ridendam putant confessionem nostram, quâ dicimus: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus. In toto* enim *mundo, hæc supplicatio* convalescit, & qui se falsò justificant, probabunt hanc hominis veram esse sapientiam, ut nemo de se præsumat, sed qui gloriatur in Domino glorietur. Exp. *Psal.* 140.

2. *Plebes* scilicet *sancta* piè servientibus sibi serviunt, & præbentes carnalia accipiunt spiritualia à prædicatoribus verbi Dei. Exp. *Psal.* 103. V. 16.

2. Si ergo fides donum Dei non est, frustra & *Ecclesia* pro non credentibus orat, ut credant... Frustra etiam Apostolus gratias agit Deo pro his qui Evangelium receperunt. Resp. ad dub. 5. *Gen.*

2. Aut quod *Ecclesia* quotidie pro inimicis suis orat, id est pro his qui nondum crediderunt, nunquid non ea *spiritu* Dei facit? Quis hoc dixerit, nisi qui putat fidem non esse donum Dei? Et tamen quod pro omnibus orat, non pro omnibus obtinetur. c. *Coll.* c. 25.

3. Ubi autem ipsum illuminavit MISERICORDIA Christi. ERUTUM est à regno diaboli & factum est regnum Christi.... Glorificemus misericordias Domini, &c. VASA MISERICORDIÆ in gloriam præparantur. *Item:* Quomodo VASA IRÆ molirentur irrepere DEI gratia VASIS MISERICORDIÆ revelavit. Ep. ad *Ruff.*

cumenis ad REGENERATIONIS SACRAMENTA perductis cœlestis misericordiæ aula reseretur.

3. Hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter à Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus: Quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos ERUTOS *de potestate tenebrarum transferat in regnum filii* caritatis suæ, & ex VASIS IRÆ faciat VASA MISERICORDIÆ.

XXII. Observationes.

Heic recurrerent eodem contextû, eâdemque frequentiâ voces & locutiones in aliis tabulis animadversæ, sed quæ majoribus detenti tam minutatim adducere non curavimus; imò nec adducta otiosiùs conferre satagimus per se in pauciori delectu clariora, ut sunt hæc: *spiritualium studiorum*, & *præcedentium studiorum*, quæ illud Capituli tam apertè referunt: probabilium *studiorum.* tùm: *vasa iræ & vasa misericordiæ* æquo recursu se complectuntur. Item eodem primo laterculo notanda formula: *usque in finem* præeundo: huic satis conformis: *usque in finem* perseverantiam. At nullibi splendidiùs integro Capituli nostri membro: *Et in eis usque in finem perseverantia:* nullibi, inquam, splendidiùs, membro isti membrum commensuratur, quàm quod bis in tertio laterculo num. 1. consignatur, ubi notatu dignissimæ sunt, similes voces, idemque contextus: ET IN EIS USQUE IN FINEM *perseverantia*, majusculo præter morem charactere distinctæ. Si enim hanc formulam ita tenaciter & iteratò servavit *Prosper*, cur & eam tertiò assumpsisse suspicio non oriretur? Porrò & hæc *supplicatio* quæ in toto mundo convalescit, ut nemo de se præsumat & *qui gloriatur*, &c. nonne egregiè, hanc *supplicandi* legem redhibet, alluditque ad hanc pestiferam elationis novitatem, &c. Id etiam postremò monere juvabit versiculum 13. I. c. epistolæ ad *Coloss.* resp. ad cap. 9. *Gallor.* à *Prospero* sic relatum: *transtulit in regnum filii dilectionis suæ*, qui citatur ab autore Capitulorum: *transferat in regnum filii* caritatis *suæ*, nullam omnino diversi opificis vel leviorem suspicionem inducere posse. Nam præterquam quod minima est hæc mutatio, & iste non Scripturæ verba referre, sed ex ejus sensu sermonem suum texere heic collineat (ut legenti clarum fit) id gravius occurrit, quod is usus *Prospero* familiaris & frequens sit. Et ne longiùs dicti probationes, patulas certè, quæritemus, objicit se locus ipse in quæstione positus, qui quater ab eo in totidem

3. Quia ipse alligat fortem & vasa ejus rapit *eruens de potestate tenebrarum & transferens* de potestate in gloriam. Resp. ad obj. 12. *Vinc.*

3. Neque evacuata est mundi redemptio, quia etsi non cognovit mundus Deum in vasis iræ, cognovit in vasis misericordiæ; quæ Deus, nullis eorum bonis meritis præcedentibus, *eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii* dilectionis suæ. Sent. sup. 9. *Gall.*

3. Absit talis impietas, ut quemquam putemus meritis suis *erui de potestate tenebrarum* & in regnum filii Dei, debitâ, non gratuitâ adoptione, transferri. Resp. ad dub. 6. *Gen.*

3. Per gratiam Dei præstitum est, ut *eruerentur de tenebris & potestate tenebrarum, & transferrentur in regnum filii* Dei. Exp. *Psal.* 117. v. 1.

variis & indubiis operibus usurpatus, ita semper variè redditus est, ut ex tabulâ patet; ob id certe jam observatum, quòd sæpius intenderet autor ex sacris autoritatibus orationem suam conflare. Attamen quæ integrè adducit versiculi verba, loco superiùs citato, ita omnino exhibentur lib. 1. *de Vocat. Gent.* cap. 17. quod certè si levioribus immorandum esset, *Quesnelli* sententiæ, non nostræ præjudicaret: & hoc similitudinis lineamentum inter *Aquitanum* nostrum, & operis *de Vocat.* scriptorem mox animadversum iis accensendum veniret, quæ unum & eundem autorem hos tractatus elucubrasse probare debent.

Certè octavum istud Capitulum *Viro docto* summum est, ut pro *Leone* suo decernat: illi enim opponit cap. 12. lib. 1. *de Vocat*: per omnia quidem egregiè simile, sed ea similitudo hoc convincit, unicum esse utriusque operæ artificem, at, quâ de re agitur, quòd hic ipse, *Leo* extiterit, non probat sed supponit. Quem inter circulum ne tantisper obversaremur, hunc 8. Capituli textum duodecimi libri citati textui opponere non duximus, sed magis cum isto seorsim, gravissimum ex omni parte huic respondentem annectere; unde peremptoriè evincetur duo illa capitula à *Quesnello* collata, quæ ex ejusdem vena prodire demonstrantur, excerpta, digestaque fuisse ex unius operæ serie *Augustini* discipulo propriæ, ejusque gratiâ, & ardentissimis precibus elaboratæ. Et cujus adeoque, uti priùs eum, quàm alios quosque doctrinam imbibisse certum est, ita prorsus eandem aliis instilasse probabilius iis omnibus fiet, qui hunc tandem tractatum, rogante & instante *Prospero* factum, adverterint esse celeberrimos Augustini *de prædestinatione SS. & dono perseverantiæ* libros. Illi enim *Prospero* nostro & *Hilario* nominatim inscripti, celeriùsque transmissi, pro fusiori responsione, ad eorum quæ præcesserant literas, hanc totam argumenti seriem & efficaciam in memoratis Capitulis assumptas, de

XXIII. Tota 8. Capituli doctrina ab *Augustino* in primis tradita, transmissaque *Prospero.*

precibus in universa Ecclesia pro omnium salute fieri solitis, in antecessum cum aliis longè pluribus suppeditaverant Namque gratiæ Doctor cap. 23. *de dono persev.* totus est in probando Ecclesiæ Catholicæ sanctum & inviolabilem morem esse, ab ipsius exordiis, usque in sæculorum consummationem duraturum, ut pró omnibus penitus hominibus preces & supplicationes Deo fundantur; quæ pura putaque gemini Capituli doctrina est inde defrustata.

Quod cùm pro certo, exploratoque haberi debeat, nonne vel hoc solo longè similius vero esset *Prosperum* hos Sanctissimi Doctoris sensus, quos tam impensè requisierat, in suæ & Ecclesiæ fidei testimonium defensionemque primùm assumpsisse, quàm *Leonem*, vel alium quemlibet; de quibus nulla prorsus suppetere indicia possunt, his concertationibus cum aliqua nominis sui laude se immiscuisse? Sed reddamus promissum utriusque operæ textum, unde etiam rationes nostræ validiùs instaurari poterunt.

XXIV. Conspectus tabulæ exhibens *Augustini* & *Anonymi* textus.

Libri de dono Persev. *cap.* 23.	*Lib.* 1. de vocat Gent. *cap.* 12.
Atque utinam... intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc sæculum.... Quando enim non oratum est *in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis* ejus, ut crederent? quando fidelis quisquam amicam conjugem habuit infidelem, & non ei petivit à Domino mentem obedientem?.... Aut quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem si quando dixit: Domine da illis in te perseverare usque in finem non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super ejus talem benedictionem, & corde credente & ore confitente respondit, Amen. Cùm aliud in ipsa oratione Dominicâ non orant fideles, dicentes maximè illud:	De hac ergo doctrinæ Apostolicæ regula.... quid in ipsa universalis Ecclesia sentiat inquiramus, &c. præcepit itaque Apostolus fieri *obsecrationes & postulationes*... Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum & omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit in qua hujusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo ubique *Ecclesia* Dei non solùm pro Sanctis & in Christo jam regeneratis, sed etiam *pro* omnibus *infidelibus*, *& inimicis* crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Judæis quorum cæcitati lumen Evangelii non refulget: pro hæreticis & schismaticis, qui ab uni-

ne nos inducas in tentationem, nisi ut in sancta obedientia perseverent. Sicut ergo in his orationibus; ita & in hac fide nata est, & credit Ecclesia, quâ fide creditur gratiam Dei non secundùm merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia, ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet & aversas & adversas hominum ad se convertere voluntates.... nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à se ipsa sibi dari putat, non veras sed PERFUNCTORIAS orationes habet, quod absit à nobis. Quis enim veraciter gemat desiderans accipere quod orat à Domino, &c. tate fidei & caritatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant caritatem, & de ignorantiæ tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis. Quod quia ipsi præstare sibi nequeunt malæ consuetudinis pondere oppressi, & diaboli vinculis alligati, neque deceptiones suas evincere valent, misericors & justus Dominus pro omnibus sibi vult supplicari: ut cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præstitisse, quod ut præstaret oratus est, &c.

XXV. Observationes in utrumque locum, Capitulo 8. per singula concordem.

P. *Quesnellus* in collatione à se facta, duodecim conformitatis capita recenset inter caput istud 12. mox exhibitum & octavum ex Capitulorum Sylloge antea datum; unde rectè unum eumdemque gemini tractatus autorem statuit. At totidem majoraque etiam similitudinis indicia conspicua esse, in hoc S. *Augustini* recitato capite, unde alia duo decerpta sunt, unicuique dijudicare in promptu erit. 1. Enim cum iisdem convenit, & ut ita convenirent præluxit hanc supplicandi seu orandi legem ab Ecclesiæ exordiis institutam, imo & ad consummationem usque sæculi perennaturam. 2. Per universam Ecclesiam id concorditer observari itidem asserit. 3. Et hunc uniformem supplicandi ritum observat. 4. Neminem à supplicatione repelli similiter fatetur & pro infidelibus & inimicis Ecclesiæ, quo sub nomine omnes ab ea divisi intelliguntur, de Judæis quoque idem antea dixerat: pro his omnibus, inquam, preces Deo fundi tradit. 5. Sacerdotes hujus supplicationis ministros esse, & super fideles Dominum invocare confirmat. 6. Gemitum Ecclesiæ, seu fidelium, in hac oratione pluribus inculcat. 7. Ex his orationibus divinæ gratiæ necessitatem, & non secundùm merita collationem accuratè stabilit. 8. Peccatorum conversionis totum opus divinæ gratiæ deputat, quæ aversas & adversas hominum ad se convertit voluntates, &c. Alia similitudinis lineamenta in quibusdam expressionibus utrinque usurpatis à *Quesnello* observantur, quæ nostræ etiam sententiæ conducunt, in quo unum utriusque operæ toties citatæ autorem statuunt. Sed hæc non persequimur, heic enim duntaxat id evincere laboramus Scriptorem illum ex hoc S. *Augustini* fragmento duo illa capitula defrustasse. Cujus certè inter ce-

tera insigne præbent indicium, hæ Doctoris gratiæ voces: *Si à se ipsâ sibi dari putat Ecclesia* (quod orat scilicet) *non veras sed* perfunctorias *orationes habet*: quam dictionem *perfunctorias*, non admodum usitatam Capitulorum Collector usurpat eodem sensu: *hæc autem*, inquit, *non* perfunctoriè, *neque inaniter à Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus*. Quæ sanè locutio omnium quæ capiti insunt singularissima declinata est in cap. 12. *de Vocat.* an quia veritus autor ne sub *Anonymi* persona pugnans, & pro ignoto haberi solicitè curans, ex ejus usu vocis, quasi per rimulam & cassidæ speculare secerneretur, ex aliis suo loco promendis certiùs fundatiùsque conjici poterit. *Augustinum* inpræsentiarum sequi magis res postulat, à quo licet non discedere, cum eo tamen ultra procedere conveniens non censuit hic *Noster*; siquidem ex his orationum Ecclesiasticis publicisque ritibus, abstinuit in utroque opere prædestinationis necessitatem expressiùs saltem adstruere & prædicare, quam ille hujus argumenti pondere totis viribus propugnat & suadet.

Hanc doctrinam expressè tradiderat *Augustinus Prospero* docendam tunc & defendendam.

Sed quid altius ex profundissimi Doctoris sensibus eruendum est, unde penitiùs ejus discipulus agnosci possit: notat quippe memorati capitis initio circa rationem, ex precibus Ecclesiæ ipsique coævo more sumptam, in ejus sermonibus silentium præcessisse, *quia* hanc *asserere nullo cogente adversario, necessarium non putavit: atque utinam*, inquit, *tardi corde & infirmi sic audirent, vel non audirent disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec, &c. De hac enim re quam nunc adversùs novos hæreticos non commemorare tantùm, sed planè tueri & defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus asserendam, nullo cogente adversario, necessarium non putarit.* Itaque nonnisi ex novorum hæreticorum seu Pelagianorum occasione, suggestum cogitatumque fuit hanc victricem machinam opponere. Quid autem proclivius id semel edocto *Prospero*, quàm hoc validissimum argumentum adhibere, opus ad eorum eruditionem paranti, qui *in privatis* hæreticorum eorumdem (*Pelagii & Cælestii*) *sensibus demorabantur*, ut in præfatione testatur. Et quorsum sibi temperare potuisset, quin hoc sæpius momentum versaret discipulus ab optimo magistro id primùm immediatè edoctus: de hac re *adversùs novos hæreticos non commemorare* tantùm, sed *planè tueri & defensare* necessitatem instare? Et fideliùs certè, quod tùm inaudierat, non potuit reddere, nam quemadmodum Hipponensis Præsul ad gratiæ hostes apertissimè revincendos, ad diurnam & omnibus conspicuam Ecclesiasticarum precum consuetudinem eos remittit, his verbis usus: *utinam intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia*: ita omninò hujus locutionis vim mutuatus hic *Noster* ait: *obsecrationum sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur*, &c. capit. 8.

Augustino novi hæretici, an *Nostri*, vel *Pelagiani*?

Cur autem adversus novos hæreticos, hanc orationis necessitatem pertinaciùs defendere res postularet, persequi superfluum existimamus; cum nulli notum non sit, nullo validiori, expediorique argumento gratiæ divinæ ad singulos actus necessitatem stabiliri posse. Sed ut ejus vim eluderent hostes novi, orationis usum subtiliter deprædicabanr, & in omnibus & ad omnia saltem necessarium non esse effutiebant, quod & ex eorum principiis evidenter infere-

inferebatur. Quibus è latibulis ut refractarios depelleret novus *Hercules Augustinus*, totus in eo semper est ut probet orationem ad hæc duo quotidie & instanter necessariam esse: ut & *dimittantur nobis debita*. Et *ne inferamur in tentationem*: quæ inculcat lib. *de nat. & grat.* cap. 18. contra Pelagianos edito, retractatque in hoc nostro capite & alibi sæpissimè. Legenda præcipuè ad id ejus epistola 89. ubi vehementer eorum stoliditatem suggillat: Et lib. 1. oper. perf. contra *Julian.* ait: *nec Dei donum poscitis*, inquit, *ne intretis in tentationem*. Videnda etiam quæ præcessit Concilii Carthaginien. ad *Innocentium* epistola, apud *Augustinum* 90. in qua hæc leguntur: *Istorum sacrilegas disputationes hoc necessariò sequitur, ut ne orare* debeamus, *ne intremus in tentationem*. &c. nec non sequens epist. 94. *Augustini* ad *Hilarium*. Quæ fusiùs explicare duxi, ne quis per *novos hæreticos* (quo semper nomine Pelagianos designat *Augustinus*) eum Massilienses intellexisse suspicaretur, quos è contra semper ut *Catholicos* & *fratres* agnovit & complexus est, in ipso etiam opere, quo eorum residuos errores ardenter castigat. Unde post retractatum breviter hoc ex precibus desumptum argumentum, sequenti cap. 24. de *dono persev.* ait: *hoc Pelagiani optamus ut habeant, isti autem* Nostri *ut abundantiùs habeant*: Quod ut ita pleniùs haberent, sicut necesse putavit ea refricare, ita *Prospero* hanc eorumdem invaletudinem curanti, simile prorsus medicamen adhibere studium fuit.



XXVI. Conspectus 6. tabulæ referens capit. 9. ac conferens cum aliis operibus *Prosperi*, atque *Augustini*.

Excerpta è prioribus Prosperi *operibus.*

1. Sipio consideramus INTUITU.
1. Per SACRAMENTUM REGENERATIONIS. Ep. ad *Aug*.

2. Neque intelligunt omnem illam præparationem Cornelii per DEI GRATIAM fuisse collatam.... Quo satis apertè ostenditur OMNIA BONA OPERA, quæ in eo præcesserũt, DEI GRATIAM ad emundationem ipsius inchoasse... ne novæ vocationis vacillaret exordium, nisi

Capituli 9. series.

1. Illud etiam quod circa baptisandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur INTUITU, cum sive parvuli, sive juvenes ad REGENERATIONIS veniunt SACRAMENTUM non priùs fotẽ vitæ adeunt, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur: ut tunc verè appareat quomodo *princeps hujus mundi mittatur foras*, & quomodo priùs *alligetur fortis, & vasa ejus diripiantur* in possessionem translata victoris, qui *captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus*.

2. *His ergo Ecclesiasticis regulis*, & ex *divina* sumptis *autoritate* documentis, ita, adjuvante Domino, confortati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profitea-

Excerpta ex SS. Augustini ac Prosperi *operibus*

1. Denique ipsa Ecclesiæ Sacramenta, quæ tam priscæ traditionis autoritate concelebrat, ea isti quamvis in parvulis existiment simulatoriè potiùs, quàm veraciter fieri, non tamen audeant apertâ improbatione respuere: ipsa, inquam, sanctæ Ecclesiæ Sacramenta satis indicant parvulos à partû etiam recentissimos, per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. Excepto enim quòd in peccatorum remissionem, non fallaci sed fideli mysterio baptizantur, etiam priùs exorcizatur in eis & exsufflatur potestas contraria, qui etiam verbis eorum, à quibus portantur, se se renuntiare respondent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis, atque ividentibus signis, à captivatore pessimo ad optimum Redemptorem transire monstrantur, qui pro nobis infirmitate susceptâ, *alligavit fortem*, ut *vasa ejus eriperet*.... non enim solos etiam ætatis majoris, sed etiam pusillos *eruit à potestate tenebrarum, ut transferat in regnum filii charitatis suæ*, &c. *S. Aug.* lib. 2. *de peccat. Orig.* cap. 40.

1. Non enim fides dubitat Christiana, quam novi hæretici oppugnare cæperunt, & eos qui lavacro regenerationis abluuntur redimi de potestate diaboli.... In veritate itaque, non in falsitate potestas diabolica exorcizatur in parvulis, eique renuntiant, quia per sua non possunt, per ora & corda gestantium, ut eruti *à potestate tenebrarum in regnum* sui Domini *tranferantur*. *Idem* lib. 2. de Nup. & concup. *ad Valer.*

1. Proprietas redemptionis penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras Resp. ad 1. obj. *Vinc.* Quia *ipse alligat fortem & vasa ejus rapit.* ad 12. Item. c. 28. c. *Coll.* Exp. *Psal.* 139, &c.

2 *His divinarum* vocum *autoritatibus* eruditi gratias agamus Deo Resp. ad dub. 8. *Gen.*

2. *His ergo* qui ab Hierusalem charitate discedunt. Exp. *Psal.* 136. v. 5.

2. *Ecclesiastica regula* est &c. *Ecclesiastica regula* est. decies repetitur c. 25. c. *Coll.*

2. Dicimus atque defendimus non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium. *ibid.*

per judicia præcedentium STUDIORUM Deum constaret operatum. Ep ad *Ruffin.* item & *num.* 4. seq.

mur autorem, & non dubitemus ab ipsius gratiâ omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni & VELLE incipiamus & FACERE.

3. Gratia igitur Dei quoscumque justificat, non ex bonis meliores, sed ex malis bonos facit, postea per profectum factura meliores, NON ADEMPTO LIBERO ARBITRIO, SED LIBERATO. Ep. ad *Ruff.*

3. Quo utique auxilio & munere Dei *non* AUFERTUR LIBERUM ARBITRIUM, SED LIBERATUR, *ut* de *tenebroso lucidum*, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta est enim erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est æterna præmia sit donaturus.

4. Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. Pro qua bona voluntate, nisi quam in ipsis operatus est Deus? ut QUOD donaverat VELLE, donaret & FACERE...... benè VELLE & benè AGERE, atque in his permanere DONARET. *ibid.* ad *Ruff.* Item & *num.* 2. Capit.

4. Agit quippe in nobis, ut QUOD VULT & velimus, & AGAMUS, nec *otiosa* esse IN NOBIS patitur, quæ exercenda, non negligenda DONAVIT: ut & nos simus cooperatores gratiæ Dei, ac si quid nobis ex nostra viderimus remissione languescere; ad illum solicitè recurramus, qui *sanat omnes languores nostros*, & *redimit de interitu vitam nostram*; & *cui quotidie dicimus*: ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.

3. Arbitrium hominis gratia Dei *non* abolet, *sed* edocet & ab errore in viam revocat & reducit; *ut* quod sua libertate erat pravum, spiritû Dei agente sit rectum. Sent. sup. *6. Gall.*

3. Quis prospicere possit per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat sequatur, quæ oderat diligat, quæ fastidiebat esuriat; ac subitò commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant, sint aperta: quæ onerosa, sint levia: quæ amara, sint dulcia: quæ obcura, sint *lucida* c. *Coll.* c. 14. & in sequenti: virtus gratiæ *non* hoc in voluntatibus operatur, ut non sint; *sed ut* ex malis bonæ, & ex infidelibus sint fideles; & qui ex semetipsis erant *tenebræ*, *lux* efficiantur ... quod mortuum erat, vivificetur, quod jacebat, erigatur, quod perierat, inveniatur, &c.

3. Et ibi esse *merita*, ubi *Dei dona* non fuerint? c. *Coll.* c. 36.

3. Ut intelligamus per eandem misericordiam dari coronas *meritorum*, per quam data sunt *merita* coronatorum. Exp. *Psal.* 102. v. 4.

4. Nisi vox Domini fortè *otiosa* fuit. c. *Coll.* c. 14.

4. *Sanat*, inquit, *omnes languores tuos.* Qui sunt isti languores, nisi concupiscentiæ malæ & morbi omnium vanitatum? de qua corruptione redimitur vita infirmorum. Quia corpus mortis nostræ corpus factum est ipsius vitæ, &c. *Psal.* 102, sup.

4. Nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram, sed faciet perseverare in se usque ad hujus vitæ finem *cui quotidie dicimus:* ne nos inferas in tentationem. Resp. ad dub. 9. Gen.

4. Ad quem *quotidie* corda universorum clamant: *ne inferas nos in tentationem sed libera nos à malo.* c. *Coll.* c. 34.

Geminum *Augustini* fragmentum in omnem partem insigne, quod scholiis nostris inserere parabamus, quia id locus admisit, primo membro tertii collationum laterculi apposuimus, ut apertissimè videretur, unde intermedium illi respondens depromptum fuerit ab autore Capitulorum. Jam XXVII. Observationes *Prosperum* magis ac magis indicantes.

itaque hoc ratiocinium ex baptiſandorum inſtituta purgatione, exſufflationibus & exorciſmis, ad gratiæ divinæ commendationem iteratò citatis libris duobus ſolerter occupaverat Hipponenſis contra Pelagianos ex profeſſo pugnans, facemque perinde Diſcipulo ſuo prætulerat, ut eadem rectiſſimâ ſemitâ graderetur, contra eorum reliquias certamen inſtaurans. Quæ certè veſtigia tantâ ſolicitudine preſſit, ut quæ huic nono Capitulo ex S. Doctoris ſenſibus non intexuit, in aliud antecedens rejecerit, ut eſt illa ſcripturæ *Coloſſ.* I 13. autoritas: *qui eruit nos de poteſtate tenebrarum*, &c. hinc deſumpta, & alia quædam; adeo ut duo illa Capitula Apoſtolicis ſententiis ſubjuncta, per totum ex S. *Auguſtini* ſcriptis deflorata ſint. Quòd ſi alia ex iiſdem tùm non adhibuit, ratio in promptû eſt, quia nec id patiebantur præſtituti ſcriptionis limites; nec Maſſilienſes alios Pelagianæ pravitatis errores admittebant: quibus adeoque id tantum inculcari neceſſe erat, quod initium fidei, & gratiæ neceſſitatem ad omnes actus ſtabiliebat, quam regulam ex Eccleſiaſtici ritus obſervatione ſolidare, rem erat conficere.

Heic itaque ut totus *Auguſtinus*, ita & totus *Proſper* recognoſcendus eſt, & in hoc etiam iſte magis, quòd initio pollicitus auctoritatibus Romanorum Pontificum quaſdam Africæ Conciliorum ſententias duntaxat annectere, aut promiſſionis non adeo memor, aut malens penè de fide ſua, quàm de præſtantiſſimi Magiſtri oblivione periclitari, ad illum tandem, emenſâ ſententiarum ſerie, reverſus, his prò coronide S. Doctoris caſtigatiſſimos ſenſus inſpergit & ſubjungit; cùm illius nomen ex præſcriptâ ſibi regulâ non poſſet præponere. Quæ certè deditiſſimi Diſcipuli, ipſiuſque inter omnes *Proſperi* genium evidentiſſimè produnt. In hæc autem ſi ſententiæ ſuæ præjudiciis minùs occupatus intendiſſet *Vir doctus*, non tam liberè pronuntiaſſet p. I. num. 3. ſuæ Diſſert. *autorem Capitulorum, nullo ex Auguſtini doctrina ſumpto argumento, pugnaſſe*. Quæ mihi quidem palmaria, aliis quid majus forſan videri poterunt: nam eorum alterum ſaltem, quod in laudatis tractatibus non advertit, faciliùs deprehendere poterat, vel ex ipſa argumenti lectione epiſt. 107. ad *Vitalem*, qui cum effutiiſſet: *non orandum pro incredulis, ſed tantum illis doctrinam impartiendam:* duodecim regulas edocetur ab *Auguſtino*, minitante *ni deſinat obſtrepere precibus ab Eccleſia fieri ſolitis*, ſe duriùs cum eo acturum. Hæc in epigraphe; at in contextu totus aſſumitur c. 23. *de Perſev.* conceptus, imò nec deſunt recurrere notatæ voces; *perfunctoriè* &c. Et preſſiùs ad 8. Capituli conformitatem, cum hoc adjuncto inaniter. *Inaniter* etiam & *perfunctoriè*, &c. quæ omnia magis ac magis mirum eſt ſic excidiſſe *P. Queſnello*, ut in tantum ſuæ fidei prodigus eſſe voluerit.

P. *Queſnelli* mira præoccupatio.

Porrò alia magna vel minutula ex *Proſperi* operibus adducta non conferimus, quæ ſatis in tabula conſpicua ſunt: unum tamen vel alterum monere juvat, *Noſtro* iſti ſcilicet, familiare eſſe Baptiſmum, *regenerationis ſacramenti* locutione deſignare, quemadmodum eum nuncupat hoc Capitulum. Sed & formula illa ibidem uſurpata: *non otioſo contemplemur* intuitu, quam adeo exaggerat *Queſnellus* uti *Leoni* uſitatiſſimam, *Aquitano* ſimiliter extraneam non fuiſſe, etiam ante Capitulorum editionem, videbit Lector, ex citato loco Ep. ad *Ruffin.* ſic omnino: *ſi pio conſideramus* intuitu. Tùm ille in autoritatum recapitulatione: *his ergo*

Ecclesiasticis regulis, & ex divina sumptis autoritate documentis, &c. quam elocutionis contexturam quid omnino simile insonantem, ita prorsus reddere videtur *Prosper*, post adductas similiter varias Scripturæ sententias: *his divinarum vocum autoritatibus eruditi*. &c. Ceterùm & hæc locutio: *Ecclesiastica regula*, eidem familiarissima esse notatur, & ab *Augustino* fortè deprompta, aut quâ saltem eum sæpiùs usum esse animadverti in ejus præcipuè contra Pelagianos disputationibus. Quam autem hæc num. 3. periodus: *quo utique*, &c. multis variisque modis reddatur à *Prospero* luculenter exhibent schemata utrinque notata, ex quibus satis superque colligitur tam peritum artificem non uni rursùs, sed aliis plurimis hujusmodi elocutionibus variandis parem fuisse. Sanè vt hæc erat de sublato, per *Augustini* discipulos, humano arbitrio querela frequentior & vehementior, ita *Prospero* illorum Coryphæo in studiis potissimùm fuisse videtur in hac thesi versanti, exquisitâ orationis elegantiâ & verborum verietate luxuriari; ut tam disertis, varièque redditis declarationibus magis inculcaret, quàm ipse, suique ab hoc errore procul essent.

Capitulum ultimum cum aliis excerp. Prosperianis.

XXVIII. Brevis conspectus ultimi capituli.

PROFUNDIORES errores Ep. ad *Ruffin.*	1. PROFUNDIORES vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.	Quid difficultatis incurrunt? Resp. ad dub. 4. *Genuen.*
Cum AD CONFITENDAM eam Christi GRATIAM, quæ omnia præveniat merita. Ep. ad *Aug.*	2. Quia AD CONFITENDAM DEI GRATIAM, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid, secundùm prædictas *regulas*, Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit *præfixis* sententiis esse contrarium.	Si de fide *gratiæ Dei*, ex qua est omnium bonorum origo... Resp. ad Dub. 9. *Gen.* Ne in totum videretur à *præfixa regula* discrepare. c. *Coll.* c.33.

XXIX. Prolixiores in brevius capit. observationes

Etsi brevissimum sit hoc Capitulum, tamen quia in eo magis quàm in aliis ex suo loquitur Autor, ejus sensus magis indagare alienum ab instituto non censemus; quod enim, inter allatas probationes supra reponendum non occurrerat, ex datâ heic occasione non inopportunè locabitur. Et primò quidem ex hac conclusione satis firmatur & illustratur, quidquid de fine methodoque à *Prospero* in ea collectione intentis initio delibavimus; apparet enim eum nullam aliam Capitulis autoritatem asserere, ab ea, quæ Sedis Apostolicæ propriis, vel ab ea firmatis regulis seu sententiis necessariò debebatur. Nam ut in proœmio testatus erat, se illis regulis Apostolicis jungere tantùm velle *Africanorum Conciliorum sententias, quas suas utique fecerunt Romani Antistites cùm probarunt*: Ita omnino in fine sic protestatur: *ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.*

Intra sententias tantùm, non intra consectaria ex iis deducta fidem catholicam conscribit Autor.

Ex propria itaque Autoris declaratione, non explicationes sententiis præpositæ, non consectaria ex illis deducta aliquod novum dogma inferunt, & constituunt, si magis pateant, aut quid amplius adstruant, quàm ipsæ sententiæ, sed tantummodo, quod iis adversari reperietur sententiis, id *prorsus Catholicum* non censebitur. Quæ ratiocinatio non tenuiter roborari potest ex prioribus octavi Capituli verbis, ubi factâ omnium, quas promiserat, autoritatum recensione, Collector, quasi rem novam aggrederetur, sic loquitur: *præter beatissimæ & Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi patres docuerunt*, &c. *respiciamus obsecretionum quoque sacerdotalium sacramenta.* &c.... ubi manifestè significare videtur Autor, se scienter, sed carptim ad alia digredi velle, quæ tamen licet, *præter Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones* essent, iis nihilominis elucidandis, & roborandis multùm conducebant. Quæ omnia convincunt omnem vim & efficaciam operis ab opifice apertè collocatam esse, in ea autoritatum Romanæ Ecclesiæ & Conciliarium decretorum ingeniosa connexione, unde *omnes disputationes pendere* rectè putabat. Hincque etiam liquidiùs elucescit, quid causæ fuerit, cur *Prosperum* seorsim has semper autoritates & sententias in cunctis disputationibus adhibuisse proposuerimus? quòd enim consecutiones easdem aut similes libris suis illigarit, citra ullam uspiam jam in Capitulis assertarum memoriam, irrefragabili semper argumento est, istas visas illi non esse majori robore pollere; quia scilicet eam collectionem emittens, hanc fidem jam præstiterat se istiusmodi sententiis duntaxat pugnaturum, & in illis omnem ὀρθοδοξίαν comprehensam esse.

Verba quæ *Prospero* congruere putat *Quesnellus*, quàm ab eo aliena?

Ceterùm & verba illa: *profundiores partes incurrentium quæstionum quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt*, &c. Augustinum & Prosperum *digito monstrare* putat *Vir doctus*; sed, pace illius dixerim, in uno rectè judicans, in altero apertè fallitur: etenim quandonam *Prosper* contra hæreticos rem habuit? aut quando iisdem obluctans *difficiliores* illas *incurrentium quæstionum partes latiùs* pertractavit? Quin è contra nonne *digito monstratur* eum nonnisi cum Catholicis fratribus conflixisse, qui licèt privatis quibusdam *Pelagii* & *Cælestii* sensibus adhærerent: nunquam tamen vel ab eo, vel ab aliis adversariis ut hæretici traducti sunt: sed multò minùs

nùs contra eos lapidem movere cogitavit *Aquitanus*, circa *profundiores* eas *incurrentium quæstionum partes*, si quidem illæ sunt, quas tam operosè explicat 2. p. suæ Dissert. *Quesnellus*. Id ex integris ejus operibus nequidem leviter induci potest, & pauciora elucubrasse potuit, cùm Capitula condita sunt; adeo ut nisi quis hæc ab imperitissimo homine concinnata esse, imperitior & ipse censeat, nusquam asseri poterit Collectorem iis annumerasse *Prosperum*, qui circa *profundiores quæstionum incurrentium partes rem latiùs pertractarunt*. Sed & contendit iterum ex hac occasione *Vir doctus*, locutionem illam Proëmii: *Magistris nostris tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur. Sole clarius esse, quod* Prospero *nequaquam convenit*. At in hac luce vehementer caligare non dissimulo, imò & oppositum *sole clariùs* videre fateor; nam si, quod antea notavimus, seu *Augustino* loquens, seu cum *Ruffino* communicans *Prosper*, de fratribus conqueratur, qui S. Doctorem nimietatis postulabant, & qui eidem *occultis sed non incognitis susurrationibus obloquebantur*: quid eidem proclivius & convenientius, quàm eas obtrectationes coram refricare: quibus S. Virum impetierant, quando pro ejus doctrinæ defensione novâ methodo certamen instaurat? Quod etsi ita non esset, quorsum tamen, *Vir erudite*, hæc verba *Leoni* tuo convenire posse putares? anne talia laudis præconia ex ore eminentissimi Ecclesiæ Romanæ Diaconi congruè deprompta existimares, ut ille *Prosperum* nullo in Ecclesia gradu insignem, sed merè laïcum, nullisque adhuc operibus tantæ famæ fortasse paribus satis notum, inter suos & Ecclesiæ *Magistros* recensere, & ab *Augustino* primum statuere & prædicare voluerit? hæc certè, nec, te judice, *Leoni* tunc convenient; sed quàm propria & singularia sint ipsi *Prospero*, magis etiam persuadebunt simillimæ prorsus locutiones ab eodem usurpatæ, post aliquot ab emissis Capitulis annos elapsos: cum scilicet contra *Collatorem* scribens veteri querimoniâ stimulatus, in præteritas iterum voces erumpit, rursusque ingeminat: *non ambiguum est, quid de gratia Dei sentiant, qui* SINCERISSIMIS EJUS DEFENSORIBUS OBLOQUUNTUR. Hæc cap. 39. *Prosper*, contra eosdem, in Capitulorum proëmio designatos, pugnam instaurans, quæ vel retulisse, rem *luce* meridiana *clariùs* ostendisse est.

Quæ rursus ab eodem aliena judicat, quàm ipsi congrua, propria & frequentia?

Sed neque quid causæ remanere putamus, cur in conferendis utriusque styli convenientiis, satis & heic patentibus magis laboraremus? nam & fortè collationes illæ à nobis superiùs factæ fastidiosæ visæ erunt convicto saltem, ex prioris laterculi conspectû, lectori. Sanè ut pronum est ex saporis nostri affectû alienum metiri, ex hoc pluribusque aliis momentis de re persuasi, in hanc membrorum, verborumque commensurationem penè inviti descendimus; sed quia hæc jam inita erat via, & eo arrepto tramite confidebat *Vir doctus* in conqui-

siti Autoris notitiam rectà pervenisse, necessarium fuit, iisdem vestigiis inhærendo, clavos jam infixos revellere. Quo in decursu profectò tanta deinceps & tam gravia offenderunt, nec antea satis cognita, nec prævisa, ut nobis postulare visa sit instituti ratio ea omnia curiosiùs expendere; ne retractare cogeremur, quæcumque primis studiis fas fuisset absolvere. Eum autem finem, quantùm in modulo nostro est, ut exæquemus, quoniam nec ex stylo, nec ex accersitis à *Quesnello* rationibus, quid pro *Leone* aptari potuit satis validum, quod ritè eliquatum *Prosperi* juri non accrescat; id etiam superest, sed, ut videtur, leviori brachio excutiendum, si speciosior tandem sit occasio, quam idem scriptor *Leoni* prætexit, ut hæc Capitula ordinaret: in quo certè, aut omnes verisimilitudinis limites excessit (quod cum ejus venia dictum sit) aut omnem æqui judicii normam volentes, & scientes transilimus.

XXX. Aliæ pro *Leone Quesnelli* conjecturæ inanes prorsus & invalidæ.

Proponit igitur in suâ Dissertatione 3. num. 10. *Prosperum* in Romana legatione, quam obivit anno 431. hanc provinciam à Sede Apostolica suscepisse, *ut adversus* Cassiani *scripta stylum exereret, quem indicaverat* Cælestino *Semipelagianorum primipilum & libelli* de protectione Dei *Autorem*, tum post aliqua: *nec hoc solum* Cælestinus, *sed & scrinia Sedis Apostolicæ diligenter investigari jussit, ut quidquid inde ad repellendam presbyterorum illorum proterviam poterat inservire depromeretur, traderetur que* Prospero *Romam eâ de causâ profecto. Hanc provinciam* Leoni *cessisse, etsi ex styli ipsius charactere aliisque rationibus non probassemus, ex ipsius vel munere probaretur, Archidiaconi quippe erat scriniorum Ecclesiæ cura & administratio: hoc ex ejus officiis unum illic decreta Apostolica condere, illinc promere..... Ex his igitur memorialem indiculum contexuit Leo, quem &* Prospero *cum aliis ejusmodi scriptis tradidit, ut illi ad refellendas Massiliensium objectiones usui esset.* Hæc & alia similia adducit *Vir doctus* citatis locis, quæ ægrè quidem transcripsimus, & à diligenti scriptore dicta noluissemus, quòd non modò umbratiles conjecturæ, sed meræ prorsus videantur fabulæ. Ubi enim apparet uspiam *Prosperum* à *Cælestino* præpositum fuisse, ut contra *Cassianum* scriberet? ubinam illud exprimit Pontifex? ubi rem vel obliquè testatur *Prosper*? Quidni & in totius operis decursu, quod contra *Collatorem* emisit, nonnisi se privatum & nudi privatique hominis genio, licet publicis Ecclesiæ armis, ejus causam propugnare ubique prædicat? adeoque & autoritatem illam Apostolicam, quâ fretus

ſupponitur, multoties ſub tractatus finem ardentibus ſtudiis reclamat: quam ſi creditam tùm habuiſſet, quorſum eam altiori voce non exaggeraſſet? & quænam adverſariis validiora terricula objicere poterat, qui ſe tam addictos Apoſtolicæ Sedi diſcipulos profitebantur? Certè ſi hæc à *Cæleſtino* demandata illi provincia fuit, ſeriùs fortaſſis eâ defunctum eſſe, quàm tanta juſſio poſtulabat, facilè deduceretur ex anno, quo *Proſperiana* illa lucubratio prodiit, qui fuit ſaltem trigeſimus quartus ſupra quadringenteſimum, hoc eſt integro poſt acceptum mandatum evoluto triennio; &, ut graves ſunt conjecturæ, publicato *Vincentii* Lirinenſis Commonitorio. Sed hæc mox opportuniori loco penitùs exſufflabimus; jam, quæ ad Capitulorum collectionis occaſionem propiùs ſpectant, magis examinanda ſunt.

XXXI. Indiculum non potuit *Leo* contexere *Proſpero.*

Concedimus itaque Romanum Archidiaconum Scriniorum Eccleſiæ, ubi decreta Apoſtolica condebantur curam & adminiſtrationem geſſiſſe; at eâ de cauſa Romam abiiſſe *Proſperum*, vel è domo pedem moviſſe, ut earum conſtitutionum copiam haberet, quæ recenter contra Pelagianos promulgatæ erant, non capimus: Romæ autem moram feciſſe, ut earum *Indiculum contexeret* illi *Leo*, quo contra Maſſilienſes in Gallias repedans uteretur, nuſquam ſuadebimur. Enim verò cùm ex illis decem Capitulis ſeptem priora, quaſdam tantum Africanorum Conciliorum ſententias & Romanæ Eccleſiæ præſulum epiſtolaria fragmenta complectantur; quis inducere menti poterit *Proſperum* Maſſilienſium errorem tanto horrore execrantem, tanta aſſiduitate ad illos revincendos inſudantem, tantoque ſtudio clarum, ea quæ, ſpectante univerſo Orbe, tam recens facta erant, adeo ignorare potuiſſe, ut neceſſaria illi fuerit *Leonis* induſtria, ad eas breves ſententias in certos articulos redigendas? Quis hæc ſibi perſuadere volet de exercitatiſſimo viro, qui ab ipſis erroris exordiis, in eo refellendo, pugnis acribus & aſſiduis occalluerat; in quibus tamen alium mucronem ſtringere non poterat ab eo, quem tales autoritates ſuppeditabant? Hæc certè abſurdiora ſunt, quàm ut ulla ſui parte conſiſtant. Etenim id nobis conſtans certumque eſt *Aquitanum* noſtrum longè ante Romanam profectionem hoc prorſus autoritatum pondere adverſarios conterere cœpiſſe, ut jam prænotavimus, ex ejus ad quendam *Ruffinum* epiſtolâ, quem nobis quidem aliunde notum non eſſe fatemur: Sed ex multis (quod ad noſtræ difficultatis reſolutionem ſufficit)

perſpectum habetur datam ad eum epiſtolam memoratam, dum adhuc in humanis ageret *Auguſtinus*, hoc eſt ante annum 430. quo notatur ejus obitus. In eâ autem autoritatum in Capitulis contentarum pluribus mentionem habet, his verbis: *has autem verſutias quibus filii tenebrarum in ſimilitudinem filiorum lucis ſe transfigurare voluerunt, cum &* ORIENTALIUM EPISCOPORUM JUDICIA & APOSTOLICÆ SEDIS AUTORITAS & AFRICANORUM CONCILIORUM *vigilantia deprehenderint*: tùm paullò poſt hæc judicia refricat: *imo noverunt*, inquit, *non ſolum Romanam Africanamque Eccleſiam & per omnes mundi partes univerſos promiſſionis filios cum doctrina hujus viri* (S. Auguſtini) *congruere.* Quin & hanc Præſulum Romanorum & Conciliorum doctrinam cum *Auguſtiniana* per omnia concordem in ipſa noſtra provincia à multis ſuſcipi & defendi ibidem teſtatur: *In ipſis his locis*, ait, *in quibus adverſus eum querimonia concitatur, eſſe, Deo propitio, plurimos, qui ad perceptionem Apoſtolicæ Evangelicæque doctrinæ ſaluberrimis ejus diſputationibus imbuuntur*: Ecce tibi machinas omnes quibus diſjici diſſolvique poterat reſidui erroris compago, non ſolum *Proſpero*, ſed & ſuis notas & exploratas: at quibus aliis, quæſo, pugnatum eſt in Capitulis?

Qui longè antea omnes ejus ſententias & autoritates occupaverat & adverſariis ſæpiùs oppoſuerat.

XXXII. Quantùm in hac indiculi doctrina fundatus & exercitatus fuerit *Proſper*, ex aliis peremptoriè evincitur?

An ad ea proponet *Vir doctus*, notam quidem fuiſſe *Proſpero Pelagii* condemnationem in Palæſtinis & Africanis Conciliis latam, & ab Eccleſiæ Romanæ ſuffragio roboratam; at non item monimenta omnia, quæ ad ejus cauſæ cognitionem adhibita fuerant, æque illi perſpecta, vel ad manum fuiſſe; unde validiori conatû potuerit Pelagianas reliquias de medio tollere. Ad quid enim neceſſaria illi fuiſſet *Leonis* opera? At hæc alii dubitent vel contendant, ſed his elucidatis, eruditi *Queſnelli* mentem nunquam ſubibunt. Nam etſi potuiſſet ignorare *Proſper*, per quæ pugnabat, nunquid ita ſuum ignorare poterat *Auguſtinum*, ex cujus ore pendere & loqui, cujuſque ſenſus omnes imbibere ita cordi habebat inſculptum, ut nuſquam ab ejus lectione vacare ſibi licitum putaret; in qua velut in inſtructiſſimo armamentario quæque reperiri ſciebat, quibus poſſet omnes hoſtium conatus invictè reprimere? Quo ſtudio incenſus aliorum etiam mentes ad id excitare ſatagebat, ut laudata illius ad *Ruffinum* epiſtola ſatis teſtatur, in cujus fine eum tam efficaciter interpellat, ut *in cognoſcendis* B. Auguſtini *diſputationibus* curam impendat. Quid autem in S. Doctoris diſputationibus iſtis deſiderabatur, vel unde argumenta omnia Capitulis in-

texta decerpsisset, vel unde excerpenda erant citò citiùs edidicisset *Prosper*? Sanè si de prisca hæresi, vel disceptatione anterioribus Ecclesiæ sæculis exorta & Apostolico judicio terminata, quæstio rursus agitata foret, esto ut ad ejus Scrinia ad sententias explorandas recursus fuisset? at pro his reperiendis, quæ recentissimam hæresim sub *Innocentii* pontificatû ex ovo duntaxat ante annos circiter 18. emersam spectabant, non tam Romana, quàm cujuslibet Ecclesiæ Scrinia ad quorum Episcopos universos Pontificiæ epistolæ trànsmissæ erant, convenire oportebat: Africana autem decreta *Nostros* præcipuè ob regionum viciniam & opportunitatem nusquam fugisse poterant. Sed utraque hæc, plena manu, majorique compendio ministrabant ipsæ *Augustini* disputationes, in quibus vel incorporatæ sunt Præsulum Romanorum & Conciliorum nostrorum sententiæ & constitutiones, aut cum quibus saltem omnia hæc acta transmissa sunt. Tales profectò probantur esse, epistola ad *Paulinum* 106. item ad *Sixtum* postea Pontificem; tùm ad *Albinum* & *Pinianum* de *gratia Christi*: atque ad *Valerium* Comitem, *de Nuptiis* & *concupiscentia*, & aliæ ejusdem epistolæ, vel tractatus, quorum indicem copiosum suppeditabit ipse *Prosper* cap. 43. contra *Collatorem*, &c. in quibus vel in toto vel in parte extant autoritates in Capitulis expressæ, quas potiori jure ad *Prosperum*, quàm ad alios S. Doctor mittere solicitus fuisset; quòd in partibus nostris res Ecclesiæ majori in periculo versarentur, nisi & eas & alia ejus opera in studiosi Discipuli manibus esse pro certo habuisset: quod satis exprimit cap. 4. *de Prædest.* ubi de libris hujusmodi loquens ait: *nisi fortè fratres nostri non eos noverunt, quod si ita est, facite ut noverint.* Et quorsum id ex alio probari luculentiùs posset, quàm ex ipso jam relato epistolæ ad *Ruffinum* testimonio, ubi non solùm eundem remittit *Prosper* ad earum *Augustini* disputationum contra Pelagianos cognitionem, quòd ipsi incognitas non esse supponit; sed id etiam de se suisque expresè profitetur: *esse propitio Deo plurimos, qui* S. Augustini *saluberrimis* DISPUTATIONIBUS IMBUUNTUR, ET QUOTIDIE IN MEMBRIS CHRISTI DILATANTUR? At certè his *imbui* non poterant, quin autoritates Apostolicas ibidem tanta copiâ adductas, & tot argumentis exaggeratas edidicissent: Sed quæ aliorum memoriæ, *Prosperi* cujus ministerio & officio dilatabantur, cordi visceribusque ita altè inhæsisse, ac infixæ mansisse perinde convincuntur, ut qui posthac *Leonem* talia digessisse *Prospero* in

Ejus doctrinæ quasi scholas aperuerat *Prosper* in Provincia, ante Rom. legationem.

Gallias redeunti dubitaret, admitteret, haud dubiè ei data suggestaque fuisse illius doctrinæ capita, quorum supra omnes mortales scientissimus erat: quibus plures discipulos informaverat: quæque millies hostibus *Augustini*, suisque jam objecerat. Quod quàm absurdum sit, nemo non palpat.

XXXIII. Proëmii verba malè intellecta nativo sensui asseruntur.

Sed ex his liquidò perspicitur, quî intelligenda sint *Prosperiani* proëmii verba ab *Quesnello* in alienum sensum violenter distracta: *necessarium fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat judicarint.* Quæ enim seorsim spectata sedulam quadantenus in hac collectione adhibitam esse operam indicare videntur, antecedentibus, & his quæ consequuntur illigata rem aliter manifestant. Quia enim jam præmonitum erat aliquos seu imperitiâ seu pravitate in *damnatis hæreticorum sensibus* demorari, qui magistris, seu gratiæ *sincerissimis defensoribus*, ut ait alibi, quasi necessarium modum excessissent *obloquuntur*, & ideo ne incertis doctrinæ ventis variè circumferrentur, profitebantur *se ea tantummodò sequi & probare, quæ Apostolica Sedes, per ministerium Præsulum suorum, contra inimicos gratiæ Dei sanxerat:* ideo testatur *Collector* se, ut hos omnino revinceret, & à dubietatum omnium scrupulis satis quæsitis liberaret, diligenter, non collegisse, sed *inquisisse*, quid Romani Præsules de hâc hæresi judicassent. Quæ certè sufficienter demonstrant Autoris scopum unicum in eo fuisse, ut imperitis, aliisque pravitate agentibus probaret, se magnâ licet diligentiâ *conquisisset* quæcumque Ecclesiæ Romanæ Rectores de hac hæresi definierant, id solum tandem reperisse, quod hactenus circumferebatur, & omnibus pene notum esse poterat. At quoniam hoc consequi *Prospero* saltem ad manum fuit, in id intendit, omnemque industriam locavit, ut ostenderet ea, quæ ab Africanis Conciliis in hâc causa constituta erant, propria esse Romanæ Sedis dogmata, quæ utique *cùm probavit* propria sibi fecerat; quæ ipsissima est ejus assertio prælibatis immediatè subjuncta: *ita ut Africanorum Conciliorum quasdam sententias* (Apostolicis) *jungeremus, quas utique suas fecerunt Apostolici Antistites, dum eas comprobarunt.* Quod erat quidem maximum operæ pretium ut judiciis illis & sententiis, quæ variè contorqueri poterant & contorta fuerant, in Indiculum contractis & uno conspectû exhibitis, qui in aliquo dubitabant, & non nimiùm erant contentiosi pleniùs instruerentur, alii verò suamet confessione jugularentur. Et in eo quidem diligentia versari jactarique potuit,

quamlibet enim *Prospero* planus & facilis labor ille fuerit, pluribus etiam diligentiam suam contestari nil prohibebat, tales enim in similibus elocutiones usurpari quotidie intelligimus; dum, inter generales exceptiones ab aliquo coram allegatas, actor sagax, quantò prædamnatum ore suo reum subodoratur, eò magis se omnes adversæ repositionis fibras diligenter expendere velle promittit, licet hæc nullo studio refellat. Quæ certè majori apparatû jactabuntur, si res in publicum multitudinis judicium deducta sit, & qualiter profectò præsens causa transacta fuit, cujus magnam partem extitisse *vulgus ignobile* toties queritur *Prosper*.

Quâcumque igitur facie res inspiciatur, quamcunque in partem vertantur rerum circunstantiæ, & verborum sensus, id semper pro comperto magis exurget & *Prospero* in earum autoritatum collectaneis *Leonis* operam supervacaneam fuisse, & frustraneum prorsus Sedis Apostolicæ Scrinia ea ex occasione excutere, è quibus Pontificum Romanorum decreta assumeret adversus *doctrinæ Augustinianæ æmulos torquenda*, ut rursus aliis verbis ait *Vir doctus*; cùm ut dictum iterùm dicamus, hanc ipsam doctrinam longè antea in scrinio pectoris haberet insculptam, & ab disputationum initiis eam aliis commendare & quacunque occasione velut ex proprio depromere non hæsisset. In his itaque omnibus *Prosper* non ex aliena, sed ex sua aquam cisterna bibebat, è cujus fluentis latè alii suos ad usus haurire poterant, quin ad ea quæ in suo copiosè habebat, vel *Leoni*, vel ulli uspiam molestus esse posset. Quòd si nihilosecius & huic Scriniorum Ecclesiæ curam gerenti Diacono (contra jus fasque dixerim) operam in quæstione positam accommodare magis placeret; id una necessariò deglutire consequens esset, *Leonem* quid tale concinnare parantem has omninò locutiones, has voces, has explicationes, & consectaria, quanta illi insunt, ex libris, ex dictionibus, ex formulis, centonibusque *Prosperi* consuisse, & tanquam micas de mensa humiliùs collegisse, quàm fortè tanti Ecclesiæ ministri personam & dignitatem deceret. Sed cùm etiam, his devoratis, urgeant iterùm, recurrantque insuperabiles difficultates jam deductæ & mox latiùs tertiâ Dissertatione deducendæ rationes, ob quas eliquatissimum fiet, *Leonem*, incolumi famâ, nomineque, his se disceptationibus immiscere ab initio nequaquam potuisse, hæc nec veriùs, nec securiùs, nec convenientiùs in tantis angustiis ex adverso prementibus,

XXXIV. Conclusio.

resolvi controversia valebit, quàm si ad Jure-consultorum sententiæ normam conclametur: QUI TENET TENEAT, POSSESSIO VALEAT.

Altera inquisitio & operæ nova partitio.

Sed alia quæstio ex hoc etiam judicio movetur: si nempe Capitulorum sylloges ex quadam Apostolica Sedis autoritate emissa fuit? quod & censuimus, brevique ex quibusdam rationibus & conjecturis firmare destinabamus. At cùm moneat opportunè *Vir doctus* in *similibus probationes probationibus cumulandas esse*; ipseque alia minora præjudicia attigerit, quæ jam stabilitis rebus nostris licet non officiant, quia tamen vel nulla, vel saltem minùs certa sunt, ea etiam in examen adducere, ideo magis necessarium existimavimus: quòd si semel elevata essent, non solùm ex eorum ruinis nostra plus solidaretur sententia, quàm ex iis omnibus quibus eam extra controversiæ aleam locasse confidimus; sed etiam quæ ex conjecturis fermè probanda supererant, pro compertis & indubitatis deinceps habenda essent. Ergo si nihil de partis, aut servatis jam rebus deperdituri aliis compendiis adjungendis tutò vacare possumus, quid grave loco, sed, ut putamus, indebito, movere tentabimus; unde nisi in cassum conatus redeat, multa sub hâc mole consepulta, vel de novo manifestabuntur, vel fortè, ut majorem in lucem prodeant, perspicacioribus & valentioribus incitamento erunt. Quod alterutro modo si contingat, punctum retulisse nobis gratulabimur: Sed cùm præter expectationem residuum operæ plures paginas occupare debeat, & *vir doctus* in bicipiti sua de hoc argumento Dissertatione, viam nobis ad quid simile fregerit; ut alternis quodammodo respondeamus, novum probationum genus, nova itidem distributione auspicabimur.



PRIMÆ



PRIMÆ DISSERTATIONIS

PARS SECUNDA.

IN hac ſecunda parte, in qua alterum propoſitionis noſtræ membrum firmandum venit, quo *Capitula*, ex quadam Sedis Apoſtolicæ juſſione, vel aſſenſu, à *Proſpero* publicata eſſe cenſuimus, licet plures habeamus qui nobis obluctentur, non deſunt tamen alii, qui ſententiam noſtram velut fundatiſſimam tueantur. Et rationes conjecturæque pro ea multæ faciunt grauiſſimæ, quæ haud ſcio an etiam ex eo autoritatem mutuari poſſent, quòd antiqui Canonum collectores, ut notavimus, Capitula noſtra *Cæleſtini* opus eſſe putantes, hanc probabiliſſimè perſuaſionem induerint, quia id ex aliqua Romanæ Sedis autoritate prodiiſſe jam inaudierant, Quæ forté omnium antiquiſſimi *Dionyſii* Abbatis fides fuit: hanc autem in opinationem abiiſſe *Hincmarum* Rhemenſem, vir *quidam* eruditus colligi poſſe putat ex laudati ſcriptoris verbis lib. *de non trina Deitate*, ubi allegat: *decreta* Celeſtini *Papæ, ex cujus delegatione B.* Proſper *hinc exortam hæreſim per autoritatem ſcripturarum & doctrinam* B. Auguſtini *compreſſit & revicit in Galliis.* Quibus ex verbis *Queſnellus* qui nobis tale viri eruditi judicium propoſuit, hæc habet: *Suſpicionis ejus autor inde latiſſimum excogitavit diſcrimen inter opera, quæ, privato Catholicæ doctrinæ propugnandæ Zelo, per ſemet agreſſus eſt* Proſper, *& eam quaſi fidei formulam in* Capitulis *expreſſam, quam ab eodem, Pontificis Romani vice ac delegatione, conſcriptam putat. In illis videlicet, quaſi liberiori ingenio & calamo indulgentem abſtractiores quaſcumque de gratia & prædeſtinatione quæſtiones fuſiùs expendiſſe, in hac vero perpauca, eaque omnibus penè obvia vix attigiſſe; ne ab ea brevitate, quæ fidei profeſſionem docet maximè, longiùs diſcederet.* Hæc *Queſnellus* ex viri docti, ſed innominati ſenſu profert, quem tamen nil laudis ejus fugere debet, quam meretur ſententia, in multis ſaltem, nec levis, nec contemnenda. Non tamen per ſingula illius capita, nec in ea quæ his repoſuit laudatus relator nunc ire licet; quanquam & quid gravius colligi poſſe nobis ſuadeamus ex poſte-

I. An *Capitula* ex quodam Sedis Apoſtolicæ conſenſu prodierint? Et quo ſenſu id poſſit induci?

Cujuſdam *Eruditi* hac de re judicium.

Queſn. Diſſ. 3. *Par. n.* 3.

riori *Hincmari* opere contra *Gothescalcum*. Hæc siquidem eo solum fine retulimus, ut in anteceſſum conſtaret, non longè ab antiquorum ſenſu fuiſſe, quin hæc *Capitula Proſperi* genio, & curis, ex Sedis Apoſtolicæ juſſu, emiſſa ſint; eamque ſaltem eſſe viri eruditi exiſtimationem, quòd non aliam operam in mente habuerit *Hincmarus*, cùm jam relata verba repoſuit: licet poſtea aliter ſentire potuerit.

Adverſans, *Queſnelli* ſententia arbitrantis omnes *Proſperi* libb. ex Apoſt. Sedis juſſu emiſſos.

At qui eam viri eruditi opinationem exponit *Leonis* illuſtrator, hanc continuò diluit, *quòd*, inquit, *ea quæ de delegatione* Proſperi *trahuntur ex verbis* Hincmari *ad iſthæc* Capitula *non ſatis firmo nituntur fundamento*. Ejus autem pro eo rationes iſtæ ſunt: *quia etſi in confeſſo eſt* Proſperum *à Sede Apoſtolica delegatum eſſe ad propugnandam Eccleſiæ Catholicæ de gratia Chriſti doctrinam, nimis tamen conſtringitur iſta delegatio, ſi ad pauca hæc breviſſimaque* Capitula *fuerit coarctata: cùm ex ipſo* Proſpero, *in præfatione reſponſionis ad objectiones* Vincentianas, *longè plura ab eo diſcamus eſſe conſcripta adverſus gratiæ inimicos*, ex mandato Sedis Apoſtolicæ, *atque adeo hæc ipſa in quibus profundiores quæſtiones ventilaſſe dicitur: ita ut penè certum ſit quidquid Scriptorum de gratia evulgavit ſaltem poſt Romanam profectionem, id omne ex Pontificum præſcripto ab ipſo editum fuiſſe, & quaſi* FIDEI PORTIONEM *aſſertas ab eo eſſe propoſitiones illas, quas libris ſuis adverſus Semipelagianos defendit, ſic enim ſcribit in præfatione ad reſponſiones Vincentianas:* propoſitis ſingillatim ſedecim Capitulis, ſub unoquoque eorum ſenſus noſtri & fidei, quam contra Pelagianos ex Apoſtolicæ Sedis autoritate defendimus. Plura non refert ex *Proſpero*, cujus adeoque ſenſus ſuſpenditur mox redintegrandus. Hinc pergit: *ex quibus verbis evaneſcit diſcrimen* Proſperi *nunc privatim, nunc publicè, nunc ex proprio ingenio, nunc ex autoritate Sedis Apoſtolicæ pugnantis* &c. tùm poſt aliqua: *Deinde ad* Hincmarum *quod attinet, nec in eo quidem loco qui profertur delegationem* Proſperi *ad iſta Capitula refert*.:.:.:.:.:. *de his enim ſolis opuſculis loquitur* Hincmarus, *in quibus* Proſper *hæreſim per autoritatem Scripturarum, &* B. Auguſtini *doctrinam revicit ac compreſſit in Galliis. At nullo è Scripturis, nullo ex Auguſtini doctrinà ſumpto argumento, pugnat autor Capitulorum*, &c.

Id eruere contendit ex ipſis *Proſperi* verbis.

Quod de poſtremo quàm verum ſit, oſtendunt duo integra *Capitula* ex ſancti gratiæ defenſoris doctrina, ad purum expreſſa: ſed & in his non deſunt Sanctæ Scripturæ autoritates, uti nec in præcedentibus, quæ ex aliorum licet teſtimoniis adducantur, non minùs propriè tamen dici poſſet autorem his ſi-

milibusque usum, per earum autoritatem quid effecisse.

Sed ut ut sit, constat heic *virum doctum* & majora offerre quàm volumus, & minora præripere quàm nollemus. Dùm enim potestatem & munimen Apostolicæ Sedis ad omnes *Prosperi*, post Romanam profectionem, scriptiones extendit, excessum suspicamur: dùm verò hanc ad colligenda *Capitula* delegationem *Prospero* communicatam esse, adductis à se momentis, negat, defectum timemus. Et ultrò quidem in confesso nobis est eò rem adigi, ut si responsiones *ad Vincentium*, vel alios, ex Romanæ Sedis præscripto factas esse prævaleat, imminuatur rationum robur, ob quas *Capitulorum* Indiculum ex Romanæ Sedis autoritate vel assensu prodiisse credebamus, adeoque & penè evanescere quodcumque præsidii ex *Hincmariano* loco erui poterat. At si, vice versa, nec responsiones illas nec alia *Prosperi* opera ex hac delegatione conscripta esse, vel in dubium adduceretur, vel convinceretur; id vicissim pari gradu, vel probabilius, vel omninò certum exurgeret, præfata *Capitula* illa esse, quæ hâc prærogativâ, super alias omnes *Prosperianas* lucubrationes, decorata sunt. Arduum molimen & fortè temerarium alii putabunt, cujusque *sub pondere* non potest, ut aïunt, *non gemere cymba*, cùm non adversus *Quesnellum*, sed adversus ipsum *Prosperum* certamen instaurandum videatur; & quo dicente: se *contra Pelagianos* responsionem ad *Vincentium* parare, omnes reverenter auscultare, & nil ultra inquirendum habent. At & hoc quorsum plumbei non admitteremus? Sed in quæstionem adduci potest, utrùm ita clarè & absolutè *Aquitanus* noster elocutus sit? Agamus igitur, & per omnia diligenter rem expendamus, è quâ tanta pendere debent. Primùm itaque *Augustini* Discipuli verba iterum reddamus; sunt autem hæc: *Propositis singillatim sedecim capitulis* (*à Vincentio* oppositis) *sub unoquoque eorum sensus nostri, & fidei, quam contra Pelagianos ex apostolicæ Sedis autoritate defendimus*, quid ultra? *Verba ponemus*: quæ duæ voces à *Viro docto* non exhibitæ, uti membro integritatem, ita fortè sensum restituent. Sed minùs ad illum pertinere referenti visæ sunt, quòd pro certo haberet præfatam responsionum ad *Vincentium* operam his necessariò connotari: non tamen res tam in aperto posita est, primo enim intuitu saltem, incerta apparet, propter ambiguitatem verbi, *defendimus*; quod cùm præsens æquè ac præteritum tempus designet, tam etiam tunc prodeuntem, quàm olim emissam operam indicare potest. Igitur ex aliis interpretatio illa elucidanda

II. In recto verborum *Prosperi* sensu vertitur quæstionis summa.

Redduntur iterum ejusdem verba & integrantur.

est, quam nonnunquam dubiam admodum & obscuram, sed & alii mecum plures quos ad id postremùm conveni, censuerunt; in eam tamen magis propendentes sententiam, quæ non præsentem, sed aliàs datam scriptionem significare putabat: tam *sunt tot sensus, quot capita.* Imò nec ab ea tam alienus est *Vir doctus*, nam dum Sedis Apostolicæ suffragium omnibus *Prosperi* libris communicat, etiam præteritum tempus intelligere potest, & verè intelligit, si huic contra *Vincentium* alii præiverunt tractatus.

III. Ex his verbis facilè induci potest *Prosperum* ex Apost. Sedis delegatione non scripsisse contra *Vincentium.*

Quidquid sit hæc olim leviter, cursimque agitata, nunc, quod res postulabat, in prolixius & eliquatius examen revocata cùm primùm fuerunt, in id facile adductus sum, ut nisi certum, certo saltem proximum crederem, *Prosperum*, non tùm emissam contra *Vincentium* defensionem, sed aliam antea *ex Apostolicæ Sedis autoritate* datam adductis verbis indigitare voluisse. Quæ autem me in id momenta pepulerint, hæc prorsus & non pauca sunt, an valida? æquus Lector, cujus judicio universa suppono, pro sua sapientia, definiet. *Primò* itaque id induci posse putavi quia *Prosper* dum sibi proponit *Vincentii* objectionibus respondere, non *Pelagianos* impositorum sibi mendaciorum postulat, sed *quosdam* è suis *Christianæ caritatis oblitos* de his culpat; ut hos præcipuè non *Pelagianos* revincere haberet in mente, adeoque non fidem suam *contra Pelagianos* defendere tùm contestari debebat.

Rationes in id multæ.

Secundò Ad id operæ se accingere profitetur *ad calumniantium animos mitigandos*, quos ex adverso magis in sui odium concitasset, si mox eosdem probroso *Pelagianorum* nomine perculisset.

Ex mera occasione scripsit.

Tertiò Quorsum potuisset *Prosper* has responsiones ex Sedis Apostolicæ præcepto contexere, quæ merâ ex occasione simul ac objectiones publicè privatimque, ut ait, *circumlatæ* sunt, pariter publicam in lucem prodierunt?

Quartò. Ad eas objectiones reponere tam parum in mandatis datum illi fuisse videtur, ut è contra se in proëmio dubium, perplexumque satis esse testetur, in ejus defensionis genere, quo adversariis responderet; ait enim: *quæ falsò in nos jactari facilè & sufficienter subscriptione unius probaremus Anathematis, nisi malignitas eorum ipsam Subscriptionis nostræ brevitatem suspectam esset habitura.* Quibus nihil expressiùs proferre poterat *Aquitanus* noster, ut ostenderet, significaretque hanc suam lucubrationem, suo prorsus genio, suo consilio, motûque proprio suscepisse & publici juris fecisse.

Quintò. Idipſum egregiè confirmant verba immediatè ſequentia: *niſi malignitas eorum qui ſe gravari putant*, &c. *unde ne ejus querelæ inveniatur occaſio, neceſſarium convenienſque credidimus, ſive ad calumniantium animos mitigandos*, &c. Ex his enim perſpectius fit etiam *Proſperum* non niſi privatum hominem ſeſe reputare; quique nec publicæ nec peculiari delegationi adſtrictus, ſed liber ſuique omnino juris, famæ ſuæ iniquè laceratæ, eo meliori, & compendioſiori modo conſulit, quem ſuadent temporis & perſonarum circunſtantiæ. At alia profectò neceſſitas ſedulitaſque incumbebant viro alienam dignitatem & potentiam omnium maximam tueri juſſo, cui nuſquam licebat rem in deliberatione ponere; ſed omni depoſitâ cunctatione, omnibus ſtudiis & elato vexillo pro oppugnata Eccleſiæ fide, ex ejus juſſu, illi pugnandum erat.

Ubique privatum ſe hominem & privatam cauſam agentem exhibet.

Sextò. Si magis privatum hominem conſiderare juvat, hæ etiam quæ conſequuntur elocutiones expendendæ ſunt, ita enim privatæ ſuæ cauſæ defenſionem perſequitur: *ut qui paululùm ſe ad hæc legenda*, reſponſa ſua, *dignati fuerint occupare evidenter agnoſcant impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus noſtris inhæſiſſe veſtigium.* Heic certè in medium prodit non Legatus Apoſtolicus, ex inſerendis reſponſionibus Eccleſiæ fidem defendere, & dogmata ex ejus commiſſione definire parans: heic, inquam, non ſe talis, ac tantus homo manifeſtat, ſed is prorſus tantùm, qui ita *ſenſus ſui* & *fidei rationem* reddere ſatagit, ut obtrectatoribus ſuis tandem appareat, *nullum impiarum profanarumque opinionum inhæſiſſe veſtigium:* hùc unicè collimat iſte, id ſolum intendit, illius ergò duntaxat ſtylum acuere propulſus fuit; & ſi id tandem ſua ex profeſſione conſequatur gravioris moleſtiæ ceſſationem perorat.

Clarius illud fit ex aliis Autoris locutionibus.

Septimò. Cum ei operæ robur & omnimodam autoritatem Apoſtolicæ Sedis delegatio præſertim aſſereret, non videtur cur omiſiſſet *Proſper* de ea veluti potiori præſidio, tùm heic pluribus explicatiùs præfari, tùm quando ad *Gallorum* objectiones in nullo fermè à *Vincentianis* diſcrepantes, sed eodem ſenſu fineque digeſtas, reſponſionem paravit. Tunc enim prætextâ autoritate potens factus erat. Sed heic gravis occurrit ſcrupulus, aut fortè nuſquam oppoſitus, aut, quod ſciam ſaltem, non evulſus; an ſcilicet *Vincentii* objecta aliis præluſerint? certè ut *Vincentiana* objecta cum ſuis reſponſionibus, aliis præluſiſſe crederem hæc fecerunt. *Primò*, quia *Proſper* in *Vincentium* ſuoſque, quàm in alios vehementiùs invehitur, quod

IV. Quæſtio incurrens an priùs contra *Vincentium*, quàm adverſùs *Gallos* reſponſa emiſerit Proſper.

arguit tùm primùm ab illis, calumnias hujusmodi passum. 2. Si *Gallorum* objectiones priùs emissæ fuissent, ut diù anceps fuit à *Vincentianis* appetitus, quorsum eos repelleret, mendaciaque ab illis reposita confutaret; quod interdum *unius anathematis subscriptione probare* deliberasse notavimus, convenientiùs & efficaciùs adversarios ad responsa priora *Gallis* data remisisset, quæ rem omninò conficiebant. 3. In proëmio contra *Vincentium* de *Diabolico Indiculo* quod circumferebatur, querelam movet, at in aliis ad *Gallos* conqueritur de *brevium Capitulorum Indiculis*, unde satis indicat se ad alterum etiam respicere, qui præcesserat. Quod si ita est & hæc prima responsio ex Romanorum Pontificum, seu *Apostolicæ Sedis autoritate* edita fuit, ut alii contendunt, id etiam fateantur necesse erit, *Prosperum* partâ jam victoriâ insigniter abusum; cùm easdem recoctas à *Gallis* recantatasque calumnias, &, ut alibi ait, *doctrinas in suis adhuc detruncationibus palpitantes*, eas ipsas securi jam ad radicem appositâ, non succidit. Id uno verbo calumniatoribus notum faciens, has similesque objectiones jam Apostolicæ sententiæ gladio transfixas: sibi suoque *Augustino* opponi deinceps non potuisse; quin primæ Sedi, cujus autoritate revictæ fuerant, temerariè & impudenter oblatraretur. Sed his uti scium, usumque jam egregiè fuisse compendiis *Prosperum*, satis superque ex ejus operibus compertum habemus; ubi quidquid Romanæ Ecclesiæ autoritatis speciem præfert, diligentiùs præripit & instantiùs urget, quàm ullâ nostrâ exaggeratione satis testaremur. Quod argumentum ex hypothesi, istius tamen certitudinem, vel probabilitatem non excedens, ita ex sequenti facto ineluctabiliter instauratur.

Quid inde in rem statui possit?

V. Neque contra *Collat.* sc ipsit *Prosper ex autoritate Sedis Apost.*

Octavò, Tractatus *Prosperi* contra *Collatorem* ultimum opus est, quod contra *Massilienses*, suo saltem nomine, lucem vidit, posteriorque haud dubiè responsionibus ad *Vincentium* & *Gallos*, quod vel ejus peroratio convincit, ubi dum ait: *Donec Dominus per Ecclesiæ principes, ... quæ per paucorum superbiam & quorundam imperitiam sunt turbata componat, nobis, Deo juvante, sit studium quieta modestaque patientia, odiis dilectionem reddere & ineptorum vitare conflictus, veritatem non deserere nec cum falsitate certare*, &c. dum, inquàm, hæc habet, satis indicat horum se colluctationes jam expertum, nolle deinceps istiusmodi ineptis querelis reponere. At si istæ contra *Vincentium* ex Apopostolicæ Sedis jussione digestæ erant responsiones, quomodo potuit *Aquita-*

nus in conſequenti opera ſua de his omninò ſilere, nullumque ex earum autoritate argumentum depromere, quæ tantùm cauſæ ſuæ definitioni conducebant? Id certè ſæpiùs præſtitit quoad *Capitula*, quorum iiſdem terminis quandoque, ſed eodem ſemper ſenſu ſententias aſſumit; quid igitur feciſſet, quominùs reſponſionum iſtarum pari prærogativa inſignium, ſed & multò explicatiùs Eccleſiæ ſenſus declarantium præſidio uſus fuerit? An opponetur opus itidem contra *Collatorem* ex eodem Pontificum aſſenſu elucubratum eſſe? At & de eo præfari non modò conveniens, ſed neceſſarium erat, quemadmodum ideo præfatum eſſe volunt in proëmio opuſculi contra *Vincentium*: iſtiuſque in alio & mentionem & uſum facere cauſæ dignitas & periculum æquè poſtulabant. Quòd ſi verè ex Apoſtolica delegatione contra *Caſſianum* ſtylum exeruit *Proſper*, ſi adverſus alios hoc generali mandato communitus dimicavit, quorſum romphæa illa ſemel armatus eam in omnes & ubique, majori ejus commendatione, non ſtrinxit? aut quorſum contradicentium pervicatiâ quaſi exterritus ſilentio ſibi impoſito errorem immaniter confovere ſtatuiſſet, poſt editam reſponſionem contra *Caſſianum* (ut explicatè ſub ejus finem teſtatur) cùm è contra protractione pugnæ tantis auſpiciis initæ naſcens monſtrum faciliùs ſuffocare poterat. Sanè reſponſio contra *Vincentium* ex fortuito objectionum caſu peracta, hanc rectè indefinitam poteſtatem *Proſpero* commiſſam induceret, ad proditurus è cujuſcumque penu, contra Dei gratiam & *Auguſtini* doctrinam, ſcriptiones: at quî hæc generalis & interminata facultas cum delegati obſervata quandoque perplexitate, exceptaque illius omnimoda ad defenſionem illam libertate conciliari poteſt? aut quorſum coïre tanta communicati juris prærogativa, cum ea, quam veluti omni deſtitutus auxilio, implorat, reclamatque Sedis Apoſtolicæ protectione, in ipſo adverſùs *Collatorem* libro, quem illius juſſû digeſtum ſupponunt? Sed ex multis rationibus eruitur.

Nonò, Si Sedes Apoſtolica hanc provinciam *Aquitano* noſtro commiſiſſet, ut *Caſſiani* libros refelleret, quandam ſocialis belli ſpeciem indixiſſe convinceretur; cùm eodem tempore, eodemque ore, iidem ipſi qui Romanam Eccleſiam adminiſtrabant *Cæleſtinus* & *Leo* illius Diaconus (quem nocentiſſimo Hæreſiarchæ *Neſtorio*, *Caſſianum* Maſſilienſem objeciſſe omnes ſciunt, ut ſcriptis ſuis nefandos ejus errores reprimeret) hunc ipſum de Eccleſia tam benè meritum, perhiberentur, mox Et ex aliis inconvenientibus prorſus evincitur.

Leo sociale bellum indixisset inter Cassianum & Prosperum.

acerrimo adversario *Prospero* tradidisse oppugnandum & exagitandum. Quâ ratione illud tandem portentum exurgeret, ut quos mater & magistra omnium pientissima filios & insignes fidei domesticos est complexa, eosdem suscitavit ut invicem *morderent*, suoque & infirmorum dispendio abinvicem *consummari* periclitarentur. Quod certè quàm à recto & decoro alienum, tàm ab Apostolicæ Sedis ejusque sanctissimorum moderatorum mente remotissimum censeri debet. Quot enim antea necessaria caritatis monita præcessissent? quot suasiones, consiliaque *Leo* amico *Cassiano* suggessisset? quot & quanta officia potiùs impendisset, quàm *Prosperum* contra illum armasset? quòd si aliquando præstitum, id altiori voce præmonere incumbebat certamen ineunti, & ad majorem causæ publicæ defensionem, & ad eorum obtrectationem prævertendam, qui Romanæ Ecclesiæ Rectores ex tam inopinata immutatione criminari poterant. Quod certè in *Viri docti* existimatione prævalere debet, sentientis utique Cassianum *sive* Prosperi, *sive* Leonis *victum scriptis ad saniorem jam tunc mentem rediisse*, quando ipsum *Massiliensium* antesignanum *Nestorianis* opposuit idem *Leo*. Quæ mox explodemus.

Diss. 1. an. 432.

VI. Ex ratione temporis:

Decimò Vix assignari poterit tempus, quo hæc delegatio *Prospero* data fuerit, ut contra *Vincentium* reponeret; nam si commissa est à *Cælestino*, cùm *Prosper* & *Hilarius* Romam adierunt, id semper recidit, cur & ad omnia ampliata non fuit? at luce clarius ostendimus hanc facultatem ad sequentia opera non extensam. Si post reditum facta asseratur, reclamat autoris protestatio, quâ responsionem ex occasione emissam declarat: officitque Pontificis obitus, quem hoc ipso tempore redditarum ejus literarum contigisse jam notavimus. Si autem potestas hæc à *Sixto* ejus successore facta illi dicatur, quorsum illam tam effusis studiis implorare posuit in *Cassianum* dimicans? sub tractatus enim istius finem hæc altè validèque contestatur: *confidimus Dei protectione præstandum, ut quod operatus est in* Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Cælestino *operetur* & *in* Sixto: *& in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.* Quæ vel sola satis evincunt *Sixtum* hactenus saltem ab hujus causæ cognitione abstinuisse.

Et personarum seu actorum religione cumulatiùs roboratur.

Undecimò Graviter præterea urget, quòd ex omnium suffragio, ea erat adversantium *Prospero* pietas & professio, quæ non patiatur, vel suspicari, eos tam fuisse sui impotentes, ut virum

rum Apostolicæ Sedis delegatione clarum & commendatum, non modò durioribus probris & calumniis excipere, sed vel ullis scriptis provocare ausi fuissent. Illi enim siquidem, qui tam altè profitebantur: *se ea tantummodo sequi velle, quæ sacratissima B.* Petri *Sedes contra inimicos gratiæ* Christi *per ministerium Præsulum suorum sanxerat & docuerat*, &c. longè magis ultrò eum reveriti fuissent, cui tale tantumque ministerium creditum esse rescivissent, vel etiam dubitassent.

Duodecimò, Si hæc contra *Vincentium* opera, nec ex antecedentibus, nec ex consequentibus uspiam Apostolico Legato conveniat, vix ac ne vix quidem, ex iis quibus adstruitur verbis, sensus ille induci potest, quæ tertiùm exhibeo, imò & ad meam tarditatem utcumque juvandam, ad pedestrem & grammaticalem, quam vocant, constructionem sic integrè reduco: *igitur propositis singillatim sedecim Capitulis* (ab adversario emissis) *verba ponemus, sub unoquoque eorum, sensus nostri & fidei, quam defendimus contra Pelagianos, ex autoritate Sedis Apostolicæ.* Hæc sunt versata vexataque *Prosperi* verba, quæ si ad lucubrationem tùm datam referuntur, quænam illius, quæso, cohærentia reperietur, cum causâ rebusque *Pelagianorum*, quos totius Ecclesiæ conclamatio prædamnaverat? aut quæ premere ratio poterat virum à fratribus suis lacessitum, *sensum* suum & *fidem contra* Pelagianos *ex Apostolicæ Sedis autoritate defendere*? quæ nisi pugnant nonnisi saltem fictitio & violento circuitû connecti possunt. At è contra ex hoc orationis contextû, planus iste & apertus intellectus oritur: quòd scilicet vir per summam calumniam *prodigiosorum mendaciorum & blasphemiarum* postulatus, ut ait, à *quibusdam Christianæ ac fraternæ caritatis* oblitis, ad eos *mitigandos vel instruendos*, sub unoquoque capitulo sibi falsò asserto verba reddit sui casti *sensus*, rectæque *fidei, quam ex Apostolicæ Sedis autoritate* nuper defenderat. Quid his tritius & complanatius? voces enim illæ: *verba ponemus*, à P. *Quesnello* prætermissæ velut sensui extraneæ, illum ita elucidant, perficiuntque, ut summam & necessariam cum antecedentibus connexionem inducant: namque quòd *sensus* sui *& fidei quam contra Pelagianos defendit*, *verba* positum ire testetur, per se satis versatum olim de hoc argumento tractatum, non præsentem, vel inducit, vel demonstrat.

Idem ex *Prosperi* verborum sensu magis elicitur

Decimo-tertiò, Denique argumentum omnium, quod videtur, efficacissimum iterùm suppeditat illa ipsa quam 1. Dissert. p. satis, exaggeravimus *Prosperi* contestatio, quâ contra *Collatorem* dis-

VII. Peremptoriè postremùm evincitur ex

ipsa adversariorum hypothesi.

putans ad omnes *Augustini* libros *Cælestini* commendationem propagatam esse tam acriter tuebatur. Ex hac enim, pro quæstione penitus dirimenda; quid gravius nunc offendimus. Siquidem si jam ex Apostolicæ Sedis autoritate contra *Vincentianos* decertaverat, quando adversus *Cassianum* stylum exeruit hic *Noster*, istud pro sui *Augustini* doctrinis solenne, obfirmatumque præjudicium retulit, ut quidquid in ejusdem Magistri scriptis *Nostri* reclamabant haud Apostolico suffragio roboratum, ipse ex adverso falsissimum demonstrare promptum, & ad manum habuisset. Nam ad hæc quæ excipiebant *Cælestinianam* in S. *Augustinum* laudationem *pro anteriorum librorum meritis* esse collatam, &c. ut quid necesse erat *Aquitano* tanto studio & contentione reponere: *Apostolica Sedes quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, & quod judicio jungit laude non dividit*, & quàm alia plura! Circuitio enim illa omnium judicio censeretur inutilis, cui hæc compendiosior strata jam erat via; quòd scilicet cùm posteriores Doctoris gratiæ libri, nonnisi prædestinationis mysteria haud satis hactenus explicata constabilirent, hæcque eadem ad integram *Augustini* mentem ex Apostolicæ Sedis autoritate nuper certè defendisset contra *Vincentium*: non illi deinceps qui sic obloquebantur, & his frivolis exceptionibus colludebant, non illi, inquam, tam *Augustini* obtrectatores, quàm uti Religionis perduelles traduci poterant; quippequi relatas in canonem *Prospero-Augustinianas*, ut ita loquar, sententias, seu ut *Quesnellus* vocat: *quasi Fidei portionem* sic temerabant, aut oppugnabant. An tùm ignorasset exercitatissimus palæstrites *esse eadem uni tertio, quæ sunt eadem inter se*, aut hæc ita callens, quamobrem adversus *Nostrates* non perursisset? hoc que irrefragabili argumento perpetuum cunctis silentium inducturus viriliter replicasset. Quæ contra *Vincentium* de prædestinatione dogmata tradidi *ex Apostolicæ Sedis autoritate defendi*: at dogmata ista ipsissima sunt *Augustini* placita, & ex ejus postremis libris ad purum expressa: igitur, &c. Minor certa & evidens erat: major ab adversariis pro clara & inconcussa ponebatur. Quid ergo utrinque expeditius, magisque obvium! Quæ tamen si *Prosperum* fugerunt adeo in omnia intentum, ut hanc Magistri sui doctrinæ commendationem coaptaret, impotentissimus sanè causæ suæ defensor fuit, imò & eò usque sui immemor, ut quod rebus ex suis omnium maximum oppignerare sibi judicium poterat, aliò oberrando in cassum penè pugnare, & determinatam jam causam in incerto po-

nere præduxerit. Quod nullus, cujus mens læva non fuerit, de perspicacissimo viro, sibique semper simillimo concipere poterit.

Jam puto illud evicimus & multis evicimus *Prosperi* opus, quo contra *Pelagianos* fidem defendisse significat, nullo modo, nulla ratione, nullo sensu intelligi posse responsionem contra *Vincentium*, adeo ut ad aliam prorsus diversam ejusdem scriptionem, verba illa necessariò referenda sint, quam sanè distinctè secernere operæ prætium erit. Et inter eas quidem quæ extant: sed & quasnam, hujus argumenti saltem, excidisse certò proditur? inter eas utique, jam satis superque probatum est, neque responsionibus *ad Gallos* tale testimonium aptari posse, neque libro *contra Collatorem*; nam de responsis *ad excerpta Genuensium* nulla dubitatio oriri potest, cùm ista ad privatam duorum presbyterorum eruditionem composita sint. Denique si rectè illi abjudicentur libri *de Vocatione Gentium* & Epistola *ad Demetriadem*, quæ probatissimis quamlibet indiciis restituta opera nunquam ex Apostolicæ Sedis autoritate prodiisse judicabuntur, nulla nostri Doctoris elucubratio superest, præter Carmen *de Ingratis* & Expositionem *in quinquaginta Psalmos*, aliaque opuscula, nullo hujusmodi charactere insignita: taceo enim de aliis quæ falsò sub ejus nomine circumferuntur & alia omnino argumenta tractant. Ut fidem itaque *Prosperi* liberemus, aliud ultrò inquirendum est opus, quod *ex Apostolicæ Sedis autoritate* concinnare potuerit; at non aliud uspiam occurrit ab illo *Capitulorum Indiculo* seu, autoritatibus *de Gratia Dei*, quod omnis fermè ætas & omnium penè scriptorum consensio eidem vindicarunt. Quod sanè judicium post excussas præcipuè *Quesnellianæ* sententiæ, verborumque *Prosperi*, quibus innititur, fibras, licet fundatissimum videri debeat; non tamen in cassum erit ulteriores probationes ei conferendas accersere, vel indagare. Namque si *Capitula* ipsa ex aliis indiciis & conjecturis, eadem esse deprehendi possit, quæ *Aquitanus* quasi digito monstrare voluit, contra *Vincentium* defensionem parans; jam jam clarissimè veteris opinationis testem, suffragatorem, judicemque haberemus ipsummet operis artificem. Quod cùm esset testimonium omni exceptione superius, ut illud nobis oppigneremus, omni etiam, quâ fas erit, diligentia laborandum est.

VIII. Si memorata *Prosperi* opera ex *Apost. Sedis autoritate* non prodierunt:

Nulla alia supersunt hoc charactere signanda, præter *Capitulor.* Indiculum

Ac primò opus *contra* Pelagianos in proëmio ad *Vincentianas* objectiones memoratum, illud fuisse quod *Apostolicæ Sedis Capitulorum*, seu *autoritatum* titulo notatur, nil non modò crede-

IX. *Capitula* censere & defi-

gnare videtur *Prosper* in proëmii cont. *Vinc.* verbis.

re repugnat, sed omnia suadent: siquidem cùm non nisi ex Romanorum Pontificum & Africanorum Conciliorum autoritatibus constet; quæ contra *Pelagium*, *Cælestium*, eorumque sequaces *Pelagianos* dictos adhibitæ sunt, unà cum duobus validissimis argumentis à S. *Augustino* adversus eosdem hæreticos, ut jam probavimus, occupatis, idoneè omnino existimari nuncuparive potuit opus & Indiculus *contra Pelagianos*. Imò & hic fuit autoris scopus unicus: *inquirere quid Romanæ Ecclesiæ Rectores de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicarint, & contra nocentessimos liberi arbitrii defensores, quid de gratia Dei sentiendum esset, censuerint.* Itaque autoritates illæ selectæ *nocentissimos liberi arbitrii defensores*, quorum utique causâ editæ fuerant, hæresimque illam nuper exortam immediatè respiciebant; Massiliensium autem dogma non nisi remotè & quasi per latera tangebant. Quod cùm verum sit, nec minùs veræ, nec minùs propriæ locutionis postulari posset *Prosper*, quòd hanc scriptionem commemorans *contra Pelagianos* emissam testetur. Proponit enim sibi, ut patet, Catholicos fratres in damnatos errores incautè labentes, hinc revocare, solidèque eos revincere ac *revincire*, ut ait alicubi, ex brevibus regulis, principiis & sententiis contra hæreticos eorum defensores stabilitis ac promulgatis. Non erant igitur *nocentissimi* illi *liberi arbitrii defensores*, *Semipelagiani* seu *Massilienses*, sed *Pelagiani*: ad quos atterendos insumptæ primùm machinæ & autoritates adhibitæ coram reducuntur, & expenduntur: ut ex earum omnium invicem connexarum subjectione, se in meliorem frugem reciperent, qui Catholico nomine, fraternaque caritate adhuc censiti, *in damnatis* tamen *hæreticorum* illorum *sensibus demorabantur*. Quam certè summam illusionem suam sinceriùs videre illi non poterant, quàm in retractatis sententiis *contra Pelagianos* prolatis, ubi eorundem perversa dogmata proscripta, & solemni totius Ecclesiasticæ potestatis judicio damnata demonstrabantur. Opus itaque quod non aliud, quàm *Pelagianorum* versutias iterùm propalat, eorumque peremptoriam condemnationem recoquit, etiam connaturaliter opus *contra* Pelagianos olim emissum allegari vel indicari poterat, *ex autoritate Sedis Apostolicæ*.

Quî *Capitula*, opus contra *Pelagianos* idoneè dicta:

Etiam *ex autoritate Sedis Apost.*

X. Titulus *Capitulor.* hanc autoritatem designat.

2. *Capitulorum* titulus hanc sententiam quadantenus probat, & *Prosperianam* locutionem proëmio contra *Vincentium* adhibitam penè omnem exprimit, habet enim: *præteritorum Sedis Apostolicæ Episcoporum autoritates de gratia Dei:* similem autem in fine clausulam habent: *expliciunt autoritates*, &c. Quid autem

proclivius, quàm ut opus hac epigraphe prænotatum *ex Apostolicæ Sedis autoritate* prodiisse diceretur?

3. Præfert & hanc nuncupationem ipsorum *Capitulorum* textus, in ultimo enim capite autor, quæ præcesserant, vocat: *Apostolicæ Sedis regulas: quidquid*, inquit, *secundum prædictas regulas* Apostolicæ Sedis *nos scripta docuerunt.* Si autem opus suum autor pro *Apostolicæ Sedis regulis* agnovit, proximum est, ut eas ejusdem autoritate digesserit. Res siquidem quæ per se satis invicem congruunt, si spectatis circumstantiis, & levibus quamlibet conjecturis tantillùm firmentur, citò cohærent, & factum spontè inducunt: quantò magis cùm ex innumeris aliis, iisque gravissimis momentis jam congestis & copiosiùs congerendis ostenduntur esse conjunctissimæ. Quod certè præ aliis conficere videtur ratio ex sequenti capite petita. Et textus ipse magis declarat.

XI. Imo & pretium, in quo Rom. Ecclesia habuit *Capitula*, rem determinat.

4. *Capitula* nostra in Romanæ Ecclesiæ scriniis asservata esse fideli testimonio declarat post annos circiter octoginta *Hormisdas* Pontifex ad *Possessorem* Africanum Præsulem rescribens, *de Scriptis Fausti Reïensis*, super quibus ab illo consultus fuerat; post multa enim circa gratiæ Dei doctrinam, librosque de ea rectè tractantes præmissa, hæc in rem nostram subjicit: *tamen & in scriniis Ecclesiasticis expressa* Capitula *continentur, quæ si ibi desunt, & necessaria sunt, destinabimus.* Hæc autem *expressa Capitula* non alia esse, quàm nostra, cùm & res clamet & apud omnes conveniat, vehemens credendi ratio inde suggeritur, ea ipsa cum quadam Romanorum Pontificum autoritate, vel consensu publica facta esse. Quorsum enim alioquin inter ejus sedis monimenta tam sedulò servata, vel sic commendata fuissent? Animadvertit quidem opportunè *Vir doctus* Capitula ab *Hormisda* tùm considerata non fuisse, velut decessorum suorum, ex integro saltem, decreta; quandoquidem promittit à se mittenda, *si necessaria crederentur. Qui loquendi modus*, inquit, *longè procul dubio diversus est ab eo, quem usurpare solent Pontifices Romani, cùm de prædecessorum suorum decretis verba faciunt, vel de his quæ autoritate Sedis Apostolicæ sunt emissa.* Sed ista omninò his congruunt, quæ proposuimus de occasione, quâ autoritates illæ ex assensu Pontificio conscribi potuere; nam & *Hormisdas* ignorare non poterat huic collectioni plurima inesse Antecessorum & Conciliorum decreta, quæ maximam omnium reverentiam postulabant; at quia quæcunque illis intertexa erant, eodem prorsus robore pollere non posse rectè putabat, ideo hâc clausulâ: *si necessaria creditis*, Pontifex usus esse credendus est. Quod & ex

Quesn. Diss. 3. p. 2. n. 15. 16. &c.

illius epistolæ contextû fortè roborari posset, paullò enim antea dixerat *Hormisdas* ex occasione librorum *Fausti*, & quæstionum ab eo motarum: *quid ergo calumniantibus opus erat extra constitutos Ecclesiæ terminos porrigere quæstiones? . . . . cùm Christiana fides canonicis libris, & Synodalibus præceptis, & Patrum regularibus constitutis stabili & inconcusso termino limitetur.* Hæc Pontifex, in quibus certè triplicem, quem semper præcipuè agnovit, reveritaque est Ecclesia, autoritatum ordinem retractat, intra cujus limites omnium fidem rectè conscribi declarat: unde & satis innuit in iis Capitulis nonnisi suscipiendum esse, quàm quod, vel ex Scripturarum, vel synodorum, vel paternarum constitutionum irrefragabili canone decerptum fuit. Porrò nec ab hac sententia nostra minimùm is, cum quo nobis quæstio est discedit, asseruerat enim paullò supra de *Leone*, quem hujus indiculi autorem facit: *esto enim mandatum à* Cœlestino *acceperit Commonitorium istud Romanorum Pontificum decretis consarciendi; verùm quòd post confectum Indiculum præter decretorum excerpta de suo addidit, non Apostolicæ sedi, sed proprio Diaconi* Leonis *ingenio tribuendum est.* Quæ quidem *Prospero* vero operis artifici aptata id semper efficiunt, eum talia Pontificum & conciliorum decreta ordinantem, ex prævia pro tempore sedentis Romani Præsulis consensione, hoc asserere re vera potuisse se *ex* ejus *sedis autoritate* tales constitutiones colligere, quin deducta exinde proprio genio consectaria, vel glossemata, his illigata, hâc firmitatis prærogativâ valere posse tam glossator, quàm Romani Pontifices existimarent. Quæ certè extra usum & exemplum non sunt, & fortè frequentiùs decretorum similiumque Collectoribus quid simile contigisse probari facilè posset.

Quomodo P. *Quesnellus* in sententiam nostram pertractus?

Diss. 3. *loc. cit.*

XII. Ex utriusque proëmii comparatione omnis eliminatur ambiguitas.

5. Si seriò expendantur locutiones proëmii contra *Vincentium*, & ejus quod *Capitulis* præponitur, collatæ invicem privati & publica autoritate differentis hominis manifestum discrimen continuò ostendent. Jam enim observavimus in prima scriptione *Prosperum* quasi cohibitis animis loqui, nonnisi de gravioribus calumniis sibi impactis conqueri, adeòque & iis duntaxat, *sensus* sui & *fidei* expositione, procul à se depellendis incumbere velle profitetur, *ad calumniantium animos mitigandos*, &c. quæ omnia privatum solummodò scriptorem, privatamque causam agentem produnt, atque reclamant. At in *Capitulorum* proëmio longè diversus actor se objicit, ille enim privatam injuriam nullam causatur, sed publicam vindicat; ut primùm enim propositi sui rationem aperit, laborantis Ec-

clesiæ causæ, ejusque Patronorum seu *Magistrorum* defensionem suscipere se ingenuè declarat; *imperitiam* aut *pravitatem obloquentium* suggillat: tùm Catholicorum Præsulum & Conciliorum sententias seligere, & ut sibi invicem robur & lucem conferant, jungere spondet, *ut qui in aliquo dubitant pleniùs instruantur*: tandemque liberè pronuntiat: *omnium disputationum connexionem ex subditarum autoritatum* suâ operâ concinnatarum & compendiatarum, *brevitate pendere*. Quid autem vice versâ magis indicare potest doctorem publico negotio & cum potestate gerendo præpositum, quàm tales & tam resolutæ verborum formulæ?

6. Nunquid & ad hanc suam operam respexisse jure credi potest *Prosper*, cùm *Collatorem* ejusque sectatores, sub tractatus contra eum digesti finem, perstringens validè clamat: *igitur hujusmodi hominum pravitati non tam disputationum studio, quàm* AUTORITATUM *privilegio est resistendum*, &c. sic enim jam affecto homini proclive admodum fuisse *autoritatum* istarum sic ordinatarum privilegio confligere, nemo negabit.

Et quidem sententiæ isti quæ officere possint etsi satis versata conquisitaque nulla hactenus gravia deprehendi, quale quidem esset, quod oculatus *Norisius* proponit *vind. August.* cap. 8. & ceteris argumentis semper prætulisse testatur; dum ait: *se non videre quâ ratione* Faustus *Reïorum Episcopus*, Vincentius *Lirinensis*, Hilarius *Arelatensis, ac alii Galliarum Episcopi ab hæresi excusari possint, & inter Sanctos erectis aris connumerari, si Capitula illa* Cælestini *essent, & à sede Apostolicâ emanassent*, & tandem postea in sententia sua *Nostri* perstiterunt. Gravissimum quidem argumentum, telumque prævalidum, quod eos omninò transverberat, qui hæc *Capitula* ab *Cælestino* emanasse tanto apparatû contendunt. At nos nec ferit, qui opus à *Cælestino* prodiisse pariter reluctamur: alia enim longèque diversa res est, si ex Apostolicæ Sedis autoritate vel consensione, eò quò explicavimus temperamento, data, digestus publicatusque est Indiculus, non robur à Collectoris glossis, sed à Collectaneorum textu integrum mutuatus. Quod in scholiis ultimo capitulo subjectis satis firmavimus. Si enim hæc stare debent, verba illa quibus *Cælestinum* quid clarius & expressius suis decessoribus definisse convinceretur, ut benè advertit laudatus autor, aliud prorsus efficiunt in ore *Prosperi*; qui adeòque hæc octavo *Capitulo* subdere potuit: *præter beatissimæ & Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres pestiferâ novitatis*

XIII. Ex his argumentum *Norisii*, contra *Nostrorum* fidem, nonconcludit.

elatione dejectâ, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium, studiorum & in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum, &c. Hæc inquam, de suo vel meliùs ex *Augustini* sensu, verbisque subjicere *Prospero* fas fuit, quin illis Pontificiarum regularum autoritatem asserere contenderit. Imò, ut prænotavimus, ab illis sua manifestè secernit, quod *Cælestino* præstare liberum non fuisset æquâ prædecessorum autoritate pollenti: at heic profectò recognoscendum est hanc *Prosperi* locutionem esse, quasi paraphrasim, & præcedentium sententiarum consectarium, quod evidentèr colligi & *Augustini* sensui implantari posse putat. Quemadmodum cum sequenti capite hanc retractationem subjicit: *his ergo Ecclesiasticis regulis, ita, adjuvante domino, confortati sumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum & omnium studiorum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur autorem*, &c. Ex his enim novum quid ex Apostolicæ Sedis autoritate statuere, condereque non cogitat *Prosper*, nec quid expressiùs eam declarasse asseverat; sed hæc ipsa sua consectaria erui deducique contendit ex præinsertis decretis: quibus utique se ita *conformari*, aut *confortari* asserit: *ut omnium bonorum*, &c. Ad illas itaque regulas fidei suæ sensa præcisè refert, quia talia ex his naturaliter gigni philosophatur; at non subsequuta nova, vel expressior dogmatis authentica declaratio, sed meræ glossæ & illationes ex antiquis constitutionibus elicitæ, uti nil novum definiebant, ita veterum exceptionum, & explicationum jure neminem huc usque spoliare posse videbantur.

Sententiarum ac glossematum *Prosperi* dispar autoritas.

X IV.

Quot præsidiis munita *Nostrorum* istorum fides?

Nil itaque contra nos faciunt loca illa, ab laudato *Pelagianæ* Historiæ scriptore ex *Fausti* libris adducta, quæ his Capitulorum glossematis adversantur, ut cum lib. 1. cap. 7. ait: *sola Deus fidei nostræ confessione contentus fuit* & lib. 2. cap. 10. similia habet; sed & expressiora ex ejusdem penu referre poterat, quæ magis ultrò admitteremus, quàm quæ allegat ex *Vincentii* Commonitorio cap. 37. quod ea forsan non tam ex sua, quàm ex quorundam hæreticorum mente scriberet: hæc, inquam, & similia nec contra nos, nec contra *Massilienses* quidquam efficiunt; nam etsi sententiæ ex *Innocentio*, *Zozimo*, Conciliisque Africanis, *Capitulis* intextæ, hos etiam errores configebant: cùm præcipuè pronunciatum est: *superbum esse, ut quidquam sibi natura humana præsumat*, aliaque eundem in sensum producta sunt; fatendum est tamen hanc circa fidei initia sententiam, & antiquitatis suffragiis, & ipsius *S. Augustini* adstipulatione

pulatione altiùs infixam, quàm ut malleo tam leviter presso revelli posset. Fatetur enim ingenuè S. Doctor cap. 3. *de prædestin.* SS. Hunc *Nostrorum* errorem suum fuisse: *neque enim*, inquit, *fidem putabam Dei gratià præveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, nisi præcederet præconium veritatis, ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar, quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant.* Hinc cap. 21. *de don. persever.* id resumit his verbis: *Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo, Deo miserante, scripsisse, non tamen à perfectione cœpisse; quandoquidem arrogantiùs loquor, quàm veriùs, si vel nunc dico, me ad perfectionem, sine ullo errore scribendi, in istâ ætate pervenisse.* Hæc summâ ingenuitate, majorique modestiâ *Augustinus* & de errore in præteritis scriptis suis agnito, & in præsentibus, si rectè ostendatur, agnoscendo, paratum animum testatur: unde minùs mirum videri posset, si *Nostri* priores viri tractatus pro sua sententia habentes, Capitularibus glossis ex hujus posterioris doctrina deceptis non usquequàque annuissent, etiamsi cum paullò expressiori, quàm allegatæ à nobis rationes inducunt, Sedis Apostolicæ consensu transcriptæ supponerentur. Nam circa postremos libros istos, aliosque similia definientes, exceptionem à *Massiliensibus* oppositam edocet expressè *Prosper* cap. 43. contra *Collat.* quos obtendisse ait: ut *quia in Epistola* Cælestini *librorum, pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos, & istam in* S. Augustinum *laudationem, pro anteriorum scriptorum meritis, fuisse collatam.* Quia ergò non probatiori titulo ostendere potuisset *Aquitanus* hæc *Augustini* sensa ex Pontificis suffragio *Capitulis* esse inserta, licet id reverâ præstitum esset, etiam in hoc præteritarum defensionum ope uti fas eisdem fuisset, ac iterùm replicare: *se tantùmmodò ea sequi & probare, quæ sacratissima* B. Petri *Sedes, per ministerium Præsulum suorum, contra inimicos gratiæ Dei docuerat.*

Augustinus eum aliquando defendit & retractavit.

Hæc de *Capitulorum* explicationibus & consectariis, etiam ex hypothesi, cum aliquo Sedis Apostolicæ consensu, appositis haud improbabiliter excipi possent quæ *Nostros* extra durioris censuræ aleam locarent. De *Capitulis* enim, seu sententiis Conciliaribus, & Pontificiis eorumdem errorem, licet pariter impetentibus, id etiam certiùs proferri potest, multò minùs per hæc in hæreseos suspicionem adduci valere, qui eum defen-

At retractatam sententiam adhuc tenentes non ut hæreticos reputavit *Aug.* nec *Prosper.*

debant, Quorsum enim id alicui liceret, quandiu nec *Augustino*, nec *Prospero*, nec *Hilario* quid illis tale impingere fas existimatum fuit? Siquidem etsi talia tantaque decreta, ipsis viventibus, & urgentibus, lata, publicataque sint, illi tamen, *Nostrates* nihilosecius ut *Fratres*, ut *Sanctos*, ut *dilectores* suos, ut *Concorporales* omnique *Virtutum studio* commendabiles, & quorum tandem *intentio toleranda* erat agnoverunt, & prædicarunt; quod argumento est istos tam exquisitè laudatos, omnia placita sua, hâc cautelâ & temperamento recudisse, quibus positos jam limites apertè non transgrediendo, & fidem voluntariè non temerarent, & tantorum virorum gratiam aut communionem non amitterent.

Imò ut SS. *Catholicos*, & *toleranda* (altem *intentione* procedentes agnovere.

Et illud certè omnibus studiis præcavisse, imò & rem sincerè executos esse habemus ex *Augustino* cap. 1. de *Prædest.* SS. dicente: *pervenerunt etiam ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum sibi quenquam sufficere posse consentiant. Retenta ergò istâ in quæ pervenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore discernunt.* Quæ omnia de *Nostrorum* progressu didiscerat *Augustinus* ex litteris *Prosperi & Hilarii*, hæc fusè testificantibus; & quidem cum hac postremi significantissima expositione: *ceterùm & ipsi* ABOMINARI SE *&* DAMNARE *testantur, si quis quidquam virium in aliquo remansisse; quo ad sanitatem progredi possit, existimet* &c. quâ certè fide tota *Capitulorum* doctrina imbibi videbatur, & profectò imbibita fuisset, si stabiliter intra hos terminos tam omninò constitissent, quàm consistere sibi persuadebant. Licet enim *Faustus* noster omnium audentior factus initia fidei, & bonæ voluntatis conatus supra alios extulisset, ad has etiam regulas sua themata revocare contendebat; de quo alibi plura; sed his pressiùs insistebat *Cassianus*, unde in ejus verbis sensibusque, aliis ex omni parte Catholicis, aliis erroris fuligine obfuscatis, extricandis & elucidandis tantùm insudat; unde illi consequenter cap. 4. exprobrat adversarius: *Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia est: illi in omnibus justis hominum operibus liberæ voluntatis tuentur exordia, nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe* NESCIO QUID TERTIUM *& utrique parti inconveniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres.* Ex quibus certè splendidè perspicitur quantam adhibuerint *Nostri* solertiam, ne in *Pelagianos* scopulos illiderent,

& in constitutiones contra illos promulgatas peccarent. Quod si faciebant id inviti faciebant, ut non diffitetur idem, qui eos exagitabat, *Aquitanus*, hæc immediatè subjungens: *quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod, velis nolis, convinceris dicere, gratiam Dei secundùm merita nostra dari; cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas?* alia in serie similia eorumdem effugia propalat & præcludit, quæ omnia recensere prolixius.

XV. *Capitula* omnem omnino ambiguitatem non tollere, poterat adhuc à *Nostratibus* excipi.

Ex adductis enim satis superque probasse sufficiat *Massilienses* non directè, non deditâ operâ, non fraudulenter in decreta jam prolata quid machinatos esse, quod ut omnino declinare possent, *informe quid tertium* excogitaverant quo *nec cum Hæreticis*, nec *cum Catholicis* plenè concordabant; sed hoc devio tandem, seu ut ait idem *Prosper* cap. 39. *hisce callibus* ad præcipitia gradatim perveniebant, incautique delabebantur, quò accedere tam refugiebat animus, ut in antecessum *abominari* damnareque testarentur, si cui *quidquam virium remansisse* crederetur, unde ad vitam *progredi posset*. Unde qui hanc tenentes anchoram Catholicissimi demonstrabantur, nonnisi quodam facto processu, idoneè probari poterat, eos quasi per gradus in foveam descendisse, è qua variis etiam modis & conatibus pedem illicò referre velle ostendebant. At neque heic eorum apologiam texere locus est, vel propositum, sed id solum ex dictis eruere, *Massiliensibus*, quemadmodum illi fidem suam explicaverant post celebrata Africana Concilia, datasque Pontificum epistolas, ita prorsus eam illibatam defendere non laboriosius fuisse, postquam collocatæ sparsim autoritates in unum fasciculum artificiosâ connexione religatæ sunt. Adeo enim verum est res in ambiguo mansisse ut *Cæsarius* Arelatensis perspicacior quidem & *Augustinianæ* doctrinæ addictior, quàm ut hæc eum fugisse *Capitula*, variique eisdem inditi sensus potuerint, post annos circiter centum ad *Felicem* Papam scribens hanc ambiguitatem agnoverit. *Bonifacius* siquidem qui decessoris sui vice responsum dedit hæc, de *Cæsarii* mente & petitione commemorat: *indicas quòd aliqui Episcopi Galliarum cum cetera jam bona ex Dei acquieverint gratiâ provenire, fidem tantùm, quâ in Christo credimus, naturæ esse velint, non gratiæ, & hominibus, ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate conferri, postulans ut pro* AMBIGUITATE TOL-

Quid pene simile in iis agnovit *Cæsarius* Arelat.

LENDA *confessionem vestram, quâ vos è diverso fidem rectam in* CHRISTO *totiusque bonæ voluntatis initium, juxta Catholicam veritatem per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, autoritate Sedis Apostolicæ firmaremus.* Ita *Cæsarius* qui perinde explicatè significat intextum de *initio fidei* in *Capitulis* glossema novâ, & expressiore definitione *ad ambiguitatem tollendam* indigere: quod etiam probat & Arelatensem Episcopum hæc pro *Celestiniano* vel integro Romanæ Ecclesiæ partû non recognovisse, aut adversariis probato usquequaque indicio recognoscendum dari non posse; ad quid enim aliàs vel hanc elucidationem, vel confirmationem postulasset, vel *Arausicanum* Concilium indixisset? Imò & *Bonifacius* hanc in opinationem penè abiit, cùm enim taliter sentientes, non ut Hæreticos hâc in epistola traducat, sed tantùm quibusdam *vetusti erroris reliquiis prægravatos* adhuc patienter sustineat, quoad hanc saltem initialis fidei doctrinam, expressum Sedis Apostolicæ decretum præcessisse non agnovit. Quod ineluctabiliùs evinceretur, si, ut subodoratus est *Binius* in notis, pauca Capitula quæ ab Apostolica sede transmissa memorat Arausicani Concilii præfatio, hæc nostra sint: quam in sententiam ut penè concedamus faciunt expressa superius *Hormisdæ* verba de *Capitlis* in Scrinio Ecclesiastico asservatis, quæ ab *Prosperianis* alia non esse non ambigitur. Id itaque ex hac sententia validius exurgit collectionem *Capitulorum* etsi ab Ecclesia Romana probatam, præceptamque, hactenus tamen integrâ autoritate in universali Ecclesia valuisse, glossasque & consequentias ex *Augustini* sensu per *Prosperum* intextas, in fidei Canones duntaxat emersisse, quando ea omnia Pontifices, prætextis cunctis *ambiguitatibus* eliminatis, retractari, publicarique jusserunt. Atque cùm sit omnium assensione firmatum judicium *Nostrorum* fidem ante Synodi Arausicanæ celebrationem in jus vocari non potuisse; id etiam cohærens roboratur *Capitula* exinde solùm hanc plenissimæ & usquequaque irrefragabilis firmitatis prærogativam induisse.

XVI. Si nos tandem attingeret objectio *Norisii*, ab eodem priùs esset resolvenda.

His porrò longiùs immorati sumus, ut omnem omnino à *Nostrorum* causa nomineque falsi rumoris suspicionem propelleremus, sed haud scio an inopportuniùs, quòd aut hæc nos non attinebat difficultas, aut certè ab iis antea qui eam movebant enodanda erat. Siquidem cum *Norisius* & quotquot eruditi responsiones ad *Vincentium ex Apostolicæ Sedis autoritate* prodiisse volunt, *Massiliensibus* adeò æqui benignique sint, ut eos om-

nes ab hæreſeos macula liberos faciant, conſultiùs & expeditiùs dixiſſemus, nos ad eorum defenſionem, in noſtra de *Capitulis* ſententia, eodem clypeo uſuros, quem in ſua illi tantis capitibus contegendis aptatum irent. Quis enim non videt palpatque hunc eos lacertis ſuis impoſuiſſe lapidem, quo noſtros premere putabant? ſed cum eo graviore pondere incommodoque volvendum, vel ſuſtinendum, quod, velint, nolint, aut eo obrui, aut à ſuſcepto patrocinio ceſſare omninò debeant. Etenim reſponſa contra *Vincentium* data, ſedecim capita complectuntur, quæ intimas erroris *Semipelagiani* medullas adeo dividunt, ut qui ea rurſus compaginare ſibi poſthac propoſuerint, potiori omnium fundamento ut hæretici manifeſti traduci potuiſſent: ſi dogmata *ex Apoſtolicæ Sedis autoritate* manarunt; ut ſupra monuimus. Quæ enim in *Capitulis*, ſeu Sedis Apoſtolicæ autoritatibus continentur, nil earum abſtruſiorum *de electione & prædeſtinatione* quæſtionum, expreſsè ſaltem, definiebant; quæ jam *Noſtros* ab *Auguſtino* adhuc ſupetſtite magis ſeparaverant. Quæquæ adeò quamlibet ex conſtabilitis regulis penderent, iiſque in illas penetraretur; quia tamen non erant explicatè determinatæ, aut nil novum cauſæ adjiciebant, aut, quod ſatis probatum, veterum exceptionum jure non ſatis prohibebant, quin ad ea ſatis patentia Recentiorum effugia etiam tranſcurriſſent, de *profundioribus quæſtionibus*, quas Collector *adſtruere neceſſarium non putaſſe* declaravit: niſi ex aliis jam delibatis, quid etiam aut validius, aut ſpecioſius opponendum habuiſſent.

Quia eam involvit reſp. ad *Vincent.* imò & longè graviorem.

XVII. Sed longè alia profectò res erat de opere contra *Vincentium* elucubrato, in quo quæcumque vel intacta, vel velo obvoluta fuerant in *Capitulis* de *electione & prædeſtinatione* myſteria, apertam in lucem adducuntur & expanduntur. Unde & quaſi buccinæ Apoſtolico ſpiritû primùm afflata vox illa adeò *Noſtros* conturbans jam à I. capite ſeu reſp. attollitur; in qua utique capitalis objectio: *Quod D. N. J. C. non pro omnium ſalute & redemptione ſit paſſus*, ſic crudè, ad eorum ſtomachi affectum, reſolvitur: *quod ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi: ſed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti & ſine regenerationis ſacramento pertranſeunt* REDEMPTIONIS ALIENI SUNT. Tùm REDEMPTIONIS PROPRIETAS *haud dubiè penes illos eſt*; de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, &c. Et: *Chriſti mors non ità impenſa eſt humano generi, ut ad redemptionem ejus, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: ſed ità ut quod*

Hæc reſponſio doctrinam Prædeſtinat. tractat, enucleat, atque definit.

per unicum exemplum gestum est pro universis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis, &c. Hæc, inquàm, ad *Nostrorum* saporem non satis concocta, quæ adeòque ad eorum partes satis accedens recoxit *Hincmarus* in 4. Cariscacensis synodi canone quem digessit, cujusque immutationis rationes allegat. c. 29. *de Prædestin.* sed his non immoramur. Et aliæ quæ consequuntur responsiones delibandæ sunt: Itaque in 2. sic pergit: *quòd multi pereunt pereuntium est meritum, quòd multi salvantur salvantis est donum: ut enim reus damnetur, inculpabilis Dei justitia est, ut autem reus justificetur ineffabilis Dei gratia est.* Tùm resp. 4. de *servitute* per peccatum in omnes propagata dicit, de *qua nemo eruitur nisi per mediatorem Christum Jesum, cujus* GRATUITA GRATIA *& multorum malis meritis non tribuitur, & nullorum bonis meritis prævenitur*; quod liberiori sermone, quam in *Capitulis* huic & sequenti responso pronuntiat, circa gratuitam, & omnia omnium merita prævenientem gratiam. Sed ut ad terrifica prædestinationis arcana redeamus, mirabilius est *Prosperum* eò usque in ea progressum esse, quòd hanc scriptionem *ad calumniantium animos mitigandos* emittere protestetur; attamen & hæc quasi nolens enuntiet 10. resp. *Omnis homo*, inquit, *quem discretio divinæ sententiæ in sinistra constituerit parte damnabitur, quia non Dei sed suam exequutus est voluntatem*, & mox resp. 12. id etiam terribiliùs exponit: PRÆDESTINATIO Dei *etsi, apud nos incerta est, apud illum tamen*, QUI FECIT QUÆ FUTURA SUNT, INCOMMUTABILIS PERMANET. In qua certè expositione non plures vehementissimè conturbare non poterat, uti & cùm paullò post assumit hunc tam familiarem *Augustino* Scripturæ locum ex 1. *Johan.* 2. *ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis, si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* &c. Deinde Resp. 14. in hunc sensum sic relabitur, ut gratuitam omnimodò electionem illam esse demonstret: *cur autem illum retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare, cùm scire sufficiat & ab illo esse quod statur, & ab illo non esse quod ruitur.* Et Resp. 15. similiter: *Qui se à Deo avertit ipse & velle quod bonum est &* POSSE *sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant qui talia objiciunt, ut Deus, quibus pœnitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit: & quos non levaverit alliserit: cùm aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienum est à Deo: aliud criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.*

Nam & quantùm istis jam ab S. *Augustino* motis & occupatis

conterriti & ab alienati *Nostri*, & quanta in hæc reposuerint? satis exprimi non potest. Audiendus est ipse *Prosper* in sua ad *Augustinum* epistola rem sic exponens: *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem torporis adferre,* & paullò post: *removeri itaque omnem industriam tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates,* & *sub hoc* PRÆDESTINATIONIS NOMINE FATALEM QUANDAM INDUCI NECESSITATEM; hæc & alia plura *Prosper*, quibus succinit *Hilarius* in epistola sua, *Massiliensiumque* murmur circa doctrinam de perseverantiæ dono, ab eodem Hipponensi libro *de correp. & grat.* traditam, obortum, ità de suo exprimit: *his verbis sanctitatis tuæ ità* MOVENTUR, UT DICANT *quandam* DESPERATIONEM HOMINIBUS EXHIBERI. Quæ sanè relata dogmata erant præcipuè lapis offensionis *Nostrorum* & petra scandali: at per *Prosperiana* illa placita eadem prorsùs *Augustini* sensa plenè retractantur, ut cùm præcipuè dixit, citato superiùs loco, *Prædestinatio Dei etsi apud nos incerta est, apud illum tamen, qui fecit, quæ futura sunt, INCOMMUTABILIS permanet*: ubi & illa decreti *incommutabilitas*, & istud heic aptatum: *qui fecit, quæ futura sunt*, omnem duriorem quam deprædicabant *Augustini* doctrinam exhibent, nullo satis idoneo emollimento, ad eorum gustum, temperandam. Quæ si omnia tandem *ex Apostolicæ Sedis autoritate* publicata esse dicuntur, qui deinceps adversùs ea consurrexerunt, & quot quantique Deus immortalis illi fuerunt? non tam *Prospero*, quàm Apostolico culmini contradictores haberi debent, nulla prorsùs excusatione digni, nullorumque præsidio & rationibus satis excusandi. Nam & hoc supposito, quòd hæ responsiones ex tantâ autoritate profectæ sint, meritò concludit *Quesnellus* veluti *fidei portionem* spectandas esse. *Prosperianæ* itaque positiones illæ Apostolico suffragio emanatæ uti centum circiter annis Concilio Arausicano (quo duntaxat *Semipelagianus* error in hæresim abiisse hucusque credebatur) præiverunt, ita viros pro sanctissimis hactenùs, & inculpatæ fidei scriptoribus commendatos prædamnasse dicendæ sunt. In quo certè *Prosper* magistro suo fortunatior deinceps existimandus, quòd ejus disputationes Romanorum Præsulum jussu digèstæ, citò in *fidei portionem* dogmataque conflatæ sint, tandemque ab eo assertæ de electione, prædestinatione, & perseverantiâ propositiones (quas tamen A-

XVIII. Quantùm hæc & similia *Nostros* conturbarint?

Ex superiori sententia quod inconveniens, imò & quanta?

rausicani Patres qui de *Semipelagianismo* extirpando decretoriè statuerant, attingere debere non censuerunt) Ecclesiasticæ regulæ jam ab illius ævo devenerint.

XIX. Doctrina de prædestinatione non est *fidei portio* aut canon.

Sed illa profectò consectaria non admittit *Norisius*, quæ viri illi similes & per omnia docti pariter respuunt. Et quorsum non omnes respuerent, postquam Theologus ille qui acrioribus juxtà ac infaustis studiis gratiam Christi, gratuitamque prædestinationem tueri & attollere susceperat, *Corn. Jansenius* Yprensis Episcopus, hanc tamen de eadem prædestinatione sententiam etsi *Augustino* & SS. PP. quos adducit, per omnia consentaneam, à portione fidei & Ecclesiæ canone ablegare non hæsit lib. 9. *de gratia* c. 24. ubi de prædestinationis arcanis argumenta quædam ex *Augustino* petita solvens, hæc notabilia ingenuè declarat: *unde &* EGO FATEOR NON ESSE FIDEI, *nec tanquam* FIDEI AB AUGUSTINO *ex professo traditum, sed tanquam, quod ex naturæ lumine, ex tali gratiæ natura, consectaneum est.* At quantùm ab hoc sensu procul ipsemet fuisset, si illam quam totis nervis adstruebat sententiam, jam uti *fidei portionem* in responsis ad *Vincentium* & alios, cum *Quesnello* spectasset assertam, ac determinatam? Hæc itaque consectaria *Norisio* nostro pariter extranea sunto, quòd æquè crudelia, in quo *Lirinenses* & *Massilienses* indebili hæreseos maculâ respergerent: quàm absurda in quo de prædestinationis doctrina latè disserendi potestatem *Prospero* ab Apostolica Sede factam esse proferrent. Sicque ex hujus objectionis potentissimæ dilutione, summi in res nostras compendii illud accedit, ut si alià à nobis adducta in tantùm non urgerent, ex his solis in eam necessariò sententiam relabendum esset: quòd *Aquitanus* noster & has contra *Vincentium* responsiones ex Apostolicæ Sedis Autoritate non elucubravit, & quòd nonnisi ex ejusdem jussu *Capitula* edidit. Imò & quoniam id certum manet omnem *Nostrates* posteritatis effugisse censuram; quoadusque res ex aliis compertior, haberi possit, nulla ad talis judicii laudem vel defensionem rationabilior causa allegari potest, quàm si Collectio illa, quo proposuimus modo, facta promulgataque censeatur.

Quid inde summum sententiæ nostræ accedat, ac decretorium?

Quæstio consequens.

Sed ne ulla ex parte eliquatum non remaneat *Prosperianum* opus ex Apostolica delegatione concinnatum, aliud prorsus esse non potuisse, quàm istud nostrum, quod *Apostolicæ* etiam *Sedis autoritatum* epigraphem, rem penè exprimentem refert, adeòque & omnis suspicandi ratio magis imminuatur,

imminuatur, ne tam versata reversataque *Prosperi* verba ab alia scriptione ad nos usque non transmissâ intelligenda sint; id etiam ultimò suggeritur explorandum: Si videlicet publica sensus & fidei expositio *Vincentiano* indiculo subjuncta ad eas referri valeat definitiones & sententias, quæ Capitulis Apostolicis inseruntur? Quàm enim istis contra *Pelagianam* versutiam retractatis sanctionibus propriè & adæquatè respondebunt, quæcunque contra *Vincentium* reposita sunt, tàm profectò convincetur *Aquitanus* ibidem genuinè verèque testari potuisse, se rationem *reddere sensus sui & fidei, quam contra* Pelagianos *ex Apostolicæ Sedis autoritate defenderat.*

Illud itaque discutiamus, & post tot verborum sensuumque collationes factas, eam tandem aggrediamur, unde perspectius fiat: an hæc *Prosperianæ* fidei declaratio rectè collimet ad regulas seu sententias *Capitulis* nostris insertas, ita ut ex earum principiis & sensibus sincerè, solidè, & idoneè perversas objectionum definitiones expediat atque resolvat: quodque ei tam in optatis erat, an satis perinde orthodoxiam suam adversariis probet, dum eas à se alienissimas esse demonstrare laborat. Ad hæc autem, ne quid obscuritatem pariat, præmonendum, quod omnes sentiunt, objectionum capita sedecim, in varia corollaria deducta & variata, quo *Augustinianæ* doctrinæ absurditas & acerbitas toties imputatæ magis divulgarentur, ad tria aut quatuor λῆμματα redigi posse, ex quibus alia veluti necessaria consectaria inferuntur; qualia sunt ista: *quòd Jesus Christus non pro omnibus mortuus sit*, adeòque *nolit omnes salvare*: *quòd Deus peccati sit autor arbitrium in hominibus plasmando, quale est dæmonum*: *quod prædestinet ad ruinam & ad perditionem.* Ex his alia naturaliter consequuntur, causæque id fuit cur *Prosper* affectatam illam objectionum repetitionem causaretur; unde responsione ad 9. *mirandum*, ait, *objiciendum tertiò repetiisse, quod semel dixiße suffecerat.*

XX. Resp. ad *Vincent.* egregiè & per omnia ad *Capitulorum* sensus collimat.

Ex contractis

Porrò si per expansos magisque distinctos responsionum ejus sensus hæc omnia libeat paullò accuratiùs expendere, patebit illicò primam *Vincentii* objectionem: *quòd Jesus Christus non pro omnium salute sit passus*, & secundam: *quòd Deus nolit omnes salvare*, resolvi ex sententiis primi *Capituli* quod iisdem penè verbis expressum est, ac prima responsio. Uti enim illud habet: *in prævaricatione* Adæ *omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse*, &c. sic omnino ista præfert: *In* Adam *omnium hominum corrupta & mortificata natura est*, &c. Sed in re magis con-

Expansisque objectionum sensis id æquè perhibetur.

teritur objectionis robur ex *Capituli* 8. regula, cujus omnem sensum & efficaciam elicit resp. 2. ubi protestatur: *Sincerissimè credendum atque profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant: siquidem Apostolus cujus ista sententia est, sollicitissimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus supplicetur.* Quæ est ratio, ut notavimus, octavo *Capitulo* latiùs deducta, ubi de obsecrationibus sacerdotalibus ab Apostolis præceptis, &c. quo etiam telo objectio tertia: *quòd Deus majorem partem generis humani ad hoc creat ut illam perdat*, &c. penitùs configitur: at & ibi quid gravius observandum occurrit: quantùm enim seriò intenderit *Prosper* ex data fide, *Capitulorum* sensui pessiùs insistere, ex altero magis elucescet, cùm scilicet posterioribus Gallorum calumniis provocatus hanc eandem objectionem haberet refellendam: *quòd Deus non omnes homines vult salvos fieri*: Tunc enim neutiquam cogitat, nec in subjecta illi responsione, néc in ejus resumptione in sententia super 8. data, nullibi, inquam, jam occupatam rationem proponere curat, de Apostoli præcepto, quòd *in omnibus Ecclesiis custoditur, ut Deo pro omnibus supplicetur*: sed ad alias, & minùs acceptas quidem solutiones divertit, ut eundem prorsùs nodum extricet. Quod invictissimum argumentum est *Aquitanum* deliberatè tum voluisse à trito jam calle recedere, quem alias legi & promisso adstrictus sedulò tenuerat.

XXI. Objecta alia *Vincentii* ex doctrina *Capitulor.* solvuntur.

Ceterùm quarta objectio, *quòd major pars generis humani ad hoc creatur à Deo, ut non Dei, sed diaboli faciat voluntatem*: similiter enervatur per doctrinam primi *Capituli*, quo *Pelagiana* perfidia potentissimè debellatur, & est quasi primum defensoris principium, unde etiam primam ejus sententiam rursus depromit; in hujus siquidem reprehensionis serie habet: *nos autem qui omnes in Adam periisse profitemur*, &c. atque ex hoc & consequentibus *Capitulis* refert exprimitque sensus epistolæ INNOCENTII primi ad Carthaginiense Concilium, cujus hæc præcitatæ responsioni subjungit: *meritò creatura peccatrix pœnalem dominationem illius patitur, cui relicto vero domino, sponte se vendidit. Hæc quippe servitus non institutio est Dei, sed judicium, quo fraus deceptoris Diaboli facta est decepto, de qua nemo eruitur, nisi per mediatorem*, &c. quæ est ipsissima primi *Capituli* ratiocinatio contra *Pelagianos* semper rediens & eorum versutias, facto quodam processu, detegens. Sed quandò magis ad prædestinationis mysteria contenditur, de quibus nil expressè tactum erat in *Capitulis*, ut cum objectione 12. inseritur: *quòd Dei prædestinatione effician-*

Etiam quæ prædestinationem attingunt.

tur de filiis Dei filii Diaboli, & aliæ reliquæ ſimilia præferunt, nihiloſeciùs tamen arma parat exeritque ex *Capitulis* 8. & 9. eorumque verba & conceptus ſic ex integro reddit: *nullo igitur modo prædeſtinatio Dei facit, ut aliqui ex filiis Dei ſint filii Diaboli, quia ipſe alligat fortem & vaſa ejus rapit, eruens de poteſtate tenebrarum & transferens de contumelia in gloriam*, &c. In quibus manifeſtè ad jam memorata *Capitula* reſpexiſſe convincitur ubi ait: plurimos Deus dignatur attrahere, quos *erutos de poteſtate*, &c. tùm deinde: tunc apparet, quomodo *alligetur fortis & vaſa ejus*, &c. ſed hæc jam in tabulis noſtris repræſentavimus & in iiſdem aliæ hujuſcemodi convenientiæ obſervari poterunt, quas adeòque ne actum agamus, non reducimus; ſatis enim ex iſtis apparet promiſſis uſquequàque ſtetiſſe *Proſperum*, & Capitulorum *ex Apoſtolicæ Sedis autoritate* ab ſe collectorum ope, cunctas adverſariorum objectiones, etſi in varia abſurditatum monſtra detortas exertè repuliſſe.

Poſtremò ut in his non ſolùm à *Proſpero* teſtimonium omnium majus accipiamus, ſed ab illis etiam qui hanc *Aquitano* collectionem pertinaciùs denegant, referenda ſunt *Queſnelli* verba Diſſert. 1. de geſtis *Leonis* ad annum 432. quæ ſic habent: *regreſſus in Provinciam* Proſper *ſcripſit adverſùs objectiones Vincentianas, & contra Collatorem, atque in* HIS OPUSCULIS USUS ESSE MIHI VIDETUR SENTENTIIS ROMA *aſportatis, cùm* IISDEM OMNINO TESTIMONIIS PUGNET, QUÆ IN ILLIS LEGUNTUR. Agnoſcit itaque *Vir doctus*, & conceptis verbis profitetur, *Proſperum* in reſponſione ad *Vincentium*, IISDEM OMNINO TESTIMONIIS PUGNASSE, QUÆ IN CAPITULIS LEGUNTUR. Quod ſi ſemel ei certum conſtanſque eſt, nil connaturalius procliviuſque eidem credendum occurrere poteſt, quàm ut ipſemet *Proſper* poſteriorem hanc reſponſionem parans ſuo aſſeruerit in proëmio: ſe in ea *ponere verba ſenſus & fidei, quam contra Pelagianos, ex Apoſtolicæ Sedis autoritate defenderat*: in iis utique *Capitulis* quæ in hoc opuſculo abhibere & quorum OMNINO TESTIMONIIS pugnare ſibi proponit. Etenim cùm hæc, ipſomet *Queſnello* teſte, majorem omnium autoritatem præferrent, *dataque ei fortè fuiſſent*, ut ait, *ab ipſo* Cæleſtino, *cum epiſtola ad Galliarum Epiſcopos*: quis non videt hanc operam, propter eas quas complectebatur ſententias, cum aliquo ſaltem Pontificis aſſenſu conſignatas, cunctis reverendam & omnium acceptione dignam, à *Proſpero* nuper contra *Pelagianos*, ut probavimus retracta-

His utrâque manu ſuſcribit P. *Queſnellus*.

tam; quis, inquam, non secernit eam ipsam, nec aliam prorsus uti plausibilius & efficacius assumptam ad eosdem repullulantes errores exscindendos, ità omninò nil tam genuinum quàm ut *idem autor iisdem omnino testimoniis* pugnare parans, de ea aliquid hoc in scripto paucis præfatus sit. Quod sanè adeo omnibus solenne, sed traducto & calumniam passo homini, qualem tum erat *Aquitanus*, adeò necessarium agnosci debet, ut ab inauditis accusationibus sese purgare tantâ sollicitudine contendenti, ab hac contestatione temperare sibi fas non fuerit: si tandem certum est *his omnino testimoniis* pro se decernere voluisse; quod satis superque demonstratum, etiam ex adversarii suffragio roboratum est, magisque roborari posset ex alia ejus observatione Diss. 3. p. 2. n. 19. ubi pluribus docet PERSPICUAM *esse* CONNEXIONEM quæ extat *inter Augustinianam de* prædestinatione *doctrinam* & *sententias in* Indiculo *assertas*.

XXII. Quo inde compendio suæ consulere sententiæ poterat ipse, circa *profundiores difficilioresque*, &c.

Sanè si suo huic judicio magis immoratus ipse fuisset nisi copiosiùs, ualidiùs forsan ac compendiosiùs stabilire quadantenus potuisset: *profundiores* illas *difficilioresque partes incurrentium quæstionum* (de quibus Capitulorum ultimo excipitur *non necessarium* haberi, cur *adstruerentur*) eas non esse, ut quidam Theologi sentiunt, de prædestinatione disputationes, quas S. *Augustinus* fusiùs contra *Pelagianos* pertractavit; quandoquidem horum *Capitulorum* sententiis, quibus *Prosperum* contra *Vincentium* pugnasse jam agnovit *Quesnellus*, respondet ad eas omnes objectiones, quæ circa jactatas *profundiores quæstionum incurrentium partes* ab hæreticis agitatæ fuerant. Nam & antea fidem dederat *omnium disputationum connexionem* ex intextarum *Capitulis* autoritatum *brevitate pendere*: quis autem inter has disputationes prædestinationis argumentum involutum non fuisse infitiaretur? cùm jam, *Augustino* superstite, eam in quæstione positam demonstrari posse videatur, ex ipsis *Prosperi* ad illum literis, ubi sub *prædestinationis nomine*, *necessitatem quandam fatalem induci*, & alia plura, quæ capitalia censebantur, causatos esse *Nostros*, edocet oculatus harum concertationum testis.

Ad terminandas omnes controversias via suavis & idonea adhibita.

Sed ut ut sit, cùm ad eas controversias consopiendas vel terminandas aliquam idoneam, suavemque viam frangi præstaret, in his rerum circunstantiis in quibus, ut convincunt *Cælestini* literæ, Ecclesia explicitum & absolutum judicium super his ferendum esse non censuit, eam opportunè aperuit *Capitulorum* digesta sylloges, è quorum principiis quæstiones omnes præcipuæ hactenùs eventilatæ cùm resolvi possent, imminenti

Ecclesiæ periculo sufficienter prospiciebatur : quin tamen Apostolica Sedes expressiorem declarationem, ut conducibilius putarat, emitteret. Hujus autem consilii hæc mihi ratio fuisse videtur, quia cùm *Augustinus* ad prædestinationis arcana penitiùs exploranda, & explicanda impulsus ex alio non sit, quàm quòd Pelagiani *gratiam Dei secundùm merita nostra dari* pertinaciter effutirent, ut testatur cap. 20. *de dono persev.* his omnino verbis: *quid autem coëgit loca Scripturarum, quibus prædestinatio Dei commendata est copiosiùs & enucleatiùs isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt* gratiam Dei secundum merita nostra dari, *quod quid est aliud, quàm gratiæ omnino negatio?* cùm, inquam, S. Doctor heic & alibi sæpiùs in hanc quæstionem ex hac sola occasione, delapsus esse testetur, quòd *Pelagiani* gratiam meritis adscriberent, *Nostrique* qui ejus ad singulos actus necessitatem profitebantur, ab hac dementatione procul essent, & ut ait idem gratiæ Doctor cap. lib. citati: *à Pelagianorum hæretica perversitate tantùm remoti, ut licet nondum vellent fateri prædestinatos esse, qui per Dei gratiam fiunt obedientes, jam tamen faterentur, quòd eorum præveniat voluntatem*, &c. consultius Sedis Apostolicæ rectoribus visum esse credi debet, ut his *Nostris* rectæ doctrinæ fundamento jam innixis, in ipso màgis ac magis solidari curarentur, unde alia omnia naturaliter consequebantur, quàm hæc ipsa consectaria explicatiùs persequendo pristinarum offensionum discrimen non satis prævertere. Quem eorum finem omninò fuisse nil potius convincit quàm Arausicanorum Patrum opera, qui sua in synodo juxta Sedis Apostolicæ monitum, in Capitulorum quorundam, & nostrorum fortè serie datum procedentes à prædestinationis & similium quæstionum judicio cùm abstinuerint, & initium fidei, gratiæque prævenientis ad illud & singulos motus, & actus bonos necessitatem in toto justificationis progressu æquè requisitam duntaxat determinarint, satis perinde testificati sunt Pontifices ceteras controversias inde pendentes, antea ex eorum præscripto, vel oraculo decisas expressè non fuisse, nec ut expressiùs definirentur, tùm expedire censuisse.

Sed & hoc prudens sobriumque summorum Ecclesiæ Præsulum judicium id etiam magis manifestat, quàm longè eos ab hoc consilio fuisse oportuerit, ut ad privatam injuriam *Prospero* per *Vincentianas* objectiones inustam ulciscendam, suamet autoritate jusserint opus emitti, eam de proposito Dei & prædestiatione doctrinam latè per omnia explicans, quam mox

Semper ergo recurrit *Prospero* Apost. Sedis autoritatem committi non debuisse, contra *Vincentium* ut scriberet.

in ſententiis *Capituliſque* Apoſtolico ſuffragio collectis contrahere & quaſi velo obducto eminùs oſtendere neceſſarium exiſtimarunt. Quòd ſi & ipſi *Proſpero* Collectori ſufficiens viſa eſt hæc autoritatum connexio, ad omnes alias diſputationes & objectiones diſſolvendas, ſupervacaneum erat Romanis Pontificibus ad iſtarum oppugnationem aliam inire viam, vel impartire facultatem, quæ ad memoratas autoritates, quaſi ad inviolabiles ſanctiones non regularetur. Imò & res ſecùs facta periculis obnoxia fuiſſet non paucis, in illa præcipuè, tam abſtruſæ, lubricæque materiei tractatione. Itaque ſi tempore legationis *Proſperi Vincentianæ* objectiones, prout in Indiculo explicantur, prodierant (quod non credo) id ad ſummum ab Apoſtolica Sede potuiſſet elicere, ut eas refelleret, ad *Capitulorum* paullò antea à ſe concinnatorum, vel paulòpoſt concinnandorum amuſſin, & juxta eorum autoritates fidei ſuæ rationem redderet. Sed ex eo illud ſemper exurgeret & proëmii ad *Vincentii* objectiones verba ad præcedens opuſculum autoritatum Sedis Apoſtolicæ, juxta noſtræ interpretationis ſenſum referenda; & illud poſterius, non aliâ commendationis prærogativâ valere potuiſſe, quàm in quo ejus conceptus evidenter & adæquatè *Capitulorum* ſententiis concinebant.

Hæc circa incurrentes quæſtiones carptim annotanda incurrerunt, quæ, perſtante *Proſperi* verborum elicito ſenſu, naturaliùs & efficaciùs ex parte conſequerentur, illis ipſis quæ *Vir doctus* magnâ animi contentione ſuper iiſdem propoſuit: inter quæ omnia, poſtrema illius obſervatio de ſynodali epiſtola Africanorum Præſulum in Sardinia ob Catholicam fidem extorrium, cui ſimilis quædam exceptio apponitur, circa eas *profundiores quæſtiones*, niſi verum quæſitum ſaltem huic judicio colorem affundit. Sufficienter enim indicant argumenta circa quæ præfatæ quæſtiones verſari potuerunt: ſi præſertim Africani noſtra jam *Capitula* viderant, quod innuit eorum epiſtola, & idipſum, aliaque non pauca notabilia oſtendunt *Viri docti* animadverſiones, quas conſulere non pigeat.

XXIII. Concluſio. Ea porrò ſunt omnia, quæ poſt aſſertam, *Proſpero* probatis & cumulatis argumentis, *Capitulornm de gratia* collectionem, quaſi rurſus coagitatâ & ſupereffluenti menſurâ dare ſubjungereque viſum fuit, ità tamen ut eam ſi pro tali non accepturos eſſe contingeret, quibus reverentiæ ſacramentum diximus, nihil tamen collocatæ jam in tuto cauſæ noſtræ deperiret, quia & menſuram illam priùs factam, pro bona ſaltem ſuſceptam

esse confisi sumus. Nobis igitur extra aleam positis, illis id negotii supererit, momentis & rationibus à nobis fusè propositis; ne crederemus responsiones contra *Vincentianos ex autoritate Sedis Apostolicæ* digestas *à Prospero* fuisse, solutiones congruas validasque opponere; unde meliorem sententiam, quam animo jam complectimur, cognitâ, ut aiunt, causâ, suscipiamus & etiam pro modulo tueamur. Quòd si secùs & illi nostra defendant, alii forsan non deerunt, qui nos saltem de posterioritate redarguant, & interpretationem de novo excogitatam, nullâque Antiquorum, vel Recentium autoritate suffultam, pro nulla habere velint. Etsi autem novitatem illam, vel posterioritatem inculpatè tentari posse satis testentur tot explorationes hoc erudito sæculo factæ, quæ nobis per similem interpretationum, vel explicationum novitatem, pro veris certisque deinceps habitæ sunt: etsi, inquam, hæc animum addere debuissent exempla, ingenuè tamen fateor illum mihi aliquando cohibitum pendentemque visum esse, cùm in tam angusto tramite nullum ostenderet quem sequeretur.

At si in his callibus ducem non habui, habui tamen qui se emenso curriculo, exhiberet approbatorem. Enim verò cùm ante susceptam operam curiosè soliciteque, quos præ manibus habebam Criticos inquisissem & excussissem, qui mihi facem ad ausum præferre possent, & incassum rediisset labori, contigit tandem ut exactâ operâ, & aliud agens in duos novissimos Scriptores inciderim, penes quos omnem præcipui à me assumpti argumenti, aliorumque inde deductorum, aut expressam, aut consequentem confirmationem animadverti. Quod cùm mihi summum esse debeat, è re duco tantam accessionem proferre, eamque extra ordinem habitam, extra ordinem pariter locare.

Et mantissa duorum Eruditorum ponderosa suffragia hactenus traditis mirè adjiciens.

XXIV.

R. P. *Ludov. Thomassini* autoritas in quot & quantis nobis concors & accommoda.

Primus Scriptor cujus me tuetur autoritas nominatissimus consummatissimusque est R. P. *Ludovicus Tomassinus*, ex Oratorii Gallicani Congregatione Theologus, cujus commendanda eruditio, tantum Patriæ nostræ Provinciæ & Senatoriæ suæ familiæ decus accumulat, tantam, quàquà patet, Orbi literario, quotidianis suis lucubrationibus, utilitatem confert, ut vel ejus nomen omni deinceps laude majus esse debeat. Is, inquam, tantus in postremis dogmatum suorum Theologicorum libris, quos serò satis videre licuit, variis argumentis à nobis assumptis omnino suffragari deprehensus, in hoc nostro, quod hactenùs expendimus totus videtur Tom. 1. eorundem dogm. *de Deo* lib. 9. cap. 8. n. ultimo, ubi hæc expressè ha-

bet: *Observa quintò & ultimò has omnes controversias & querelas, sive Massiliensium adversùs* Augustini *doctrinam, sive Discipulorum adversùs Massilienses, sopitas sedatasque fuiße, tum in Concilio Arausicano II. tum à* Bonifacio *Papa II. Atqui & Synodi & Pontificis hujus canones, & Epistolæ præclarissimè quidem definiunt ipsa quoque* FIDEI ET BONÆ VOLUNTATIS INITIA, *& prima rudimenta, quin & totam salutis nostræ fabricam divinæ gratiæ acceptam referri debere, at* ABSTRUSIORES ISTAS *& spinosas, de* PRÆSCIENTIA, *de* PRÆDESTINATIONE, *& de* REPROBATIONE *quæstiones ne attingunt quidem. Par* Cœlestini *Papæ fuerat moderatio, si verè ejus sunt, quæ sub ejus nomine circumferuntur, definitiones de gratia. Sed & si autoritate* Cœlestini *Papæ à* Prospero *conscriptæ sunt, ut non paucis videtur, utque multis locis* Hincmarus *insinuat, tantò major incessere nos debet admiratio hujus tantæ sobrietatis. Cùm enim* EFFUSISSIME Prosper *&* CONCITATISSIME *scripsisset* SUO PRIVATIM NOMINE *adversùs Augustinianæ doctrinæ* OBTRECTATORES, *& nullam* IBI *intricatarum istiusmodi quæstionum de* PRÆDESTINATIONE, *de* REPROBATIONE, *de oblata omnibus salutis facultate* &c. INTACTAM *prætermisisset, ubi* SEDIS APOSTOLICÆ *nomine & autoritate stylum moderatus est* AD FIDEI REGULAS *conscribendas, non ad Theologicas dißertationes librandas, tunc certè* PAUCISSIMA FACILLIMAQUE TANTUM *sanxit, & ab illis* RECONDITIORIBUS *Quæstionibus definiendis prorsùs* ABSTINUIT. *Idque his ipse verbis palam professus est*: Profundiores verò difficilioresque partes incurrentium quæstionum, &c.

Porrò si circa Prædestinationis gratuitæ dogma, quod ab Ecclesia determinatum & in *fidei portionem* acceptum negavimus, alicujus adhuc in re tam clara testimonio indigeremus, ex ejusdem etiam sapientissimi Doctoris ore promendum esset, qui citati tractat lib. 9. c. 19. n. 8. ità de his mentem suam aperit: *unum superest quod moneri lectores necessum sit, nempe ubi decretum de prædestinatione gratuita indecisum à SS. PP. relictum esse tam constanter negavimus.∴∴. non id nobis fuisse consilii, ut decretum illud in* FIDEI DOGMA *receptum fuisse affirmaremus. Longè aliud est doctrinam de gratuita prædestinatione ab* Augustino *& à plerisque omnibus Ecclesiæ utriusque Patribus assertam fuisse, atque ab Ecclesia Catholica* UT FIDEI REGULAM *coaptatam esse,* &c. Id *in causa fuit, ut sæpiculè dixerimus* Augustini *de electione gratiæ sententiam dogmati fidei esse conjunctam: non esse relictam in*

medio

medio ut indecisam, aut superfluam, sed velut COHÆRENTEM, *aut* CONSEQUENTEM, *non velut ipsi* FIDEI *substantiæ* CONCRETAM, *aut* IMPLICITAM.

In multis itaque & præcipuis consentit nobis Vir doctissimus, cujus adeoque autoritatem nobis oppigneramus in istis quæ per capita distinguimus. XXV. Per singula recensetur ejus assertio, & nostris aptatur.

1. Concilii Arausicani 2. & *Bonifacii* P. 2. Canonibus & epistolis sopitas sedatasque tradit Massiliensium adversus *Augustini* doctrinam querelas.

2. Collaudat pariter tum Pontificis, tum Patrum in Synodo congregatorum moderationem, qui suis constitutionibus præclarissimè quidem definierunt fidei & bonæ voluntatis initia, totamque *salutis fabricam* divinæ gratiæ acceptam referri debere, at abstrusiores illas de Prædestinatione, &c. quæstiones non attigerunt.

3. *Capitula* de gratia *Cœlestini* fœtum esse nec assentitur.

4. Magis propendet ut sint illa *Prosperi*, sed autoritate *Cœlestini* digesta, idque insuper *ab Hincmaro* insinuari confirmat.

5. Conceptis itidem verbis asserit *scripsisse* Prosperum *effusissimè*, & *concitatissimè*, cùm *suo privatim nomine adversus Augustinianæ doctrinæ obtrectatores* conflixit, tuncque *nullam intricatarum istiusmodi quæstionum de* Prædestinatione, de Reprobatione, &c. *intactam prætermisisse.* At seu per illum *concitatissimum* scribendi modum significare voluerit Vir doctus, commotum vehementer abreptumque *Prosperi*, hac in pugna genium, sive eum potiùs designare, qui procacibus querelis, & diutina provocatione lacessitus detonat tandem, præconceptasque jam longùm defensiones emittit, certum exploratumque est, ex istiusmodi *Prosperianis* lucubrationibus nullam extare, quæ splendidiùs horum alterutro charactere, vel utroque forsan signata sit, quàm responsio quæ *contra Vincentianos* emissa fuit; ut non erant haud dubiè *Augustinianæ* doctrinæ obtrectatores, iis valentiores & animosiores, qui his suis objectionum diabolicis indiculis *Prosperum* impetebant. At si illa ejus responsio, in qua nulla pariter intricatarum istiusmodi *de Prædestinatione & Reprobatione* quæstionum prætermissa esse demonstratur, privato nomine data fuit, seu ut suo *privatim nomine* contra suos calumniatores tueretur se *Prosper*; consequens prorsus est, ut prejudicarit doctissimus noster P. *Thomassinus*, eam non *ex Apostolicæ Sedis autoritate* prodiisse defensionem, adeòque & Prosperum his verbis: *necessarium duximus verba ponere sensus & fidei, quam ex Apostolicæ Sedis autoritate* DEFENDI-

MUS, &c. non præsentaneam operam illam ab autore *privatim* agente utique scriptam, sed aliam jam emissam connotare voluisse. Aliter namque, dictio ista: *defendimus*, in præsenti tempore determinata determinaret & ipsa, clamaretque hanc defensionem *concitatissimè* licet factam, non à *Prospero*, suo *privatim* nomine, sed *ex Apostolicæ Sedis autoritate* digestam & emissam esse. Quod ex omni parte peremptorium est.

6. Et in hoc demum conspirat versatissimus Theologus, quòd scilicet de Prædestinatione gratuita decretum ab *Augustino* & aliis SS. PP. non relictum quidem est ut indecisum, sed tamen ab Ecclesia ut FIDEI REGULA, non est receptum: hancque doctrinam, velut *cohærentem* aut *consequentem*, non veluti *fidei substantiæ concretam*, aut *implicitam* spectari posse.

Hæc Vir in paucis profundus & eruditus, aut conceptis verbis, aut rectè exinde deductis necessariis illationibus, in positionum nostrarum validissimam omnium tutelam declarat; cujus adeòque autoritas quantùm mihi, aliisque quampluribus ponderosa est, tam auguror *P. Quesnello* in ea veneratione futurã esse, qualem ejusdem contesseratio sodalitatis, & aliæ communium utrique virtutum & doctrinarum prærogativæ facilè conciliare solent.

XXVI. R. P. *Brun. Neusser* sententia explicatior circa proëmii ad *Vincent.* verba, nostræ planè conformis.

Ceterùm Scriptor alter, cujus suffragium adjungo, etsi inferioris penes me notæ sit, quippe quem non de integro, sed fustatim solùm videre licuit, mihi tamen ex integro consentaneus est, & priori etiam expressiùs concordat. Nuncupatur ille R. P. *Bruno Neusser*, Belga, ut arbitror, & Theologus non ignobilis, cujus operis inscripti: *Prodromus velitaris*, &c. fragmenta quædam respersa animadverti, in Actis SS, mensis Maii Tom. 4. & 5. postremùm datis à R. P. *Daniele Papebrokio* è Soc. Jesu Theologo, suo nomine satis noto, in quorum altero (& id liceat dicere) quæcumque de S. Martyris nostri *Torpetis* Reliquiis & translatione fusiùs ad eum disserueram intexuisse dignatus est, præter ea tamen, quæ de nobilium familiis proprio cognomine ante undecimum sæculum in Provincia nostra distingui solitis postea rescripseram; quòd ea forsan, non meâ quidem, sed aliorum indiligentiâ, ad illius manus opportuno tempore non pervenissent. Sed & juxta ista quæ, iis ab Historico Provinciæ assertis, longè certiora & fundatiora reperit, illum mox ire compositum quidquid contra instrumenti decimo sæculo in GRIMALDÆ Gentis gratiam dati, & à nobis ex Archivo nostro eruti transmissique fidem consignaverat, renuntiat mihi variis literis pii atque eruditi operis in his nostris partibus procurator indefessus, in-

Tom. 4. ad 17. Maii.

ſigniſque ex eodem celeberrimo ſodalitio Theologiæ Profeſſor multo mihi nomine reverendus P. *Car. Faber*; quem & heic laudare Forojulienſi ſolo, è quo eſt, glorioſum, & mihi ſuauiſſimum habeo. Unde hoc permoleſto onere me perindè levatum fore ſatis gaudeo, qui ejuſdem inſtrumenti germanitatem vindicaturus Sereniſſimo LUDOVICO GRIMALDO noſtro, ſupremo Monoeci Principi avitarum virtutum hæredi, tàm viciniæ jure, quàm communium & nobis opum ſervandarum haud illaudabili ſtudio, è primis adfueram. Sed ut ad incepta revertar, extat in tom. 5. menſis Maii memorati *Prodromi velitaris* excerptum ad diem 24. rejectum, in quo ex occaſione memoriæ S. *Vincentii* Lirinenſis tùm recurrentis, autor nimiam tanti viri ſanctitati inductum iri fuliginem perſuaſus, ſi Semipelagianus error eundem tantillum attigerit: ut in hac eluenda illi, quam exiſtimat, macula, pluribus contra *Noriſium* velitatus eſt, hæc carptim in argumenti noſtri confirmationem ſubjicit, quæ ad verbum ex tom. 5. Actorum Maii p. 290. exſcribimus. *Illud autem* (ſic habet) *quod ſcribit* Proſper *in præfatione ad objectiones Vincentii, nimirùm fidem à ſe defendi Sedis Apoſtolicæ autoritate, non* EO SENSU *accipiendum eſt, quo accipis*, Hiſt. Pelag. p. 250. (contra *Noriſium* loquitur) *quaſi Sedes Apoſtolica hoc munus homini laico, ut fateris ibidem, impoſuerit*, SED ALIO EOQUE NATIVO, *nimirùm* DECRETIS JUDICIIS, SENTENTIIS, AUTORITATIBUS, *ut legitur ipſo titulo Capitum Epiſtolæ* Cœleſtini *annexorum: unde probabiliter conjicio* Proſperum INNUERE SE CONTRA PELAGIANOS HUJUSMODI AUTORITATIBUS, *vel* AUTORITATE SEDIS APOSTOLICÆ FIDEM DEFENDISSE. *Ex quò ulteriùs probatur* CAPITA ILLA A PROSPERO SCRIPTA *fuiſſe & epiſtolæ* Cœleſtini *annexa*. Sed ad *Vincentium* redeamus, &c. Hactenus P. ille *Bruno Neuſſer*, qui jam ſubodoratus fuerat *Proſperum* his ſuis præfationis ad objectiones *Vincentii* verbis, quibus ex Apoſtolicæ Sedis autoritate fidem defendi teſtatur, ad decreta, ad judicia, ad ſententias & autoritates reſpicere, quæ ipſo titulo Capitum Epiſtolæ Pontificiæ connexorum celebrantur, *ſenſumque* illum *nativum* eſſe præſtat & in ſe recipit. Cujus certè autoris teſtificationem, quàm noſtris congruere gratè accepimus, tàm illi fore acceptas, ex aliis accerſitas rationes noſtras non dubitamus.

Quod ſupereſt, ut latiori hucuſque ſermone digeſta certis determinatiſque poſitionibus contrahamus, quò videat, unico intuitu,

XXVII. Præcipuarum Dissertationis assertionum ἀνακεφαλαίωσις.

avidus Lector, quidquid hàc qualicumque operâ, præcipuum, saltem, vel probasse vel indicasse confidimus, rem omnem per summa capita sequenti elencho exhibere conveniens censuimus.

Ac *primò* probatur *Capitula* seu autoritates de gratia Dei *Cœlestini* opus esse non posse.

2. Nec *Leonis* Romanæ Ecclesiæ Diaconi ejusque Vicarii.

3. Hanc collectionem esse *Prosperi Aquitani* & ab eo ordinatam vel præconceptam inter Romanæ legationis moras, aut paullò post eam obitam, non penitùs ignorante *Cœlestino*.

4. Explicationes, glossas & consectaria *Capitulorum* collectioni illigata ex literis sensisque *Prosperi*, nec non *Augustini* scriptis ad purum esse decerptam.

5. Et id causæ certò fuisse convincitur, cur *Prosper* sobriè admodum & citrà laudis commendationem de *Capitulis* ipsis seu eorum collectione locutus sit.

6. Responsa *Prosperi* ad *Vincentianas* objectiones merâ ex occasione data esse, citra ullam omnino Sedis Apostolicæ jussionem vel autoritatem.

7. Responsa *ad Gallos* post *Vincentianas* objectiones publica facta esse longè probabilius.

8. Opus contrà *Collatorem* nuspiàm ex Apostolicæ Sedis jussu digestum.

9. *Capitulorum* opusculum à se concinnatum connotare & indigitare videri *Prosperum* in ipso proëmio ad *Vincentianas* objectiones, & alibi.

10. Quæ contrà hanc, de responsis ad *Vincentianos*, *ex Apostolicæ Sedis autoritate* nusquàm emissis, sententiam opponuntur, eam ex omni parte corroborant, & adversarios iisdem longèque majoribus angustiis addicunt.

11. *Augustini* & aliorum SS. PP. de Prædestinatione gratuita, &c placita in *fidei portionem*, vel dogma nusquàm recepta.

12. Responsiones contrà *Vincentium* ex purâ putaque *Capitulorum* doctrinâ depromptæ & recusæ esse, etiam ex P. *Quesnelli* suffragio, demonstrantur: imò & ex iisdem gratuitæ Prædestinationis dogmata quadantenùs pendere, & illis adjuncta esse.

13. Rationes ob quas non conducebat Ecclesiæ causæ, ut tractatæ in responsis, &c. *de Prædestinatione & Reprobatione* quæstiones unius Doctoris, veluti Legati Apostolici arbitrio & definitioni permitterentur carptim expenduntur.

14. Conclusio & mantissa duorum novissimorum Scriptorum sententias & interpretationes exibens nostris per omnia concordes ac consentaneas.



DISSERTATIO II

DE VERO AUTORE EPISTOLÆ *AD DEMETRIADEM* VIRGINEM.



UCCEDIT nunc quæstio de Autore Epistolæ ad *Demetriadem*, clarissimam spectatissimamque Virginem Romanam, quem fœtum cum similiter omnes pene Eruditi *Prospero* adjudicent, P. *Quesnellus* primus iterum ac solus sui contendit *Leonis* fortunis addicere. Atque adeo quia Epistolæ istius autor esse censetur ab omnibus ille ipse, qui *de Vocatione Gentium* librum conscripsit, *Leoni* simul ac istum adjudicavit *Vir doctus*, alterum sponte sua, vel nullo fermè negotio in ejusdem parentis ulnas advolatum ire confidit. Et rectè quidem, licet enim ex conjecturis tantùm heic se agere profiteatur, ex priori sua hypothesi tamen, tantam illæ certitudinem inducunt, ut uno admisso, alterum consequi necesse sit. Hæc autem meritò causa fuit, cur in hac Dissertatione parcius de hoc argumento disseruerit, quod in præmissa sufficienter stabilitum esse supponebat. Aliquas tamen & illeic probationes subjunxit satis novas & exquisitas, ut nobis partus suppositionem in priori & prolixiori opere, *de Vocatione*, conquerentibus, illas primùm refellendi necessitas incumbat: unde illud secundum nobis contingere speramus, ut his præjudiciis se-

I. Hujus Epistolæ, & libb. de *Vocatione Gent.* unus & idem autor.

mel depulsis, aliisque etiam congestis seorsim momentis, in sententiæ nostræ præsidium, quæ *Prosperum* hujusce epistolæ autorem subindicabunt, facilis planaque sternatur via ad eas uberiores validioresque rationes, quæ eidem *de Vocatione Gentium* tractatum vindicabunt.

Itaque *Quesnello* & aliis Eruditis non refragamur, in quo conveniunt, utriusque operæ unum eundemque esse artificem, proindèque rationibus à *Viro docto* in eam rem petitis, ex eadem methodo, quâ utrobique certa Scripturæ loca citata descriptaque sunt, ultrò subscribimus: quanquam in sequenti Dissertatione fusius à nobis examinandum remittamus, quid ex istiusmodi regulis certius statui potest. De styli similitudine scriptori sapientissimo similiter adhæremus, circa ea præsertim loca, quæ ex libris *de Vocatione*, & Capitulis seu *autoritatibus Sedis Apostolicæ* delibata fuerunt, quæ egregiè omnino eundem autorem indigitant. At quoniam quæstio est, ecquis tres illos tractatus elucubrarit? non deberent, judicatû nostro, loca illa ita divisim inter se conferri, ut ex indubitatis *S. Leonis* operibus deprompta supponerentur, cùm id ipsum sit, quod in controversiam adducitur: sed posset tantùm ad validam probationem unumquodque seorsim cùm aliis genuinis sancti Pontificis lucubrationibus invicem comparari, quod sedulò nos observavimus, cùm ad quemque controversum tractatum indisputatas *Prosperi* scriptiones contulerimus.

Prosperiani styli cum isto epistolari cõparationum series per tabulas.

At neque illud interdùm laudatus Autor non exequitur, nec dissimulamus eum selectas periodos & locutiones ex *S. Leonis* sermonibus collegisse, quæ magnam cum stylo Scriptoris epistolæ *ad Demetriadem* affinitatem exhibent. Quod etsi grave videri debeat, minùs tamen validum esse palam fiet; postquam ex *Prosperi* libris adducta alia loca trutinanda proponentur, quæ longè majorem cum stylo autoris incogniti similitudinem referent. Quod ut paucis præstetur, hæc solùm in sex tabulis proferimus & conferimus.

Ex 1. *Cap. Epist.* ad Demetriad.

1. Et licet *plantationi*, suæ summus *agricola* valida ad *profectum* tuum *incrementa* præberet, cooperatores tamen gratiæ Dei opportunè piam adhibuere culturam.

2. Et post ornatissima scripta excellentium, quid.... nisi fortè, quia & illorum doctrinis & tuis studiis *ad sublimiores gradus virtutum* consuetudo proficit, cavendam te *elationis* admoneam, & *humilitatis* tibi sinceritatem fidâ suggestione commendem, ut in omnibus in quibus es *tibi benè conscia*, nunquam audeas *esse secura*.

Ex aliis operibus Prosperi.

1. Etsi Deus dat *incrementum*, tamen à ministris verbi, & *plantandum* & rigandum Exp. in *Psal.* 118. Quibus nec plantator prædicare: si ad effectum *plantationis* aspicitur. Resp. ad 4. & 5. obj. *Gallor.* Cùm aliquid boni in agro cordis nascitur de munere est cælestis *agricolæ*. Exp. *Psal.* 134. II. Primæ tabulæ conspectus.

2. Ingressus viam *virtutum* in qua sunt *gradus* ascensionum *ad sublimes*, &c. Exp. v. 1. *Ps.* 120. Desiderantem *profectus suos* contra superbiam munit... det igitur tibi custos tuus perseverantiam *humilitatis*, ne ulla *elatione* movearis, &c. *Ibid.*

2. Ante æterna tempora nemo potest *esse securus.* (Resp. ad dub. *Genuen.* sub finem.)

2. Ne bene mens *sibi conscia.* Titul. *Epig.* 83.

In hac priori capitis parte sensus & elocutiones similes ex adductis *Prosperi* operibus mirè respondent. Et primùm utrobique in primo membro summo agricolæ omne virtutum *incrementum* adscribitur. 2. Cultura seu rigatio, gratiæ Dei cooperatoribus. Heic Deus vocatur: *summus agricola*: illeic: *cælestis agricola*. Tum, *gratiæ Dei cooperatores*, per *ministros verbi* exprimuntur. Quæ eòdem redeunt. Sed & utrobique hæ voces: *incrementum*, *plantatio*, *profectus* eodem intellectû usurpantur. III. Observationes.

In 2. membro similiter via ad virtutem gradatim subeunda demonstratur, & ad illam conservandam humilitatis observantia commendatur, uti quæ & ad illius jacturam conducat superbia, ex opposito manere præcavetur: utrinque autem & *virtutum gradus*: item *sublimes*, & *sublimiores*: tum: superbiæ vitium per *elationis* dictionem constanter exprimitur. Postrema autem locutione: non audeas *esse secura*, nunquid satis per hanc redditur: nemo potest *esse securus*, & ex altero; mens sibi *benè conscia* his sincerè commensuratur: in quibus es tibi *benè conscia*.

IV. Secundæ tabulæ conspectus.

Ex 2. 5. *&* 6. *Cap. Epist.*

1. *Remota* itaque *illa* specie humilitatis, quæ tota, &c.

2. *Absit* autem *ab animis* fidelium tam irreligiosa *persuasio*, *ut cuiquam* SS. ad capiendum veræ humilitatis meritum credatur opulentia, &c.

3. Cum *Ecclesia* Dei *quæ est corpus Christi* ita sit multimoda varietate contexta, ut in unum *decorem*, etiam quæ non sunt paria concurrant.... fiat totius ædificationis inseparabilis *connexio*, & indifferens pulchritudo, nec desit soliditati, quod non defuerit *portioni*. Hæc autem virtus vera *humilitas* est, quæ inter quoslibet *meritorum gradus* nunquàm sui potest esse dissimilis.

Ex aliis Operibus Prosperi.

1. *Remota* ergo *hac* discretione, *quam* divina, &c. Resp. ad 2. *Vinc.*

1. *Remoto* ergo obscurarum turbine quæstionum, &c. Ad 8. *Gallor.*

1. Sequestrata omni disputatione, *quæ* de con. Exp. v. 17. *Psal.* 108.

2. Sed *absit ab animis* piorum & Christi sanguine redemptorum stulta nimiùm & perniciosa *persuasio*. Naturam humanam non liberat extra unum mediatorem, &c. Ep. ad *Ruffin.*

2. *Absit ab animis* piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio. c. *Collat.* c. 27.

2. *Absit* hæc à Catholicis cordibus, *absit* talis impietas, *ut quemquam* putemus, &c. Resp. ad Dub. 6. *Genuen.*

3. Filii postremò totius *Ecclesiæ*, *quæ Corpus est Christi*, qui sunt in Christi corpore fortiores, quorum firmitate omnium compago membrorum munitur.... tum in Sion *multi* sunt lapides, & qui istis non sunt *connexi* pulvis sunt...... crescit quotidiè *Ecclesia* in Templum Dei, & ab ipso capite totum *corpus* extruitur.

Hæc est *ædificatio* Sion, & structura ejus: sic vivi lapides instruun-

instruuntur, quia ad compagem *decoris* ejus nonnisi per *humilitatem* & orationem pervenitur. Exp. *Psal.* 101. per totum.

4. In *multitudine* hominum diversitas est graduum & dissimilitudo *meritorum*.·. tota enim in *Christo Ecclesia* unum *corpus est*, & quod rectè agit quælibet *portio*, tota sibi vindicat plenitudo. Exp. *Psal.* 148.

V. Observationes.

1. Eximia in his formulis ac transitionibus conformitatis species : *remotâ itaque* illâ specie quæ, &c. atque : *remotâ ergo hac* discretione, *quam*, &c. *remoto* ergo, &c. *sequestratâ omni*, &c. quæ quidem eundem incogitanter stylum reducunt.

In communi transitionum & formularum singularium usu.

2. Sed quid etiam splendentius referunt sequentes dictiones : *absit* autem ab animis Sanctorum irreligiosa *persuasio*, *ut*, &c. nec non : Sed *absit ab animis* piorum perniciosa persuasio, insidiosa deceptio, tùm : *absit*, *absit* talis impietas *ut*, &c. Ubi quidem omnia eodem ordine fluunt, & iisdem verbis contexuntur.

Idem styli character magis resplendet, Idem utrinque ratiocinii ordo, sententiarumque gradatio.

3. Quod si sensus magis expiscari juvat, graviora videbuntur quæ occurrunt capite 6. ubi quæ de Ecclesia Dei enuntiantur, ita explicatè occupat *Aquitanus*, ut major per omnia convenientia reperiri nequeat. Nam ex utraque parte. 1. *Ecclesia*, *corpus Christi* asseritur. 2. In ea *varietas multimoda*, seu *multi* esse notantur. 3. Membrorum illorum in unum *decorem* connexio assurgere. 4. *Humilitas* via ad hunc *decorem*, aut ipse *decor* esse perhibetur. Notabilius autem est idem usus ejus vocis : *decor*, undè : *in unum decorem*, & : *ad compagem decoris ejus*. Sed nunc occurrit expositio antepenultimi versus *Psal.* 148. hæc iterùm replicans & illustrans, habet enim : in *multitudine* hominum diversitas est *graduum*, & dissimilitudo *meritorum* . . . Tota enim in *Christo* Ecclesia unum *corpus est*, & quod rectè agit quælibet *portio*, tota sibi vindicat plenitudo. Quæ quidem illud etiam adversi schematis residuum exprimunt : quod non defuerit *portioni*.

Ex 7. Cap. Epist.

VI. Tertiæ tabulæ conspectus. *Rom.* 1. 10. 1. Omnia quidem *elementa* mundi, & universæ naturæ hoc ipsa sui exigunt specie, ut *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur*, & in *pulchritudine* cœli & terræ quædam sunt paginæ, *ad* omnium oculos semper patentes, *& autorem* suum nunquam tacentes.

2. Sed quidquid illud est, quo corporeorum *sensuum exteriora* pulsantur in agro cordis cui impenditur ista cultura, nec germen potest emittere, nisi ille summus & verus *agricola* potentiam sui operis adhibuerit, & ad vitalem profectum, &c. neque qui *plantat* est aliquid neque qui rigat. *1. Cor.* 3. 7.

Ex aliis operibus Prosperi.

Trahit igitur ad Deum contemplatio *elementorum*, omniumque quæ in eis sunt ordinatissima *pulchritudo*; *invisibilia enim* ejus à creatura mundi *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* c. 14. cont. *Collat.* Item: in intellectu facti sunt cæli *ad* erudiendam eam creaturam, quæ ad cognitionem sui *præordinabatur autoris*, *invisibilia enim Dei*, &c. Exp. *Psal.* 135. Et *Psal.* 103. multipliciter spectabil's est *pulchritudo* mundana.

2. Si autem ad effectum plantationis & rigationis aspicitur, aliud actum est cum eis, quorum *exteriores* aures *corporali* voce *pulsatæ* sunt, aliud in eis quorum *interiorem sensum* Deus aperuit & in quorum corde posuit fidei fundamentum. Resp. ad object 5. *Gall.* (*Supra* autem observatum est:) de agro cordis & cœlesti *agricola*.

1. Insignia usquequaque sunt harum similitudinum excerpta: quod enim ad primum attinet membrum, & eodem sensu & eadem autoritate, & iisdem prorsùs verbis ratiocinium instituitur, ut juxtà Apostolicam sententiam ostendatur mundi visibilia ad invisibilium contemplationem trahere. Quàm autem in hoc assumendo loco frequens sit *Prosper* varia ejus opera testantur, ubi ut & istheic, semper has locutiones autoris epistolæ usurpat & frequentat. *Contemplatio elementorum: pulchritudo mundana: ordinatissima pulchritudo.* Ad Deum autem designandum nunquam hanc vocem, *Autor*, pariter non adhibet; quod fusiùs infrà notabimus. Alibi autem & *species* eodem sensu assumitur, ut exp. in P*sal.* 120. v. 3. *Vide per fidem ut possis videre per* speciem. Item & P*sal.* 144. v. 10. infinitæ mundi partes & *species,* atque natura *suum semper* loquuntur *autorem*, & utilitate & *pulchritudine*, &c. VII. Observationes.

2. De figura autem operationis gratiæ ad modum plantationis derivata nil uspiam conformius reperiri potest, ubi enim dicitur *corporeorum* sensuum *exteriora pulsantur*, &c. sic *Naster* ait: *exteriores* aures *corporali* voce *pulsata sunt.* In quibus proprietas singularitasque dictionis utrinque collucent. Quòd autem ad ejus gratiæ efficaciam non cognoscitur hæc: *nisi ille summus agricola potentiam sui operis adhibuerit*, vel, ubi: *eorum interiorem sensum Deus aperuit.* De agricola & agro paullò anteà dictum erat. Sed & car. de *Ing.* c. 20. hoc thema egregiè fuerat occupatum, ubi: *vox* ministrorum *pulsans* aures: *ager & plantator*: Seminibus dans Deus *incrementum: cordis* arvum præsulcans divina manus, aliaque similia occurrunt, quæ non modò selecta tabulæ istius, sed & aliarum duarum præcedentium schemata penitùs præbibunt.

Ex 10. *Cap. Epiſt.*

VIII.
Quartæ tabulæ conſpectus.

1. Multi enim ſervientes Deo, & in lege ejus die ac nocte meditantes *crucifixerunt* carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis, omniumque illecebrarum incentiva domuerunt, non damnis victi.

2. Tantam itaque firmitatem & tam ſublime propoſitum quâ impugnatione diabolus poſſet adoriri, niſi ut quibus non potuerat perſuadere *vitiorum amorem*, immitteret *laudis* cupiditatem; ut inde noviſſima inſtrueretur tentatio, unde nocuit *prima* deceptio. Non itaque deſidioſis ac tepidis.·.·. ſed magis bonorum actuum *probitate* luculentis, per gloriam irrepſit humanam, & quos impulſione non movit, *elatione* dejecit.

3. In paradiſo namque Eccleſiæ conſtitutos & virtutum deliciis abundantes ad confidentiam proprii incitavit *arbitrii*, ut profectus ſuos in ſe conſtituerent, & ad *arborem* propriæ voluntatis manum præſumptionis extenderent.

Ex aliis operibus Proſperi.

1. *Nec tibi fallacis ſubrepat imago decoris*
Nullum ex his errare putes, licet in cruce *vitam*
Ducant, & jugi afficiant ſua corpora morte,
Abſtineant opibus, ſint caſti ſintque benigni,
Terreniſque ferant animum ſuper aſtra relictis.
2. *ſic* laudis amore
Virtutum ſtudium corrumpitur, atque ab honeſto
Principio in vitium exitur plerumque tumoris
De *Ing.* c. 4.

2. Deſiderantem profectus ſuos contra ſuperbiam munit, quæ & Angelo & homini *prima* fuit cauſa labendi. Det igitur tibi cuſtos tuus perſeverantiam humilitatis, ne *elatione* movearis. Exp. *Pſal.* 120. v. 2.

2. Quibus de virtutum ſtudio exortum eſt periculum, & de morum *probitate* diſcrimen. Epiſt. ad *Ruffin.*

3. . . . . . *deſueſcite captas*
Aures vipereo *rurſus præbere ſuſurro.*
Parcite defractis præcerpere noxia poma
Arbitrii *ramis, nec hæc vos eſca reformat.*
Nec ſpeciem angelici nutrit cibus iſte decoris,
Sed vetitorum avidos, & tetrâ bile tumentes
Defaſtidita procul abripit arbore *vitæ, &c.*
De *Ing.* c. 28.

Series decimi Capitis.

4. Reſtiterunt quidem huic impietati innumerabilium corda ſanctorum, & non ſolùm docti quique Pontifices, ſed univerſales Eccleſiæ plebes *inſaniam* novi dogmatis *horruerunt*.

5. Sed invenerunt QUOSDAM *Viperina* conſilia, quibus doctrinæ ſuæ virus infunderent. ·.·.·. Hinc poſtremò Divinæ gratiæ ſtimulata & inſincera confeſſio, quæ ſecundùm merita daretur, non ex qua merita naſcerentur. Quam *partem* ſuperbæ prædicationis QUIDAM ſibi, cùm cetera abnuerent ſervaverunt. Sed hoc eos aut nimis imperitè, aut valdè nequiter feciſſe non dubium eſt, ut omnium hominum generalem ruinam meritorum privilegio ſublevarent: & cùm inter noſtros originalis *peccati vulnera* faterentur, inter ſuos tamen hoc tenere oſtenderent, quòd *primorum hominum* prævaricatio ſolis incitatoribus obfuiſſet.

Ex aliis operibus Proſperi

4. Diſcipuli Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, *inſaniam* ſuperbæ elationis *horreſcunt*. c. *Coll.* c. 38.

5. : : : : : : *atque ab honeſto*
Principio in vitium exitur plerumque tumoris,
Quo QVIDAM inflantur nunc turpiter, atque perempti
Dogmatis extinctas tentant animare favillas
Dum libertatem arbitrii affectumque volendi
In naturalis motus virtute locantes,
Tam bona quemque docent ſectari poſſe ſuopte
Ingenio, quàm poſſe ſubeſt cuique in mala ferri.
Quod qui confirmas, quidnam diſtabis in illis,
Qui dicunt nullo pec cati vulnere *læſum*
Naturale bonum; cumque illo lumine naſci
Nunc omnes homines, *quod* primis *ingeneratum eſt.*
An vero excerpis quædam, quæ parte *reciſa*
Suſcipias.
Dic igitur quidnam indè probes, quid vero refutes:
Et de damnatis quid ſit, quod crimine ſolvas.
De *Ing.* ut ſuprà.

IX. Observationes.

Quoniam caput istud decimum *Pelagianæ* hæreseos; ejusque recrementorum initiis & deceptionibus propalandis destinatum est, *Prosperque* istiusmodi rerum, quarum utique *pars magna* fuit, idoneus in paucis testis habendus est, caput ipsum in quo totus penè epistolæ scopus involvitur, totum exscripsimus; ut ex oppositis illi schematis penitiùs dijudicetur, si *Prosper* tàm alteri, quàm istis genium suum afflaverit, stylumque accommodarit. Quod certè facilè præstitum iri non ambigimus. Cùm enim sic à natura comparatum sit, ut nulli procliviùs menti nostræ se conceptus objiciant, quàm quos tùm interiori luce veros agnoscimus, tùm etiam interiori affectu jucundos habemus; ita prorsùs ex horum lectione invicem collata patescet illicò *Prosperum* præjudiciis suis atque conceptibus utrobique semper servientem & intentum, huic ipsi capiti, non modò verba, sed expressiones, sed formulas, sed figuras ac transitiones aptasse omnes, quas alibi datis occasionibus adhibuerat, occuparat, & retractarat.

Micantissimæ conformitatum species.

Ac 1. in his prioribus schematis delineantur hinc & inde *Pelagiani*, aliquo forsan in verborum sono discrimine, propter versuum mensuras occurrente, sed eodem planè sensu genuinisque coloribus: peræquè siquidem illos ad quos sermonem dirigit dehortatur autor ab eorum consuetudine, qui sub virtutum specie deceptionum laqueos obtendere student: atque illi ipsi expressissima conformitatis locutione, vel *cruci affixi*, vel, *in cruce vitam agentes* designantur. Tum qui *omnium vitiorum illecebras domuerunt*, metri lege: *Jugi afficere sua corpora morte, castique* esse laudantur. Quique denique: *non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus* depravati, &c. iidem æquivalenter omnino: *terrenis animum super astra relictis ferre* demonstrantur.

2. Neque heic minùs opposita se se schemata complectuntur, namque utrinque vel, *laudis amore*, vel, *laudis cupiditate* virtutem *corrumpi*, vel, *dejici* prænuntiatur: tùm *vitiorum amor, vitiumque tumoris*, &c. Sed has etiam elocutiones alio stylo scribens *Prosper* assequitur, nam in *Psalmorum* expositione, fidelem animam contra superbiam communire semper solicitus, eam & *angelo & homini primam fuisse labendi causam* refricat, ut ex adverso: *novissima tentatio instrui* dicitur, *unde nocuit prima deceptio*, in quo adjecto: *prima*, quid resonat expressius, ac convenientius. Sed & illud etiam palmare quis non dixerit? *quos impulsione non movit, elatione dejecit*: atque: *ne elatione movearis*. Porrò & heic iste has voces illigat: *profectus suos*, quibus utitur *Anonymus* in sequenti numero, ubi ait: *ut profectus suos* in se constituerent, &c. quæ nec similiter majorem sensuum cohœrentiam reddere possunt. Omitto enim adducere alias *Prosperianas* loquendi formulas huic penitùs similes ut cum v. 1. *Psal.* 112. multa rursùs in hunc sensum retractans habet: *qui se magnos putant, suam justitiam volentes constituere*, &c. & in epist. ad *Ruffin*: de iisdem sermonem instituens: *incolumitatem suam in se, non in medico collocare*, &c. Sed illud postremò ex eadem epist. occurrit: *quibus de virtutum studio exortum est periculum, & de morum probitate discrimen*, &c. quo illi bonorum *actuum probitate luculenti* rursus indigitantur.

Singulari metaphoræ communis utrinque aptatio.

3. Quænam porrò splendidior imitatio, aut conformitas excogitari potest, quàm quæ ex *arbore in* Paradiso *voluptatis constituta* desumitur, & exquisitâ allegoriâ *arbitrium* seu *propria voluntas* per hanc infaustam *arborem* inge-

niosè figuratur? nam *arbor propriæ voluntatis: defractis arbitrii ramis* egregiè respondet: in hanc autem *arborem*, seu *ramos præsumptione*, vel, *tumore manum extendisse* seu: *noxia poma præcerpsisse* dicuntur animæ sanctæ, quò idem utrinque ratiocinium usque ad finem cohærenter, unoque concentû deductum appareat.

4. Satis per se coruscat hæc formula: *insaniam* novi dogmatis *horruerunt*. Sive: *insaniam* superbæ elationis *horrescunt*. Sed & : *innumerabilium corda sanctorum*, &c. ad *discipulos Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ* satis alludunt.

5. Copiosa rursus conformitatum seges heic demetenda est: ubi primò notandum est ex carm. de *Ing*. Cap. 4. fragmento mox adducto, argumenti seriem conscribi, quæ adversi Capitis 10. residuis membris commensuretur. Utrobique autem. 1. *Pelagiani* ac *Semipelagiani* conjunguntur, ac secernuntur. 2 Per hanc vocem, QUIDAM, toties animadversam designantur. 3. Utriusque partis dogma strictim retractatur, uniusque ex altero ortus, intimaque invicem connexio deteguntur. 4. Hinc *peccati vulnera*, atque: *peccati vulnere*, &c. 5. *Omnium hominum*, *primorum hominum*. Et: *omnes homines* ac primi *homines*, ubi hæ voces utrinque in plurali numero adhibitæ, quid significantius exprimunt. 6. Nec ille sermonis contextus: *tam* bona quemque docent sectari posse, *quàm* in mala ferri, &c. hujus venam non videtur referre: *quàm* possibile fuerat non violare mandatum, *tàm* liberum esse declinare delictum. 7. Hæc autem quæ priùs exarata est *Anonymi* locutio: *sed invenerunt quosdam viperina consilia, quibus*, &c. ad eam superiùs è *Prosperiano* carmine consignatam est referenda, ubi in eodem sensu habet: *desuescite captas aures vipereo rursus præbere susurro*, &c. quod singulare satis epitheton *vipereum*, *viperinum Prospero* familiare esse non per singula notamus. Neque magis monere satagimus hanc locutionem: aut *nimis imperitè*, aut *valdè nequiter* fecisse, &c. ab eodem *Aquitano* toties occupatam, ut cum de iisdem contra *Collat*. disputans habet in fine: quæ per paucorum superbiam, & quorundam *imperitiam*, &c.

Argumentum iisdem dictionibus, sensisquæ rursùs perstrictum.

Sed multum similitudinis hæc: *quam partem superbæ prædicationis* quidam *servaverunt*, cum istis habent: *tumoris quo* quidam *inflantur nunc turpiter*, &c. imo & pressiùs in serie, *excerpis quædam quæ* parte *recisâ suscipias*. Ubi & in hac communi voce: *parte*, magna vis est, atque consensio. Grave siquidem id semper recurrebat *Aquitano*, quòd *Semipelagiani Pelagianis* anathema cum Ecclesia dicentes, illorum doctrinæ *partem* nihilo seciùs admitterent: quam & querelam non heic solùm, sed alibi sæpiùs refricat & exaggerat.

X. Quintæ tabulæ conspectus.

Ex 12. cap. Epist.

1. Refutatâ igitur superborum impiâ vanitate, quibus in peccatum etiam illa quæ eis videntur laudanda, vertuntur, nos illam humilitatem, *cui virtus & gloria Deus est*, *&c.*

2. Licet enim quædam *brevissima* tantæ sint *plenitudinis*, ut, *nullo* adversantis ingenio, possint *in sensum alium detorqueri.*

3. Operante spiritu *Dei* juvatur arbitrium non aufertur, & hoc agit gratia, ut voluntas peccato *corrupta*, *vanitatibus* ebria, seductionibus circumsepta non remaneat in *languoribus* suis, sed per opem miserentis medici *curata revalescat.*

Ex aliis operibus Prosperi.

1. *Si tamen hæc propria virtute capessere quemquam*
Nosse putant, &c.
Unde etenim varii frustra splendescere quærunt
Inde obscurantur, quoniam hac laudis amore, &c.
Effuge tu nova gens hostiles effuge sensus:
Christus enim tua justitia est, quo duce, &c.
De *Ing.* c. 40.

2. Nam quem latet *brevissimum, plenissimumque* mandatum? Exp. *Psal.* 118. c. 19.

Quæ omnia cum immutabilia sint, & nequeant *ulla* interpretatione, in *sensum alium detorqueri.* Epist. ad *Ruffin.*

3. Gratia *Dei* ex bonis factura meliores, non *adempto* libero *arbitrio*, sed liberato. ad *Ruffin.*

3. Per quos gradus gratiæ anima salvetur.·.·. sana, inquit, omnes languores tuos, qui autem sunt isti *languores*, nisi concupiscentiæ mala desideria, & morbi omnium *vanitatum*, de qua *corruptione* redimitur vita infirmorum...... ut nos coronaret *in* misericordia, &c. his enim *curationibus* perducta est anima ad desideria bona: renovabitur ergo juventus à vetustate in novitatem, &c. Exp. v. 4. *Psal.* 102.

3. Item: ut *revalescens languida* mens. c. 28. *de Ing.*

Occurrunt

XI. Observationes.

Occurrunt his in schematis pleraque observatione dignissima: quod enim in primo consignatum est *refutata igitur*, &c. iis in omnem partem conformantur, quæ ex *Prosperi* carmine reducta fuerunt: utrobique siquidem *Pelagiani* rursus exagitantur. Exagitantur autem ob unum *superbiæ* contumacem spiritum, à *Prospero* etiam alibi sæpiùs his ipsis epistolæ locutionibus animadversum. At uti in ista asseritur: *quod in peccatum, quæ in eis videntur laudanda, vertuntur*; ita omnino contestatur *Noster* iste: *unde splendescere quærunt, inde obscurantur*. Porrò & hæc loquendi formula: *refutata igitur*, &c. ab hac metrica non discrepat: *effuge tu nova gens*, hostiles effuge sensus, *Christus enim tua justitia est*, &c. quod postremum hanc convenientiam apertiùs determinat, cùm epistolaris loci series in hunc omnino sensum dilabatur habens: *nos humilitatem, cui virtus & gloria Deus est eligamus.*

Omnium selectissimæ singularissimæque binæ hinc & inde loquendi formulæ.

2. Quæ autem singularior locutionis similitudo magis affectari potest, quàm quæ sequitur: *quædam brevissima tantæ sunt plenitudinis*, per hæc concorditer recantata: *brevissimum plenissimumque mandatum*. Ubi manifestissimo & studiosissimo consensu, *plenitudini*, *brevitas* opponitur, & quæ *brevissima plenissimaque* esse reperiuntur, pro omni puncto jam relato computantur & ad miraculum extolluntur. Quod certè ita exquisitum propriumque est enuntiationis genus, ut nonnisi ex unius ore prolatum existimari queat. Rursus residuam epistolæ phrasim eodem succo verbisque plenam sincerè reddit fragmentum alterius ad *Ruffinum*: quæ omnia, &c. *nequeunt ulla interpretatione in sensum alium detorqueri*. At neque & tanta inter se ad amussin coæquata in varios autores referri possunt.

3. Sed nihiloseciùs notanda venit tota consequens periodus, ibi enim hinc inde pari processu, iisdemque verborum figuris gratiæ operatio describitur: quæ quidem primùm *languores sanat*, seu facit, *ut anima non remaneat in languoribus*. 2. Hi languores utrinque memorantur: *vanitates*, seu, *omnium vanitatum morbi*. 3. His *corruptam voluntatem*, vel, *animam in corruptione manere* dicitur. 4. Inde autem curatam *per opem miserentis medici*, vel, *misericordia & miseratione Dei*, *curationibus his perducta* esse, &c. 5. Denique per hoc: *revalescere*, vel, *renovari à vetustate in novitatem*. Quæ omnia concinniùs fluere nequeunt, neque arctiùs antecedentibus connecti, nam ut ex serie *Psal.* 101. primæ tabulæ schemata concinnavimus, ita ex conseq. *Psal.* 102. quæ isti aptemus, suppeditantur. At mirabile illud est *Prosperum* nunquam in ipsa epistolæ themata dilabi, quin omnes ejusdem sensus exprimat, expressionesque retractet; sic notato carmine de *Ing.* ubi de *languoribus* aut languida mente quid attigit, illicò ejus sanitatem eadem verbi proprietate depingit: ut *revalescens languida* mens, etiam propriis benè viribus uti possit, &c.

Ex Cap. 14. *Epist.*

XII. Sextæ postremæque tabulæ conspectus.

1. Propter dilectionem, quâ Deus diligit .·.·.·. *cui* sententiæ Johannes Apostolus *congruit dicens*: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos. *Et infra*: nos ergo diligamus, quoniam Deus prior dilexit nos.

1. Johan. 4. 10.

2. Paulus quoque Apostolus in eadem est sententia dicens in epist. ad Timotheum 2. *Collabora evangelio secundùm virtutem Dei, qui nos liberavit & vocavit vocatione sacta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam, quæ data est nobis ante tempora æterna.*

2. Tim. 1. 9.

3. Ad Titum etiam scribens docet, nullo bono hominis merito Dei gratiam præveniri: *eramus*, inquit, *& nos insipientes aliquando, increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris nostri: non ex operibus justitiæ quæ facimus nos, sed secundùm misericordiam salvos nos fecit.*

Tit. 3. 3.

4. Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus alienari quidem non potest à propria hominis voluntate; siquidem nihil rectè faciet, nisi

Ex aliis operibus Prosperi.

1. *Cui* beatus Paulus *congruit dicens*, &c. introductus ad dilectionem in Deum qui illum prior dilexit, sicut dicit beatus Apostolus Johannes: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & *iterum*: nos ergo diligamus quoniam Deus prior dilexit nos.

2. Et idem Paulus ad Timotheum: *Collabora*, inquit, *Evangelio secundum virtutem Dei qui nos liberavit, & vocavit vocatione sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum.*

3. Et ad Titum: *eramus*, inquit, *& nos aliquando insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis*, &c.

4. Gratia igitur Dei quoscumque justificat, non ex bonis meliores, sed ex malis bonos facit: postea per profectum ex bonis factura meliores: quod

quod volens egerit : ſed ut ad id quod æquum & utile eſt animi tendat intentio, de illius æternæ & incommutabilis voluntatis inſpiratione concipitur : Et ſicut arte medici fit in oculis caligantibus ut poſſint videre quod non vident, nec tamen non ipſorum eſt viſio, ita in cordibus tardis, &c.

donec ſine Deo ſolum fuit, mortuum fuit juſtitiæ, vixitque peccato, ubi autem ipſum illuminavit gratia Chriſti, erutum eſt à regno diaboli & factum eſt regnum Dei : in quo ut permanere poſſit, ne ea quidem facultate ſufficit ſibi, niſi inde accipiat perſeverantiam unde accepit induſtriam. Epiſt. ad *Ruffin.*

Hac collatione quidquid eſt ſcholiorum noſtrorum abſolvimus, quid enim his inter verſandum lapidem noſtrum inſperatò obſervatis adjici vel opponi poſſet, quibus iſta omnimodis ſuperiora non exiſtant ? Et quidem in primis ut genuinam illam omittamus verborum conſonantiam, quibus ad citandum Scripturæ locum ex utraque parte legitur : *cui Apoſtolus congruit dicens*, ut, inquam, hæc gravia licet miſſa faciamus, urgente utique majorum pondere, illud ante omnia recognoſcendum eſt, id in utroque loco probandum aſſumi : Dei gratiam omnem prorſus pium voluntatis motum antevertere; quod hæc, præter alia quæ ſuperiùs extant ſimillima, ſatis docent : *propter dilectionem qua Deus diligit*, &c. Et ex alia parte : *introductus ad dilectionem in Deum, qui illum prior dilexit.* Ut autem hoc aſſumptum ſuis momentis roboretur viciſſim adhibetur *Johannis* Apoſtoli autoritas, è cujus epiſtola duo verſiculi diviſim, ne apice quidem immutato, referuntur : quos etiam ad illigandos habet utraque lectio, *& infra* : *& iterum.* XIII. Obſervationes.

Ab hac autoritate continenter hinc & inde ad alteram ex Epiſtola *Titi* fit delapſus, cujus & verba eodem conſenſu recenſentur, eademque ſerie, præter unum verſiculum in epiſtola ad *Ruffin.* ubi prolixitati vitandæ magis ſtudebat, ſuppreſſum. At quod notabilius eſt, hujus loci inſumptio utrobique propoſiti placiti rationes omnes claudit, & terminat.

In illatione autem ex adductis autoritatibus perſequenda, eâdem pariter ſenſuum cohærentiâ gradiuntur, uterque enim in hoc laborat ut probet omnem hominem habere quidem poſt lapſum facultatem & voluntatem ; ſed cum qua, ſine ſuperno auxilio ad *id quod æquum & utile eſt*, ſeu, *ut erui poſſit à regno diaboli*, non poteſt procedere : magis autem hæc irradiat conſpiratio in ea expreſſione, quâ præfata immutatio, *illuminatæ mentis* motus, vel actus, quo *hominem Chriſti* miſericordia *illuminavit*, &c. aſſeritur.

Porrò reſpondent ſibi rurſus mirèque concinunt in ſerie epiſtolæ, ubi de tentationibus ſermo inſtituitur, utque *ad Demetriad.* cap. 15. *Evangelica, Apoſtolicaque doctrina* commendatur, ita ad *Ruffinum* ſimiliter *Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ* iteratò, iiſdemque vocibus & ordine mentio habetur. Sed his & aliis hujuſmodi non immoramur, quæ alioquin præcipua videri XIV. Ex aliis ſparſim occurrentibus convenientiis ſpicileginm.

possunt: qualia sunt hæc, quæ cursim relegenti obvia fiunt: vigilant tentatoris insidiæ, ut homo de bono opere in se potiùs, *quàm in Domino glorietur* ex cap. 16. quibus hæc aptari possunt ex epist. ad *Ruffin.* Volentes enim in sua justitia magis, *quàm in Dei gratia gloriari*, & expressiùs in titulo *epig.* 33. ait: ne mens sibi conscia *in se potiùs, quàm in Domino glorietur.* Item eodem capite: habent causas formidinis, ne, de ipsis probitatis augmentis, mens sibi conscia & laudis avida in superbiæ rapiatur excessus & fiat immunda *vanitate*, dum sibi videtur clara *virtute.* Sed contra hoc periculum, &c. Ad quæ, ista ex iisdem ad *Ruffin.* literis alludere videntur: quis piorum amaritudinem istam volet fumosæ recipere *vanitatis*? Ego quidem spero, quòd quos ab humilitatis via patitur evagari . . . . quibus de *virtutum studio* exortum est *periculum*, & de morum probitate discrimen. In his siquidem convenientia perspicua est, nam uterque *vanitatis* nomine utitur ad designandam superbiam: imò & *superbiæ excessus* superiùs expressi redduntur per *fumosæ vanitatis* epitheton. Ibi: *de probitatis augmentis* cautio: heic: *de virtutum studio periculum.* Sed in hac voce, *periculum*, alia videtur similitudinis, & imitationis adumbratio, dum ex altera parte dicitur: *contra hoc periculum*, &c. sic & cap. 17. istam: *sufficit tentatori sublimes & claras animas hâc illusione violasse*, &c. nonne egregiè epist. ad *Augustinum* retractat: *ne egregiis in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat*: ubi certè in ejusdem erroris consectatione, idem illusionis spiritus enuntiatur: præter ea quæ de sectatoribus similiter annotari possunt. Verùm notabilior est elocutio *epig.* 83. ubi selecta hæc epitheta: *sublimes & claras* animas, &c. hoc carmine resumit: *sublimes* ut cùm palmas, *clarasque* coronas sumpserit, &c. quæ certè locutionis proprietas *sublimior* itidem & *clarior* est, quàm ut idem, ex quo, prodiit os non indicet. Tum cap. 19. *in quarum definitionum formula multo laboremus* OBSCURO. Hæc inquam formula huic planè epist. ad *August.* conformis est, cujus initio legitur: *Qui persuasionis suæ impediebantur* OBSCURO. Iterum cap. 21. legitur: *ambarum virtutum* indiscreta CONNEXIO EST. cap. autem 24. contra *Collat.* itidem *multarum impietatum* numerosa CONNEXIO EST: quæ si discretione, &c. in quibus apertissima si uspiam, in verbis contextuque conformitas patet: hisque omnibus, si quid aliud ulterius, vel in sono duntaxat concordantissimum venandum esset, hoc postremi capitis postremum dictum: *superbi quidem refragabuntur, sed mansueti hæc audient*

& lætabuntur: hæc inquam, contextura, & orationis casus flexusque huic sequenti cap. 13. con. *collat.* commensuratus videtur: *respuentes remedium clamant, sed si repromissionis sunt filii quiescent & sanabuntur.* Alia utriusque generis extant innumera, quæ otiosiùs legenti & lectionem invicem conferenti obviam fient: ut mirum posthac videri non debeat, cur *Jo. Latius* lib. 1. de Pelag. & Semip. p. 3. cujus & autoritatem alicubi commendat *Quesnellus* hanc epistolam *Prospero* à Veteribus *non immeritò* adjudicatam pronuntiarit. Quanquam & mirabilius, sit quorsum hoc suscepto, libb. *de Vocatione* à Prosperi *Stylo abludere* sibi persuaserit, quem saltem simillimum non palpare non poterat si his tantillum conferendis immorari duxisset.

Sed has venari conformitates non suscepimus, & in aliis congerendis à prolixiori inquisitione scientes volentesque temperamus, quòd jam inventa internoscendo, quem indagamus, autori ultrò sufficere non ambigimus. Porrò etsi hæc expressiora non forent, & collecta ab *Quesnello Leonis* fragmenta in tantam conformitatis speciem assurgerent, facilè judicaret sapiens quisque, ad proferendam sententiam, aliud saltem præter hanc styli similitudinem desiderari. Sed, quantùm illud esse potest, totum in *Prosperi* fortunis reperire erit.

Gravissimum sanè videbitur, quod ea de re subjunxit argumentum *Vir doctus*, petitum ex eo quòd *autor epistolæ*, inquit, *se Romanæ Ecclesiæ alumnum prodit, dum ejus gloriam ubique æmulatus Apostolicam sedem omnibus tum sacerdotibus, tum plebibus exemplo fuisse asserit, ut Pelagiani dogmatis insaniam abhorerent: cùm hæc palma Episcopis Africanis debeatur, qui omnium primi signum adversus* Julianum *levaverunt*, sic canente *Prospero* c. 3. Carm. de *Ing.* XV. Validissimum in speciè *Quesnelli* præjudicium. *Diss.* 4. *n.* 6.

Tu causam fidei flagrantiùs Africa nostræ
Exequeris, tecumque suum jungente vigorem
Sedis Apostolicæ solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.

Quam probationem uti omnium validissimam paullò post assumit, his verbis: *probatur ex discrimine quod supra annotavimus, cùm unus Ecclesiam Romanam, in profliganda hæresi Pelagiana, om-* Ex malè intellecto & interverso *Prosperi* carminis sensu.

nibus Episcopis praivisse ait: alter ab Africana Ecclesia in hac pugna præventam esse etiam Sedem Apostolicam asserit, QUOD DIVERSUM AUTOREM FUISSE DEMONSTRAT. Et profectò diversissimum, nam adeo insignis pugnansque relatio illud aperte argueret: & hoc aliquando in *Quesnelli* Dissertatione ponderato, hanc in sententiam pedibus ibam, nisi me inde retraxissent oculi in examine lectionis *Prosperi* paullò attentiùs adhibiti.

Atque heic præjudiciorum robur & immanitatem, nec demirari satis, nec alios ut mecum demirentur, interpellare non possum, quæ virum utique diligentissimum & perspicacem sententiæ suæ momentis multâ eruditione & labore utique conquisitis occupatum ita affecerunt & in transversum egerunt, ut *Prosperum* versando, ea omnino illum fugerint, quæ disertè & per omnia memoratis epistolæ verbis factoque concordant. Etenim uti istius autor Pelagianæ perfidiæ repressionem cap. 10. sic tradiderat: *restiterunt quidem huic impietati recta innumerabilium corda Sanctorum, & non solum docti quique Pontifices, verùm etiam universales Ecclesiæ plebes* APOSTOLICÆ SEDIS EXEMPLO INSANIAM NOVI DOGMATIS *horruerunt*, &c. uti, inquam, ille se his verbis *Romanæ Ecclesiæ alumnum prodere* contestatur *Quesnellus*, ita omnino *Prosper* & ipse ejusdem Sedis egregius cultor c. 2. *de Ingrat.* altâ voce præcinere duxerat.

Ex eodem carmine cohærenter deducto.

Talia cum demens latè diffunderet error.
Commentisque rudes traheret lethalibus aures:
Adfuit exhortante Deo, provisa per orbem
Sanctorum pia cura Patrum, non dispare motu
Conficiens diros jaculis cælestibus hostes.
Hisdem namque simul decretis, spiritus unus
Intonuit, pestem subeuntem PRIMA RECIDIT
SEDES ROMA PETRI, *quæ pastoralis honoris*
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Religione tenet: NON SEGNIOR INDE ORIENTIS
RECTORUM CURA EMICUIT,

Potentissimè pro sententia nostra instauratur contra *Quesnellum*.

En quomodo aut incognito autori, aut sibimetipsi heic concinnat *Prosper*, qui explicatissimè damnationis istius primas Apostolico culmini defert. Unde & satis apparet, si ex hoc facto, epistolæ ad *Demetriadem* scriptorem sufficienti fundamento Romanæ Ecclesiæ alumnum statuerit autor noster, cùm *Prosper* extra ejus ulnas educatus eodem sensu prælocutus esse

perhibetur. Porrò quàm ipsè in eo perstiterit demonstrant sequentia carminis verba, quæ Pastorali Romanæ Sedis solicitudini Rectorum Orientis curas aliorumque omnium studia subservisse declarant: qua & in serie Africanorum Præsulum in hac hæresi profliganda pii labores exaggerentur. Sed hi ex *Prosperi* testimonio non sunt primi illi conatus, quibus impium dogma coërcitum fuit, quosque relata Epistolæ verba designant. At veriùs potiores & gloriosiores Pontificum posteriores curæ, quibus in ejus regionis Synodis adunati, variis *Pelagii* & *Cælestii* versutiis fraudibusque detectis, eorum errores anathemate tandem perculerunt. Quam sententiam semel ac Apostolica Sedes probavit, hæresis crebris insultationibus jam succussa penitus concidit, quod ita exprimit *Aquitanus* eodem citati carminis capite 3.

fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.

XVI. *Prosper* sibimet semper concors ac constans Apostol. Sedi rursus primam Pelagianorum censuram adscribit.

Quæ his concordant cap. 41. contra *Collatorem* ab ipso conscriptis: *quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa* Zozimus *sententiæ suæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem, gladio* Petri, *dexteras omnium armavit Antistitum.* Sed ut solenne illi est primæ Sedi primum ejus pugnæ cuneum adscribere, antea immediatè dixerat: *non ergo cum istis novâ acie dimicandum est.·.·. tunc istorum machinæ fractæ sunt, tunc in superbiæ sociis ac Principibus corruerunt, quando beatus* Innocentius *nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit: quando* Pelagium *ad proferendam in se suosque sententiam Palæstinorum Episcoporum synodus coarctavit: quando Africanorum*, &c. Ex quibus iterum epistolæ sensui suffragari *Prosper* advertitur. At quoniam non usquequaque perspicitur, quî Romana Sedes *Pelagianum* errorem recidere *prima* potuit, cui ad hoc Africanorum & Palæstinorum Antistitum judicia præluxisse pro explorato hucusque habitum est, hinc manifestius meo quidem captû, dignoscitur singulare facinus in his duobus operibus, eodem modo singulariter relatum, eundem omninò relatorem sortitum esse. Adeoque tantùm abest ut hæc ratio quidquam contra *Prosperum* faciat, quod è contra, quanta illa est, tanta pro ipso decernere conducat.

XVII. Quantùm hæc singularis sententia Eruditorum animos

At nec in istis tam insigne argumentum, tantùm in res nostras adducens splendoris & roboris, ut eas omninò manifestet, atque expediat, non in istis, inquam, conscribendum est li-

mitibus, & aliæ jam delibatis animadversiones adjungendæ sunt. Namque & factum istud inter Eruditos multùm increbuit, cùm utique pro hac *Prosperi* testificatione concilianda hucusque illi tam studiosé insudarint (etsi forsan minus feliciter) ut mirum omninò sit horum studiorum contentione, vel etiam concertationum inde exortarum fragore non exsuscitatum *Quesnellum* posthac tam asseveranter affirmare potuisse, profligatæ *Pelagianæ* hæreseos *palmam Africanis* Patribus à *Prospero* assignatam esse. Etenim ut memorare prætercam *Baronium* rem aliter vidisse, sicque visam interpretatione conveniente temperare sategisse, dum ad an. 412. num. 26. asserit: in Joviniano *hæresiarcha damnatam olim fuisse Romæ* Pelagii *hæresim*, &c. ut hæc, inquam, omnium literatorum manibus trita prætercam, post *Baronium* eruditus *Vossius* lib. 1. de *hær. Pelag.* c. 3. ejusdem *Prosperi* relatione, veræ Historiæ tam parum consentaneâ perculsus, ut hanc ad illius fidem & consensionem regularet, Annalistæ adhærens probare contendit id ab *Aquitano* assertum de hæreseos *Joviniani* condemnatione, antea à *Siricio* prolata, in qua *Pelagianus* error comprehensus esse censebatur. Quod & *Hieronymi* testimonio lib. 2. Cont. *Pelag.* sic dicente firmat: *Et ille enim his testimoniis tuisque nititur argumentis, imò tu illius inventa sectaris, in Oriente docere desiderans, quæ olim Romæ, dudum in Africa condemnata sunt. Atque inde est*, pergit Vossius, *quod etsi certum est primùm in Pelagiana, Cælestiniaque causa Judicium Carthagine factum esse*, Prosper *tamen scribere non veretur causam ejus primùm Romæ examinatam & damnatam esse. Hoc enim illis voluit verbis Carm. de Ing.*

torserit & varias in partes distraxerit?

Baronii.

Vossii.

Pestem subeuntem, prima recidit
Sedes ROMA Petri, *quæ pastoralis honoris*, &c.

Nempe non quasi primùm Romæ damnata fuerit in Pelagio *ipso; is enim ante Carthag. Concilium Catholici velamine amictus delitescebat, sed quia in præcessore ejus* Joviniano *ab* Siricio *Papa condemnata fuit.* Hactenus *Vossius*, qui meliùs *Prosperi* sensum internoscere, meliùs difficultatem subodorari non potuerat, utrum autem meliùs similiter dissolvere: magis patebit ex dicendis.

Petavii.

Movit insuper hunc lapidem eruditissimus *Dionysius Petavius*, & *Dogm. Theol.* tom. 3. lib. *de hæresi Pelag.* c. 1. num. 15. hanc latè quæstionem persequitur, hæcque conceptis verbis monet & inculcat: *illud verò diligenter considerandum est, etsi constet*

Diospoli-

Diospolitanam Synodum anno Christi 415. *celebratam esse*, Innocentii *vero sententiam contra* Pelagium *&* Cœlestium *anno* 417. *missam in Africam, ut hæc synodo illa posterior fuerit, tamen* Prosperum *Palæstinam synodum post* Innocentii *decretum ponere, ut in* Carm. de *Ing. paullò post initium his verbis*: Pestem subeuntem, &c. Id certè *diligenter considerandum* esse præmonuit vir perspicax, unde & ad hanc difficultatem enodandam, vel eludendam, id responsi excogitavit, scilicet Carthaginiensis Concilii sententiam pro nulla habitam esse, quia hæc appellatione *Cœlestii* ad *Innocentium* suspensa erat. At ista num potuit videre vel inaudire *Quesnellus*, ut saltem dubitasset, utrum *Prosper* talem in sententiam concesserit, quam tanti ducunt primæ notæ Scriptores componere? sed inde magis animum meum admiratio subit, quòd *Marii Mercatoris* operum primus editor & illustrator *P. Johan. Garnerius* eximius ex ead. Soc. JESU Theologus, quemque sibi sæpius impugnandum assumit *Quesnellus* ac castigandum, in hanc arenam novissimè descendit, majoremque pulverem excitavit, quàm ut intentum inspectorem hic turbo strepitusque fugere potuisse videantur. Namque ille viris doctissimis à nobis mox laudatis litem intentat, eosdem in *scirpo nodum* quæsivisse satis confidenter affirmat. An autem suâ ille de novo excogitatâ explicatione dubium amputarit? non omnino persuadeor; in narratione enim sua non comparationem instituit *Prosper* inter eos Præsules, qui *Pelagianæ* hæresi anathema dixerunt (quod intendit *Garnerius* in Comment. ad Cap. 1. ejusdem *M. Mercatoris*) sed condemnationum in eam hæresim prolatarum seriem quasi chronologicam texere videtur, vel his ipsis quæ mox retulimus carminis verbis, & rursus ad majorem claritatem exhibemus.

Et *Garnerii* super hoc, sensus & conflictus, *Quesnello* æquè ignoti

Pestem subeuntem PRIMA *recidit*
Sedes ROMA Petri, *quæ pastoralis honoris*
Facta Caput mundo, &c.

non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit.

Quorum in confirmationem recurrunt itidem & invictè premunt quæ scripsit ipsemet *Prosper* c. 41. cont. *Collat.* istis omnino & eoden servato ordine consentanea, quæ superiùs etiam consignauimus. Etsi autem tam clarè per se non heic loqueretur

XVIII. Ex his argumentum *Quesnelli* magis suum premit, ac re-

vincit autorem.

Aquitanus, & sibimetipsi interpres non esset irrefragabilis, ad illius tamen carminis sensum usquequaque sustinendum, & ad literam explicandum, sufficeret alium magni ingenii & probatæ eruditionis Scriptorem (qualis est autor epistolæ ad *Demetriadem*, quisquis ille tandem extiterit) in hanc similiter ivisset sententiam, quòd scilicet Romana Sedes in hac hæresi concutienda ceteris exemplo præluxit. Hæc enim quatenus pro certa explorataque maneret assertio, frustra eatenus alius *Aquitani* versibus intellectus aptari deberet, etiamsi, quod iteratò ursimus, suam ille verbis suis explicationem ex alio non attulisset.

At perinde semper remanet difficultas: & eam quidem non heic tollere, sed quàm maximam extollere satagimus, ut inde patentius fiat, præjudicio suo semel abreptum P. *Quesnellum*, non modò in devia abiisse, sed tam crebris altissimisque Eruditorum clamoribus & concertationibus nec aures nec oculos accommodasse, quibus tam facilè dedoceri, tam procliviter in viam reduci potuisset. Atque utinam sicut malam fidem, quæ à viro pio, qualis est in paucis Scriptor iste, semper abest, ita & indiligentiam, quæ à docto nonnunquam abest, ab isto nostro deprecari tam promptum esset. Quam enim in partem heic me vertam, ut factum penitùs excusem, non satis perspicaciæ in me reperio. Undequaque autem *Prosperum* suam in singularissimam, nec hactenus extricatam sententiam iteratò abeuntem considerem, pro illo ipso semper mihi recurrit iste, qui inter coævos fermè unicus hanc suo sententiam singularem suffragio confirmat, atque propalat. Quod adeo grave pluribus forsan videbitur, ut autor epistolæ ex eo solo pro *Aquitano* reputandus illis esset, etsi tot tantisque similitudinum lineamentis non esset illi per omnia tam consentaneus. Sed hæc saltem ut *Quesnelli* potentissimum, quod opinabatur, argumentum prorsus dissolvunt, & ejus intima transfigunt, ita & indubiam ceteris illius placitis & positionibus ruinam inferunt, aut portendunt. At nihilo seciùs in residuis audiendus erit & expendendus.

XIX. Aliud ejusdem præjudicium male cohærens dissolvitur.

Postremò enim judicat *Vir doctus* non mediocriter sententiæ suæ patrocinari *singularem*, inquit, *quæ* Demetriadi *virgini cum* S. Leone *intercessit necessitudinem & familiaritatem*, *ex qua etiam hanc fiduciam sumpsit*, *ut ipsam impelleret ad construendam Basilicam sub S.* Stephani *invocatione consecrandam*. Pro quo *Platinam* citat hæc referentem: Leo *ad reparandam urbem conversus* Deme-

triam *ancillam Dei impulit*, *ut Basilicam beato* Stephano *in fundo suo conderet*. Quod etiam in Breviario Romano consignatum advertit. At illa conjectura aliorum licet judicio forsan tenuis, quæ quippe quamlibet familiarem *Demetriadi Leonem* indicaret, non tamen ejus epistolæ autorem statuere posset, si alia mox declaranda contrarium arguerent: huic, inquam, conjecturæ quominus adhæream duo prohibent. 1. Quia neque Breviarium Romanum, neque *Platina* DEMETRIADEM sed DEMETRIAM eam nuncupavit, cujus sumptibus fundatam Basilicam asserunt. Quod non leve fortuitumque videbitur, eò quòd *Demetrias* spectabilior celebriorque toto orbe fuerit, quàm ut fortuitò nomen ejus truncatum, aut contractum fuisse credatur; ab eruditis præcipuè Scriptoribus, quos tantæ virginis fama nomenque non Romæ modò, sed nec ullibi gentium latere poterat. Nam & *Anastasius* Bibliotecarius his antiquior, è quo sua mutuatus est *Platina*, iterùm expresſè testatur quòd: DEMETRIA *ancilla Dei hanc Basilicam fecit*, ut in libro Pontificali legere erit. 2. Ratio altera quæ primam roborat illa est, quòd apud neutrum eorum autorum *Demetria Leoni* familiaris, memoretur *Virgo*, qualis erat magnæ laude famæ nota nostra *Demetrias*. Hic autem sanctæ professionis decor in omni Ecclesiæ sæculo, & hoc præsertim, tam splendidus fuit, ut ab Ecclesiastico Scriptore vix ac ne vix quidem prætermissus fuisset, aut in *ancillæ Dei*, vel *Christi* titulum conversus, quali apud *Anastasium* & *Platinam* honestatur. Quòd enim pro *ancilla Christi*, etsi satis per se patet, *Virgo* intelligi non debeat, nec heic saltem possit, ostendunt citati Breviarii lectiones, in quibus die S. *Leoni* sacrâ à nobis nuper recitatis opportunè quidem deprehendimus, eas DEMETRIAM nequidem *ancillam Dei*, sed PIAM FOEMINAM exprimere: quæ sanè FOEMINÆ nuncupatio heic usurpata pressiùs declarat, quo significatû accipiendum sit *ancillæ Dei*, & *ancillæ Christi* nomen alibi exhibitum; sed & quòd *piis fœminis* hoc *ancillæ* vel *famulæ Christi* connaturaliter aptaretur elogium, magis etiam convincunt veterum Christianorum sepulchrales inscriptiones, quarum nobile specimen ex agro Hispalensi erutum exhibet nobis *Jos. Scaliger* lib. 5. *emend. temp.* ubi sic legimus.

PAULA CLARISSIMA FEMINA FAMULA CHRISITI
VIXIT ANNOS XXIV. MENSES DUOS RECESSIT
IN PACE XVI. KAL. FEBRUARIAS ERA
DLXXXII.

At non ita saltem *Jul. Cæs. Capacius* appositos sacris Virginibus laudis titulos repræsentat *Hist. Neap.* lib. 2. c. 2. quam, hac ex majoribus susceptâ inscriptione sic exornat.

IN HOC REQUIESCUNT TUMULO VENERANDA CORPUSCULA SACRAR. VIR. ET CONSECRAT. VELAMINE CULTU CUM QUA BACCINO, ROSA ET IN SEC. PETRONILLA VERONICA S. SEVERA.

Sed quàm alia patula sunt hujus consuetudinis exempla? ista autem quæ citò offendimus, subjicere è re etiam visum, ut omnimodis pateret per has voces, synonymaque *ancillæ Dei*, & *ancillæ Christi*, nec celebrem *Demetriadem* Aniciæ prosapiæ, cœlibatusque sanctâ professione celebrem, nec aliam virginem, sed PIAM FOEMINAM liberalitate sua commendabilem duntaxat designari. Ne heic etiam moneamus hujusmodi patronymica hâc tempestate fuisse communia.

XX. Quæ locutiones epistolæ à *Leonis* persona prorsus abhorrent,

Hæ porrò sunt omnes alicujus ponderis à *Viro docto* allegatæ in sui *Leonis* gratiam probationes, queis tandem ut nostras objiciamus, hæc primùm visa est proponenda, quæ ex proœmii verbis eruta, quasi ab ipso limine autorem à *Leone* longè diversum prodit. Ita enim ad Virginem sermo se habet: *in hoc usque ò Virgo* Demetrias DIGNATIONEM TUÆ DIGNITATIS INCLINAS, *ut provectiones tuas etiam meo stylo exigas adjuvari*: sunt & alia his similia quæ consequuntur. At vel ex his solis, si, quod intendit *Quesnellus*, hanc epistolam scripsit S. *Leo*, cùm jam S. R. E. Archidiaconi officio fungeretur, cuinam insolens videri non poterit, Virum dignitate post Pontificiam primâ cohonestatum existimasse, virginem Deo sacram gradus sui oblitam se se vehementer depressisse; quod abs se, cui etiam specialis ex officii ratione talium Virginum incumbebat cura, eruditionem & ad instituti propositum cohortationem expostularet? à se, inquam, qui in tantam Pontificiæ solicitudinis partem vocatus fuerat à Romanis Præsulibus, ut graviorum negotiorum curam gereret: cujus & hortatu Pontifex *Sixtus Juliani* nocentissimi *Pelagiani* vafritiem & periculosa molimina summo catholicæ fidei compendio antevertit, ut autor est *Prosper* in chronico, cujusque zelo & prudentiæ *Nestorianæ hæresi* idoneum oppugnatorem providere commissum ante fuerat. Quod egregiè præstitit fidelis minister, cùm *Cassia-*

num nostrum ad hoc certamen, quà monitis, quà jussionibus, incitans, ab eodem emerito sacerdote & Archimandrita tanta gloriâ & famâ florenti, id responsi, suo luculentissimo de *Incarnatione* tractatui præfixi, recepisse meruit: *vicisti*, inquit Abbas ille, *propositum ac sententiam meam laudabili studio, ac imperiosissimo affectû tuo, mi* LEO *venerande, ac suscipienda charitas mea, Romanæ Ecclesiæ, ac divini ministerii decus, producens me ex illo præmeditati silentii recessu*, &c. Itaque ut vir erat *Leo*, quantùm ex gestis ejus consequimur, gradus & officii sui semper memor, nullomodo credi potest, ut eodem ore, quo præcipuum in Ecclesiâ doctorem ad ejus defensionem imperiosissimâ voluntate armavit; postea ad stuporem usque miratus sit, quòd virgo alioquin clara, sed sexus, quem in Ecclesia docere prohibet Apostolus, in hoc usque DIGNATIONEM SUÆ DIGNITATIS INCLINARIT, ut ab Virginum doctore institui petierit. Quæ verba certè nec sine admiratione retractat aliquando *Vir doctus*, ut *Demetriadis* quidem virtutem ad sydera usque sublimet, at ut videtur intempestivè, & cum quadam sui *Leonis* per omnia celsioris depressione. *In fine 4. Diss.*

Ceterùm hæc & alia plura *Cassianus* in sui *Leonis* encomium congerit, quæ si attentè perpendantur summam ejus in Ecclesia famam & æstimationem manifestabunt, magisque ac magis perinde illius ad *Demetriadem* suppositam collocutionem in suspicionem adducent. Quæ autem laudis præconia & suimet despicientiæ effata epistolæ intexta venerandæ *Leonis* personæ minùs conveniunt, non ita prorsùs incongrua ex *Prosperi* Religiosi quidem, sed nullo Clericatus gradu decorati hominis ore prolata censeri possunt. Quod multis probabilius fiet, si alia sedulò spectentur, quæ in ejus serie epistolæ consignata sunt, ita genium & stylum *Prosperi* spirantia, ut nullâ uspiam ratione in *Leonem* possint detorqueri; ut cùm cap. 10. de *Pelagianorum* reliquiis, seu *Semipelagianis* nostris hæc habet: *hinc Postremò divinæ gratiæ simulata & insincera confessio, quæ secundùm merita daretur, non ex qua merita nascerentur. Quam partem superbæ prædicationis quidam sibi, cùm cetera abnuerent*, SERVAVERUNT: *sed hoc eos aut nimis imperitè aut valde nequiter fecisse non dubium est.* Quibus postremis verbis apertè *Massilienses* nostros aut *nimiæ imperitiæ*, aut *summæ nequitiæ* postulat, quæ est sparsa in cunctis *Prosperi* lucubrationibus & recantata contra *Semipelagianos* querela, & ipsissimo quidem conceptû in epistola ad *Ruffin.* in qua de *Nostris* habet: *damnatum à Catholicis sensum & mul-*

Prospero in omnem partem mirè congruunt.

tis hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, hoc apud se ingenio SERVAVERUNT &c. quod postremum notabilius est. De hac tamen querela nullam omninò in ullis *Leonis* scriptis volam, aut apicem deinceps advertere fas est. Hinc paullò post, ita epistolæ autor: *verùm istam damnati dogmatis portionem catholicæ mentes facilè intelligunt & meritò detestantur*, &c. At si semel de *Semipelagianis* seu *Massiliensibus* tam malè sensisset *Leo* & cum *catholicis mentibus* hanc *damnati dogmatis portionem* in tantùm execratus esset, quorsum illius posthac necessitudinem ambiisset, qui videntibus & scientibus omnibus, hujus *damnati dogmatis* partis non fautor modò, sed autor & incentor erat, *Cassianus* scilicet hic noster; quem *Leoni* tam carum venerandumque mox observavimus. At hæc & alia pleraque his validiora in sequenti Dissertatione, venient explicanda.

XXI. *Augustini* laus & memroia cur in hoc Scripto prætermissæ?

Quod autem in hac sequenti opera quæstionis materiam movebit suppressum ubique *Augustini* nomen, ori *Prosperi* semper inhærens, ejusdem in hac epistola prætermissio, nec difficultatis quidem umbram gignere potest. Etenim non heic de stabilienda gratiæ doctrina ex professo tractatus parabatur, sed ad humilitatem & superbiæ fugam παραίνεσις ex sacrorum codicum autoritate collecta concinnanda erat, in qua ex data occasione exortarum quæstionum *Pelagianæ* hæreseos & ejus reliquiarum historia refricatur: ut prorsus extemporaneum fuisset illeic *Augustini* commendationem, aut scriptorum ejus autoritates consuere. Namque sermo ex Scripturarum testimoniis institui debebat, ut præmonuimus autoris assertione innixi, qui hæc cap. 13. scribit: *sunt & alia innumera testimonia quæ & ex paginis & novi veteris Testamenti, quadam conclamatione, confirment, hanc esse veræ humilitatis excellentissimam dignitatem, ut omnia quæ hominem faciunt christianum, ad divinæ gratiæ donum referantur. Sed tantam multitudinem sententiarum in unum congerere immodicum fuit, præsertim cum mihi sermo esset ad sanctimoniam tuam, cui ex formula eorum quæ commemoravimus, omnia se recordanti offerent, aut legenti*, &c. erat quippe in sacris Litteris plurimùm erudita *Demetrias*. At si timuit Magister ille nimius esse in illis congerendis sententiis, cur aliunde accersitas agglomerare sategisset? cùm præcipuè hac in epistola neque Pontificum Romanorum decreta, neque Africanorum canones recenseantur, quæ dubio procul prima in medium adduxisset autor, quisquis ille fuerit; si tandem sibi proposuisset hoc argumentis ex aliis, quàm Scripturæ autoritatibus roborare. Quod si hæc sciens volensque præter-

misit, quid causæ denique fuisset, cur, his præteritis, solam *Augustini* doctrinam ex eorum tantùm decretorum commendatione præcipuam celebrasset?

Quod superest ne quid in præsentiarum intactum relinquatur, quod in antecessum *Prospero* ejusdem opusculi partum illibatum servet: non prorsùs spernendum est momentum, quod ex titulo seu inscriptione, *Prosperi* nomen præferente erui potest. Siquidem non solùm inter opera *Prosperi* cum libris *de vocatione Gentium* adscripta est in Mss. codicibus insignis illa epistola, sed hanc insuper epigraphen exhibent probatæ editiones: *Prosper* Episcopus *sacræ Virgini Demetriadi*. Et scio quidem ex eo subjectionem arguere *Quesnellum*, quia *Prosper* heic dicitur *Episcopus*, quem nusquam infulis ornatum esse constat; quod ultrò fateor, & satis ex monumento domestico hucusque non assumpto ante annos aliquot demonstravi in nostra *de Init. Eccl. Forojul.* opera. At non item illa indebitæ dignitatis designatio alias tituli partes infecisse & falsitati vitio supposuisse dicenda est, nisi de eo validæ probationes adducantur. Futilis enim illa esset quâ obtenderetur, hoc opusculum, quo tempore S. *Ambrosii* operibus accensebatur, sine hoc titulo semper prodiisse. Quorsum enim, quâve judicii hebetudine potuisset illud vel à sciolis Librariis inter opera eximii illius Doctoris & Mediolanensis Episcopi concinnari, cum tam patenti adulteratæ veritatis indice, nomen aliud utique repræsentante? Poterit itaque *Prospero* Episcopi nomen adimi, quin reliqua periclitetur inscriptio. Quod etsi plurimis exemplis comprobare non foret operosum, unum insigne duntaxat, omnium vice, referre juvat, & in specie prorsùs simile, quod penes *Nostrates* habemus de *Salviano* Massiliensi, quem itidem immeritò cum *Episcopi* nomine dignitateque operum illius editiones insigniunt; quem tamen scimus Ecclesiæ illius, tantummodo fuisse Presbyterum. Namque epigraphe præfationis ad libros *de Gubernatione Dei* disertè præfert: *sancto Episcopo Salonio, Salvianus* Episcopus. Quod *Episcopi* nomen reliquit vir diligentissimus *P. Pithoeus*, qui ad Mss. codd. oqtimorum fidem ejus opera præterito sæculo recudi curavit, quia haud dubiè in eisdem tale deprehenderat, quodque adeo servavit intactum Vir celeberrimus & omnium litterarum genere excultus *Stephanus Balusius*, in ea quam emisit ejusdem sancti Presbyteri Massiliensis editione anno 1663. At sive ab antiquis exemplatoribus, sive à recentibus subjecta fuerit *Episcopi* nomenclatura, non ideo tamen in discrimen adduci posse cogitaretur à quoquam resi-

XXII. *Prosperum* epistolæ autorem antiqui Mss. Codd. egregiè clamant.

Quin adversus eos quid validum reclametur.

Insigne exemplum.

dua superscriptionis portio; non modò enim eam sustinet, sed exigit omninò præfationis contextus. Quàm longè magis autem necessaria est ejusmodi inscriptio in epistolaribus chartis, quarum hæc semper, communi omnium judicio, usuque æstimata est pars, operam omnem animans ac dirigens? si autem hæc quæ in antiquis editionibus observatur utrobique, nullo probabili fundamento suspicionis notis obnoxia esse potest, consequens est ut illam ipsam ab initio appositam, sed in seriè, ut fieri amat, addititio vitiatam esse dignitatis titulo: quæ ut in aliis indubiis *Prosperi* operibus ita & in isto irrepsisse, pro certo exploratoque haberi debet.

Hæc porrò duximus præmittenda prolixiori Dissertationi, quæ eidem autori duos *de Vocatione omnium gentium* libros vindicare parat, & ad quam, majori nunc apparatû, sermo decurrit.



DISSER-



DE VERO AUTORE
DUORUM LIBRORUM
DE VOCATIONE
OMNIUM GENTIUM.



DISSERTATIO III.



HActenus pro communi omnium sententiâ contra unicum penè *Quesnellum* decertavi, heic uni contra omnes fortè mihi negotium accrescit. Siquidem qui *Capitula de gratia Dei*, *Prospero* cuncti fermè tribuunt, ita vicissim duos *de Vocatione omnium Gentium* libros eidem abjudicant. Singularis quidem & inaudita fuit laudati sapientissimi Scriptoris opinio, in quo *Leonem* ejus operis autorem constituit, at longè à singularitate discessit, cùm illud *Prospero* nunc adscribendum non esse judicavit. Quo & illud satis morosum contingit, ut quemadmodum ego communem sententiam defendens illum adversantem offendi, ita ille dum communem etiam sequitur, me sustinere habeat refragantem: quasi fatale illud esset, ut ubique mihi cum *Viro docto* dissidii occasio exurgeret. Sanè si rationabilis, probataque fuit prima discessio, secundæ causa potior forsàn premit: Et si non infeliciter in prioribus disputationibus certatum est, in istâ, melioribus etiam auspiciis, pugnam ineundam esse non pauca prænuntiant. Igitur ut ille suis propriis rationibus & præjudiciis aliorum etiam proba-

I. Quid ad hanc operam *Quesnellus* nolens contulerit.

tiones Dissertationi suæ multas connexuit, ejus vestigia, quoad ejus fieri poterit, consectabor: ac primùm quæ pro *Leone* suo accersivit, & magnâ copiâ congessit in examen adducam, quæ simul ac excussa complanataque fuerint, sensim minùs aspera videbuntur, quæ *Prosperi* causæ obices & offucias admovebunt: in quibus certè non mediocrem & ipse *Quesnellus* operam locavit, quod etsi nolens præstitit, nil tamen illi, laudis ejus & gloriæ decedere posse putamus, quæ tanto labori debetur, licet præter voluntatem, sed non minùs feliciter cedenti. Quamlibet is enim à proposito primùm scopo satis aberraverit, alium tamen propiùs attigit, in quo *Vir doctus* & veritatis amans ejus explorandæ & illustrandæ gratiâ, stylum exerens nebulas omnes exertè depulit, quæ autorem librorum *de Vocatione*, ab *Augustini Prosperique* doctrinâ aliquantulùm discedere, aut non *examussin quadrare*, ut ait *Vossius*, eruditis omnibus penè persuaserant. Et quorsum cum illis alii non caligassent? certè ante hanc confectam operam, non tantùm mihi præstitissem, ut hoc periculum facerem; sed densioribus tenebris jam discussis, facile fuit sensim majorem claritatem affundere, quæ totum tandem *Prosperum* reduceret.

II. Divisio operæ.

Hoc itaque semel exantlato promptum fuit opellæ isti hunc qui sequitur ordinem apponere: sic enim procedet distributio.

1. Quæ pro *Leonis* causa facere videntur, adducentur, excutientur & rejicientur.

2. Quæ contra *Leonem* peremptoriè decernunt, opponentur, suæque luci restituentur: unde tandem extra competitorum aleam omnino locandus judicabitur.

3. Quæ *Prosperi* juribus adversari jactantur satis cruda, debitæ concoctioni restituta, ad illa penitus instauranda mirè conducere demonstrabuntur.

4. Inde quæ ejusdem causam juraque postliminio resarciunt ac integrant spontè consequentur.

5. Hæc omnia excipient utriusque styli comparationes per tabulas fusiùs longiùsque productæ, quæ Dissertationi partem alteram & finem imponent. Ut itaque rem incipiamus, erit

Sectio prima. *Quæ pro* Leonis *causa facere videntur, adducuntur, rejiciuntur & excutiuntur.*

Primum itaque seu potiùs, quod pro S. *Leone* ex ejus indubitatis operibus desumit argumentum *Vir doctus*, in eo collocat, quòd novâ S. *Hieronymi* translatione, S. *Leo*, & autor de *Voca-*

tione utuntur; *quæ similitudo*, inquit, *magis eò pensanda, quò rarissimi Scriptores occurrunt, qui versionem illam usurpaverint, ante medium quinti sæculi, quo tempore scriptum opus constat.* Citat autem libri *Job* v. 4. Cap. 14. qui in sermone 8. de Nativitate Domini, & in c. 8. lib. 1. *de Vocatione*, sic eodem modo refertur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine: nonne tu qui solus es?* qui tamen locus juxta veterem translationem cùm habeat: *nemo mundus à sorde, nec infans cujus unius diei vita super terram*, & secundum hanc postremam versionem, & secundum priorem adhibitus reperitur in unico capite 11. epistolæ ad *Demetriadem. Ex quo eundem*, inquit, *trium opusculorum autorem non temerè suspiceris.* Hinc alia congerit Scripturæ loca, inter quæ uti maximè notandum proponit vers. 31. & 32. cap. 22. S. *Lucæ*, quod ab utroque autore itidem eadem verborum serie & proprietate, ita refertur: *Simon, Simon ecce Sathanas* POSTULAVIT, *ut vos* CERNERET *sicut triticum: ego autem rogavi pro te*, NE *deficiat fides tua, & tu* TANDEM *conversus confirma fratres tuos:* ET ROGA NE INTRETIS IN TENTATIONEM. Ita *Leo* serm. 3. assumptionis suæ cap. 3. concordat in omnibus cum autore lib. 1. *de Vocat.* c. 24. ne immutato quidem apice, cùm tamen longè aliter habeat vulgata lectio, quæ ita hos versiculos reddit: *Simon, Simon ecce Sathanas* EXPETIVIT VOS *ut* CRIBRARET *sicut triticum: ego autem rogavi pro te*, UT NON *deficiat fides tua, & tu* ALIQUANDO *conversus confirma fratres tuos.* Sic planè in hac peculiaris sermonis structuræ consignatione, convenit *Leo* cum autore *de Vocatione*: at neque aliter legit ipse *Prosper*, ut non diffitetur *Quesnellus*, imò & hoc majori consensu cum laudato Scriptore, quòd in libro contra *Collatorem* c. 5. utatur voce: *cerneret*, quam non exhibent saltem editiones omnes S. *Leonis*, & plerique MSS. codices, cujus loco retinent cum vulgata lectione, *cribraret.* Quæ lectio non solùm in hoc 3. sermone observatur, sed etiam in altero, scilicet serm. 2. in natali SS. Apostolorum *Petri & Pauli* dicto, qui quamlibet germanus *Leonis* partus existimari non debeat, ex ejus tamen centonibus consutus esse perhibetur. Si autem, quod intendit *Quesnellus*, doctulus scriba hanc priorem mutationem attentavit, quantò probabilius esset illud ipsum factum esse in *Prosperi* ad *Ruffinum* epistola, quæ similiter habet: *cribraret*, cùm constanter aliæ alterius contra *Cassianum* citati tractatus lectiones præferant, *cerneret*? Quod autem opponit *Vir doctus*, hoc loco, sequentia verba deesse *& roga ne*

III. Argumentum pro *Leone* petitum ex usu locorũ S. Scripturæ, quem habet iste communem cum *Anonymo*, quodnam?

Dissert. 2.

Communis esse *Prospero* demonstratur usus iste.

intretis in tentationem, id similiter de antecedentibus excipere poterat: *Simon*, *Simon*, &c. quod, inquam, heic objicitur, levissimum imò & nullum est: namque hunc versiculum jam ex integro ad verbum recitaverat *Prosper* ad *Ruffinum* scribens. Istheic autem cur ita non recitaretur, prohibebat assumptæ ratiocinationis scopus, qui cum eò tenderet, ut probaret à Christi gratia omnem in tentationibus fortitudinem derivare, ut iste indicat orationis contextus: *hujus tolerantiæ fortitudo unde descenderet*, B. Petrus *& in illo omnis Ecclesia veritatis voce discebat: dicentis:* ecce Sathanas postulavit ut cerneret vos velut triticum: ego autem rogavi pro te Petre ne deficiat fides tua. *Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari*, &c. cùm, inquam, hocce postremum firmare sibi duntaxat proponeret *Aquitanus*, quis non clarè perspicit sequentia omissi versiculi, vel ejus partis verba: *& rogate ne intretis*, &c. aut heic redundasse, aut intentum sensum, primo saltem intuitû, minus planum exhibuisse, quod vitari debuit, nec fortuitò vitatum fuit.

Ex locis ipsis à *Quesnello* singillatim adductis id magis ostenditur.

Hujus porrò loci syllabas & commissuras omnes expendere necesse fuit, quia insignis & maximè notandus occurrit *Viro docto*; & talis profectò esset, atque in rem illius satis conduceret, nisi jam alterius fortunis magis proprius & oppigneratus esse reperiretur. Alia quidem adducit Scripturæ testimonia idem *Quesnellus*, sed quæ non tantam conformitatis seriem referunt, aut quæ rursus eidem *Prospero* familiaria esse convincuntur. Illud enim *Ieremiæ* 31. vers. 33. *Dabo leges meas in sensu ipsorum, & in corde ipsorum scribam eas*, cap. 8. &. 9. lib. 1. *de Vocatione*, assumptum, eodem intellectu, quo *Leo* serm. 95. *de gradibus ascensionis* adhibet, pariter in serie ostendemus à Prospero usurpatum: quanquam & hoc leve sit. Sed & alia quæ *Leoni* frequentia advertuntur: *Nemo potest dicere Dominum Jesum*, &c. ex 12. c. 1. *Corin.* Item: *Tentatio est vita hominis*, &c. ex *Iob.* 7. Et *dimisit omnes gentes ingredi vias suas*, &c. ex *Actor.* 14. similiter ab autore nostro sæpe adducta esse patent, longèque magis quàm utrique, *Aquitano* nostro propria & naturalia sunt, qui ea identidem assumit & exaggerat. At neque locus ille *Matthæi* c. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, quem uti *Leo* epist. 83. ad *Theodorum* nostrum Forojuliensem Episcopum, eruit, ut probet Christum in verbi sui sacramentorumque ministris nunquam non operari: ita omnino autor *Anonymus* lib. 2. cap. 2. in hunc sensum trahit; locus ille, inquam, *Matthæi*

(quod mox in tabulis palpabimus) non in uno singulari membro vel periodo, hac interpretatione donatur à *Prospero*, sed in tota *Psal.* 113. expositione Doctor ille in hoc insudat, ut inculcet, Deum commovere terram cordis nostri, seu *pigra & inertia corda convertere*: *sermonem suum potabilem reddere per fideles dispensatores verbi veritatis*, &c. quæ omnia hâc autoritate roborat: *ecce ego vobiscum sum*, &c. Jam si vers. 3. cap. 4. *Iohannis* epistolæ: *omnis spiritus qui solvit* JESUM *ex Deo non est*: cap. 23. lib. 2. *de Vocat.* citatus eodem modo reperiatur exscriptus in celebri, ut ait *Vir doctus*, ad *Flavianum* epistola 24. c. 5. non ita præproperè inter *Leonis* fortunas recensendus erit, antequam constet, an hac in epistola, suam vel alterius operam *Leo* adhibuerit? Nam si *Gennadii* aliorumque has literas *Prospero* vindicantium fides perstare debeat integra, quâ nunc mensurâ metietur nobis *Vir æqui amans*, eâdem nos & illi remetiri mox sustinebit.

IV. Quantùm hoc in usu alibi *Leo* discrepet ab *Anonymo*?

Hæc sanè ad unum loca sunt omnia, quæ colligere *Quesnello* fas fuit, ad suam ex hac similitudine sententiam stabiliendam, quæque licet ex opposito domesticarum specierum splendore penitùs evanescant; ne cui tamen deinceps fucum uspiam facere possit hæc consonantia, abs re non erit admonere, quòd si ex eâ potissimum quæstio definienda esset, non difficulter probaretur S. *Leonem* in citatione locorum Scripturæ ab autore nostro in aliis plerisque discrepare. Exemplo sint ista. *Primò* v. 1. cap. 9. Isaiæ: *Gentium populus qui sedebat in tenebris lucem vidit magnam*, *& sedentibus* in tenebris & umbra mortis lux orta est eis: vel: *populus* qui *sedebat* in tenebris & umbra mortis *lux orta est illis*: qui locus utroque modo citatus habetur lib. 1. & 2. *de Vocat.* cap. 15. at ille itidem aliter refertur apud *Leonem* serm. 3. *de Epiph.* & 9. *de Nativit.* utrobique enim legit: *qui habitabant* in regione umbræ mortis. *Secundò*, Idem secundus liber *de Vocat.* cap. 10. ita v. 45. c. 5. *Matthæi* exhibet: *Pluit super bonos & malos*; *Solem suum oriri facit super justos & injustos.* At *Leo* serm. 3. *Quadrag.* & serm. 8. de *Epiph.* inverso ordine iteratò legit: *Pluit super justos & injustos & solem suum oriri facit super bonos & malos.* *Tertiò*, Hic *Roman.* 8. cap. vers. 35. *superamus* per *eum qui dilexit nos.* Ita uniformiter exaratur lib. 1. c. 24. & c. 15. lib. 2. *de Vocat.* Et tamen Leo in serm. 6. *de Epiph.* eundem locum adhibens non retinet vocem, *per*, quam vertit in, *propter*: superamus *propter* eum, &c. *Quartò*, Alio item modo exhibent *Leoninæ* editiones vers. 8. c. 2. epist. ad *Ephes.* Sic enim epist. 76. ad

Aquileiensem præfert: *gratia salvi facti estis per fidem & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus ne* fortè quis extollatur. *Anonymus* autem noster c. 23. lib. 1. & c. 35. lib. 2. sic diversè habet: *gratia enim estis* salvati *per fidem & hoc non ex vobis, Dei* enim *donum est, non ex operibus, ne* quis glorietur. Monendum tamen hanc postremam lectionem à *Prospero* retineri in epist. ad *Ruffin.* ut in his etiam appareat hanc similitudinem, quam prætendit *Quesnellus*, nec tantam esse, nec tam concordem, ut hæc etiam major non appareat inter *Prosperianas* lucubrationes & *Anonymas*.

V. Quantùm & ipsi *Anonymo* magis concinat ipse *Prosper?*

Nam si vice versâ ulteriùs morandum esset in expiscandis locis ab *Anonymo* usurpatis, quæ *Prosperianam* consuetudinem, penitùs ac penitùs referrent; alia multa præter jam annotata non difficulter occurrerent. Ne autem solenne *Prospero* non esse quis suspicetur, *Hieronymi* versionem tum novissimam, & aliam antiquiorem indiscriminatim adhibere, Lectorem remittere possumus ad epistolam *Ruffino* datam, ubi v. 16. cap. 1. *Eccli.* ita juxta veterem 70. translationem adducitur: *Quoniam Dominus dat sapientiam & à facie ejus scientia & intellectus.* Qui quidem locus ita omnino descriptus reperitur lib. 1. *de Vocat.* c. 24, nec non 12. epist. ad *Demetriad.* Et tamen ille ipse versiculus juxta vulgatam versionem rursus usurpatur à *Prospero* c. 14. & 29. contra *Collat*, ubi legitur: *initium sapientiæ timor Domini*, &c. Quod illi familiare esse sæpiùs advertet sedulus operum ejus explorator. Ita enim qui locum c. 2. v. 3. ad *Philippenses* sic citaverat in epist. ad *Ruffin.* Deus est qui operatur in nobis & velle *& perficere*, &c. c. 15. cont. *Collat.* legit: qui operatur velle & *operari*. Sic & in citata epist. ex 11. c. ad *Hebræos*, habet: sine fide *nemo potest* placere Deo. Et c. 22. adversus *Collat.* scribit: sine fide *impossibile est* placere Deo. Sic epist. ad *Coloss.* c. 1. v. 13. ad *Ruffin.* scribens refert: eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum *filii dilectionis suæ*. Et tamen alibi sæpe habet: transferens in regnum *filii Dei*, &c. Ita similiter & v. 9. 2. *Tim.* 1. tam frequenter assumptum: conlabora Evangelio secundum gratiam, quæ data est nobis Christo Jesu, *ante tempora sæcularia*, quem sic citat memorata toties epistola, alibi variè reddit, habetque, *ante tempora æterna*, &c. in suis ad diversos responsis. Rursus & c. 25. cont. *Collat.* celebrem *Actor.* 16. locum sic adducit: cùm tentarent ire in Bithiniam *prohibiti sunt à spiritu Iesu*, Et tamen eundem usurpans epist. ad *Ruff.* ait: *non permisit illos spiritus Iesu*. Insuper in hac epistola v. 14. c. 24. *Matth.* ita exscribit: prædicabitur hoc Evangelium in

universo *mundo*, &c. At in Resp. ad object. 8. *Gallor.* habet: prædicabitur.... in uniuerso *orbe*. Certè tanta sunt hujus diversitatis indicia, ut tempus me deficeret, si in his minutatim colligendis operam locarem. Imò si ex hac varietate, libri in controversia positi *Prospero* venirent abjudicandi, vix alia prohiberent, quominùs & illi, qui eidem constanter tribuuntur, similibus compugnantiis respersi in alterius quandoque fortunas adduci periclitarentur. Unum rursùs exemplum istius diversitatis, sed insigne refero, ex *Psalmi* 144. v. 14. desumptum, quem iteratò Resp. scilicet ad object. 2. *Gallor.* & Resp. ad 7. *Vincentii* ita citat: *allevat Dominus omnes qui* corruunt *& erigit omnes elisos*. Et tamen in expositione integra ejusdem *Psal.* lectionem variat, scribitque: *allevat Dominus omnes qui decidunt*, &c. Sed hæc & alia scienter prætermisimus: ex his siquidem quæ hinc inde adducta sunt, aut pro *Leone* nil validum erui, aut si his insistendum, omnia probabiliùs in *Prosperum* referri debere quisque censebit. At hæc omnino levia sunt, & ad fundandum judicium haud satis determinare possunt.

Quæ porrò his præposuit *Vir doctus*, circa varios ejus ævi Scriptores, quibus hæc opera adscripta fuit ab eruditis posteris, gravia sunt & observatû digna præsertim quæ ipsemet, magno judicii acumine discussit; quæ cùm omnia tamen eò tendant, ut autoribus illis libros in quæstione positos probatis titulis abjudicent, ea heic non retractamus, quòd in illis communis, unaque cum ipso sententia nobis sit. At dissimulare non possumus leve nobis illud visum esse, quo postremùm contendit *Anonymum* autorem nostrum, Gallum inde non videri; quia *difficile*, inquit, *cogites, cur à* Gennadio *tam accurato alioqui scriptorum Gallicanorum recensitore, vel ignoratus sit, vel prætermissus*? Id, inquam, tenue admodum videtur: siquidem 1. *Gennadius* notos duntaxat Scriptores commendare sibi proposuerat, ut satis patet, & specialis hæc urgebat causa, cur heic innominati lucubrationem celebrare non affectasset, quæ ejus, cui adhærebat, erroris tam copiosè sensus omnes recessusque manifestabat & confutabat. 2. Ejusdem in similibus non desunt alia quædam simulationis indicia, quæ eruditos cùm non fugerint, haud scio an & heic, parem eisdem suspicionem injicerent, nisi priora rem confecissent. 3. Oppidò fallimur si *Gennadius* tam *accuratus* ille scriptorum Gallicanorum *recensitor*: vel Provinciales omnes notos & contribules suo complexus est in Catalogo, editis licet scriptis non ignobiles. Hi sunt profectò, quos è pluribus exhibet

VI. Aliæ *Quesnelli* rationes validæ, vel invalidæ.

Ibid. Diss. 2. n. 36.

Cur *Gennadius* autorem *de Vocat.* prætermisit in Catalogo?

nobis liber unicus vitæ S. *Hilarii* Arelatensis ab *Honorato* Massiliensi conscriptus, in quo non modò *Edesium* virum *Rhetoricæ facundiæ & Metricæ artis* peritissimum, qui S. Primatis elogium texuerat habemus à *Gennadio* prætermissum, sed alios, qui suis scriptis, ut idem *Honoratus* scribit, *meritissimè claruerunt*, *Sylvius*, *Eusebius*, *Domnulus*. At quamlibet illi scriptorum suorum editis monumentis insigniter floruissent, à *Gennadio* nihilominùs tam *accurato alioquin Scriptorum Gallicanorum recensitore* vel ignorati sunt, vel scienter omissi; ut mirum non sit, si his oblivioni traditis, autorem *Anonymi* tractatus sibi suisque non satis æquum reticuerit. Quot enim quantaque ejus de quo loquimur Arelatensis *Hilarii* scripta tam *accuratus ille recensitor* laudare non meminit? ubi siquidem *Homilias illius, in totius anni festivitatibus expeditas*? ubi, *Symboli expositionem ambiendam*? ubi, *epistolarum tantum numerum*, ubi, *Versus* etiam, &c. *Hilario Gennadius* tribuit? quas tamen egregias lucubrationes, velut notissimum partum eidem adscribit memoratus ejus vitæ Scriptor. Sed 4. demùm occurrit in simili prorsùs facto insigne in *Gennadio* hujusmodi reticentiæ exemplum, quippe qui celebre *Marii Mercatoris* Commonitorium, magna Ecclesiasticæ Historiæ *Pelagianorum* accessione, nuper inventum, nec semel editum ob easdem probabiliter causas silentio obvoluisse creditur? nunc ad alia.

Sectio II. *Quæ contra* Leonem *peremptoriè decernunt*, *opponuntur & suæ luci restituuntur.*

VII. Peremptoria contra *Leonem* ducuntur, ex ejus necessitudine cum *Cassiano*.

Hoc itaque *Quesnelli* momentum, non secùs ac alia, cùm nihil omninò *Leonis* juribus possit adjungere, superest ut ea adducamus quæ rectè & irrefragabiliter illius causam omni æqui bonique colore vacuam demonstrant. Et inter illa primum istud sit, quod videlicet S. *Leo* & amicior & reverentior erga *Cassianum* extiterit, consummatamque ejus peritiam & eruditionem pluris semper fecerit, quàm ut eum aliquando scripto lacessere, & veluti in magistrum insurgere ausus fuisset. Quinimò quis unquam adduci poterit ut credat *Leoni* insinceram visam uspiam fuisse *Cassiani* fidem, quâ si penes ipsum vel tantillùm laborasset Massiliensis noster, vix ac ne vix quidem ab Romanæ Ecclesiæ administro tanta eidem, tantisque obnoxia periculis demandata ea provincia fuisset, ut contra potentissimum Religionis hostem *Nestorium* solus pro Ecclesiæ tutela, libris hac de re uberiori stylo digestis, manus consereret. Et sanè cum huic operæ incubuerit *Cassianus* circa annum 430. vel

Ex eo quod *Leo* non opposuisset *Cassianum* errantem *Nestorio*.

31.

431. quibus jam vehementer efferbuerant inter Provinciales Catholicos, de divina gratia & *Augustini* doctrina, querelæ supremo Ecclesiæ tribunali mox delatæ, quæque adeò *Leoni* ejus Archidiacono non poterant non esse notissimæ; haud scio an rationabiliùs conjectarint, qui senserint easdem quæstiones (prout saltem à *Cassiano*, scripto suo publico, defendebantur) nullo Sedis Apostolicæ judicio proscriptas, huic disputationum ordini à *Leone* tùm accensitas fuisse, quæ interea rerum, salvâ fidei integritate, Catholicorum doctorum examini & discussioni permitti poterant: donec ex iisdem, ut fieri solet, major ad definienda dogmata lux affulgeret. Quòd si hæc tunc *Cassiani* fidem non temerabat doctrina, quid causæ fuisset, cur amicus illius cultorque præcipuus *Leo* tantùm operæ impendisset, ut horum librorum apparatû, eundem dedocere laborasset?

Hoc ut elevet *Quesnellus* indemnati erroris retractationem in *Cassiano* fingit:

Sed de ea conjectura quidquid fuerit, quam fortè alicubi otiosiùs examinandi se dabit occasio, illud ex antedictis firmum fixumque manere debet, *Cassianum* fidei orthodoxæ non usquequaque adhærere semel *Leoni* visum, ab eodem nuspiam celebri illi contra *Nestorium*, fautoresque certamini præpositum credi posse: cùm nec illud sibi persuadere potuerit ipse *Quesnellus*, etsi tam adversâ nobiscum sententiâ pugnans. Sed dum hæc bona fide luculenter agnovit *Vir doctus* Dissert. 1. de gestis S. *Leonis* ad annum 431. & 32. falsissimam ibidem suspicionem inspergit ab omnibus uno ore repudiandam; hæc enim habet: *Noverat* Leo *Nestorianos plurimùm sibi spondere præsidii ex* Pelagii *reliquiis, quos ut à spe sua dejiceret*, Cassianum *illis opponere voluit Semipelagianorum antesignanum ..... Quæ cum attentiùs considero, facilè* PERSUADEOR Cassianum *sive* Prosperi, *sive* Leonis *victum scriptis, ad saniorem mentem* JAM TUNC *rediisse*. FAS ENIM NON EST CREDERE EUM HÆRETICIS A LEONE OBJICIENDUM ESSE, NISI CATHOLICE' IN OMNIBUS SENTIRET, *omnemque adversus* Augustinum *deposuisset suscipionem*, &c. quæ & alibi iterùm asserit. Sed hæc utrobique consignata falsissima sentimus, sentientque pariter nobiscum, quotquot adverterint, *Cassianum* ita parum, *vel* Prosperi, *vel* Leonis *scriptis victum ad saniorem mentem jam rediisse*, quo rogatus est tempore contra *Nestorium* stylum acuere, ut duobus ad minimum post annis *Cœlestino* Pontifice jam defuncto, & sedente *Sixto*, *Prosper* speciale contra *Cassianum* opus apparaverit, quo omnium rationum momentorumque jam recantatorum, aliarumque autoritatum serie, tùm amicis suasioni-

Errore manifesto & intolerabili.

bus, blanditiisve, tùm duris reprehensionibus *Collatorem* ipsum erroris antesignanum, pertinacemque fautorem indigitatum & proditum in suas suorumque partes conatur adducere. Ut in hoc prolixo tractatû pluribus videre promptum est, quorum id unum ad Lectoris gustum excitandum suppono de Ephesinæ Synodi celebratione tùm factâ testimonium cap. 41. ubi sic loquitur: *per hunc virum* (Cœlestinum) *etiam Orientales Ecclesiæ geminâ peste purgatæ sunt, quando* Cyrillo *Alexandrinæ vrbis antistiti ad execrandam* Nestorianam *impietatem Apostolico auxiliatus est gladio, quo etiam* Pelagiani *dum cognatis confœderantur erroribus iterùm prosternerentur.* At jam citatis locis recognoscit *Quesnellus Cassianum* libros adversus *Nestorium* scripsisse, sub *Cœlestino* ante Synodum Ephesinam, seu *forsan jam indictâ*, ut, ait paullò post. Quorsum igitur *Leonis vel Prosperi scriptis victus* meliori frugi restitui valuit, cùm obiectus est *Nestorianis*, ante condemnationem tumultuantibus, qui his jam in Synodo Ephesinâ prostratis, scriptione publicâ corripi, errorum in collationibus assertorum postulari, & quandoque ut occultus Ecclesiæ perduellis à *Prospero* traduci videtur, atque palpatur? vel cùm retractatis ab ipsomet & ad operæ calcem subjectis capitalibus Abbatis Massiliensis sub uno quasi conspectû erroneis deffinitionibus, magnis tandem concludit animis: *En cujus dogmatis sunt magistri, qui ut Catholicarum mentium castitatem gratiæ defensoribus calumniando corrumpant, præcipuum nostro tempore in doctrina Ecclesiastica virum rabido ore discerpunt ..... Dignum quippe est ut quorum sequuntur sententiam imitentur insaniam*: NEC ALIA *possunt dicere*, QUAM QUÆ DAMNATORUM QUERELIS & *procacissimi* JULIANI *sunt vulgata* CONVITIIS, &c. En illorum *antesignanum*, quem *ad saniorem mentem* ante annos tres *rediisse* & OMNEM *adversùs* Augustinum *deposuisse suspicionem* omnium primus nobis præstat *Quesnellus*: quem è contra *Prosper* nusquam desultorium, sed doctrinis suis æque semper inhærentem contestatur.

Ibid. p. 251.

Quod etsi palmare est, aut judicii acrioris Virum fugit, aut si non fugit, maluit ex aliis præjudiciis ductus, in hac sua opinatione consistere, quàm ex admissa, citra ullam retractationem, *Cassiani* rectâ fide, omnes penè quas cumulaverat probationes, ut *Leonem* duorum *de Vocatione* librorum, ægrotantis amici gratiâ digestorum, autorem statueret, tam aperto confutationis discrimini permittere. Sed ut jam satis perspicitur quemadmodum in *Cassianum* scribens *Prosper*, & ejus errores

latè propalans atque condemnans, quos omnibus meliùs penitiùsque noverat, eundem tamen nunquam ut hæreticum, sed è contra *Doctorem Catholicum* disputationis initio nuncupavit; ita longè magis *Leo* harum disputationum quæstionumque cognitione *Prospero* inferior, *Cassiano* ad scribendum autoritatem impartiens, uti virum catholicè usquequaque sentientem, moribusque & doctrinâ præstantem credidit & reveritus est, ac Christiano Orbi credendum, reverendumque exhibuit. Unde nec ex hoc capite, quod *Viro docto* nequaquam parvum est, excogitari quid poterit, quamobrem *Leo* tantæ operæ concinnatione *Cassianum* suum curare studuisset, quem plurimâ sanitate valere non dubitabat, dicente utique Veritate: *non est opus valentibus Medicus.* Si enim dubitasset, & in tantùm dubitasset, in quantùm hos errores posse detestarique profitetur controversorum librorum autor, ineluctabile recurrit semper argumentum, quorsum eisdem imbutum perversis dogmatibus conductum Ecclesiæ defensorem præposuisset *Leo?*

VIII. Alium rursus quàm *Leonem* evincunt probra in *Semipelag.* in his libb. jacta.

Sed, quod & his omnibus gravius est, acerbiora in *Semipelagianos*, adeòque & ipsum eorum signiferum *Cassianum* in his libris sparguntur convitia, quæ à *Leone* amico in amicum jacta nullus censebit. Censet quidem è contra *Vir doctus* in secunda de hoc argumento *Dissertatione* num. 26. *hoc scriptum* AMICUM UBIQUE ANIMUM SPIRARE, *talemque qualem semper erga* Cassianum *exibuit* Leo, &c. tùm hæc paullò post subjungit: *ex eodem indulgentiæ erga* Cassianum *consilio, quem ad Catholicum sensum reducere satagebat, descendit humanitas, quam* Semipelagianis *exhibet, quos tantùm liberi arbitri defensores, & voluntatum patronos appellat.* Hæc ille, quibus ægrè ferimus è diametro adversari, quæ in multis horum librorum paginis leguntur durissima in *Semipelagianos* tam apertè prolata, ut heic eorumdem prorsus excessuum, criminum & contumeliarum postulati sint, quibus illos ipsos S. *Prosper* traduxerat in singulis libris, quos contra *Massilienses* intentissimo marte dimicans scripserat. Istis siquidem hæc quasi potiora accusationum capita objicit *Prosper.* 1. Quòd impia dogmata profiterentur. 2. Quòd ea pertinaciùs quandoque defenderent. 3. Quòd calumnias & insidias adversantibus struerent. 4. Quòd per imperitiam, superbiam, vel pravitatem peccarent. Hæc est accusationum summa in pauca contracta, quam fusiori stylo digerit *Aquitanus*, seu in proëmiis Respons. ad objectiones *Gallorum & Vincent.* seu in epistolâ *ad Ruffin.* vel libro *contra Collat.* aut in Carm. *de*

Quæ eisdem vitia objicit *Prosper:*

Ingratis, &c. in quibus iſta duntaxat veluti graviora recantantur & exprobrantur.

Hæc ipſa prorſùs illis imputat autor *de Vocat.* nempe:

At eas ipſas querelas inſtaurat adverſus *Noſtros* autor *de Vocat.* quanquam alia via abiens, & non tàm refutantis, quàm ſub proponentis & componentis quæſtiones larvâ certamen egregiè perſequens. Etenim poſtquam per tota undecim libri primi capita Eccleſiæ doctrinam explanavit, ita, quaſi nimiùm cohibitis animis, diffluit, & adverſariis impacta dudùm crimina recantat initio ſequentis cap. 12. ubi hæc fortiter diſertèque pronuntiat: *ſed cum*, inquit, *legerint hæc, vel audierint* QUI AMANT CALUMNIOSA CERTAMINA, *dicent nos per hujuſmodi diſputationes Apoſtolo contradicere definienti: quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, &c. Quam fuiſſe præcipuam *Maſſilienſium*, de quibus heic ſermo eſt, querelam cùm ſciant omnes, jam clarum vel inde fit, ſcriptorem iſtum rectè concinere *Proſpero* & in *Semipelagianis* eum ipſum *calumniandi* animum reprehendere, ex ejuſdem occaſione ſententiæ *Paulinæ*, quem graviter expertus eſſe cauſatur *Aquitanus* in præfatione potiſſimùm ad *Vincentianas* objectiones, & ſi clariùs potuit, in epiſtola ad *Ruffinum*, ubi hæc, eodem prorſùs ſpiritû, quo in mox relatis verbis, enuntiata pateſcunt: *Et ubi eſt illud quod nobis contrarium à* NON INTELLIGENTIBUS SEMPER OPPONITUR, *quòd Deus velit omnes homines*, &c. Sed neque iſtheic autor adverſarios ſuos laceſſere deſinit, ita enim ad *Proſperi* mentem eiſdem durioris probri labem appingere perſequitur in citati capitis 12. decurſu: *Quoniam*, inquit, *ut cetera divinorum eloquiorum teſtimonia ſequeſtremus, hic locus* (S. *Pauli* ſcilicet, à *Maſſilienſibus* ſemper oppoſitus) *ſufficit ad evacuandum quod* CALUMNIOSE OBJICIUNT, *& ad defendendum, quod* IMPIE' DIFFITENTUR. Ecce iterùm *calumniæ* accuſationem, & *impietatis* notam primùm quidem inuſtam, ſed utrumque ſcomma tamen preſſiori ſtylo infixum, & altiori voce ejaculatum, quàm ut *amicum* eum *animum* ſpirare credi poſſit, quem ſibi ubique deprehendiſſe confidit *Queſnellus*.

1. *Calumnias.*

2. *Impietatem.*

Ne autem in hoc ſolo capite autorem amico ab eo animo fortuitò deflexiſſe ſuſpicio ſit, quem deinceps tenaciùs ſervaverit, delibanda ſunt alia quædam eorundem librorum capita. Igitur c. 22. ejuſdem lib. 1. *Semipelagianos* rurſùs perſtringit, his omnino verbis: *Non autem ignoramus eſſe* QUOSDAM *tam* INCONSIDERATÆ PRÆSUMPTIONIS *&* SUPERBÆ

3. *Inconſideratam præ-*

IGNORANTIÆ, *ut quod præcipuus Magister Gentium... supra mensuram scientiæ suæ longè & altè remotum esse confessus est, audeant falsi nominis temerare doctrinâ*, &c. quod & pluribus queritur *Prosper* resp. ad object. 8. *Gallorum*, & alibi sæpiùs, ut infra ex collatis tabulis nostris manifestiùs patebit: id in præsentiarum retractare sufficiat, quod primæ Dissertationis primo laterculo in hanc vocem *quidam* & *quosdam* fusè congessimus, heic per se satis aptandum, quin his immorari debeamus. Porrò idem autor nec in progressu factus amicior ejusdem libri cap. 22. eandem insectationem renovans, sic eos percellit: ISTI *autem qui nescire aliquid erubescunt, & per occasionem* OBSCURITATIS TENDUNT LAQUEOS DECEPTIONIS, *omnem discretionem*, &c. quæ omnium manifestissimè pugilem has in assidua pugna fraudes expertum, qualis erat solus in omni penè Ecclesiâ *Prosper*, rursus delineant. Sed & in alterius libri serie idem scriptor cap. 3. ubi probandum assumit: *inscrutabile esse cur Deus judicarit quorundam vocationem differendam*, in antiquis hostibus, quæ omnium pejor est, & parcè ab *Prospero* exprobrata, CONTUMACIAM deprehendit & his verbis carpit: *unde locum non habent* CONTUMACIUM MURMURA QUERELARUM, *quia quod Deus fieri voluit, constat non aliter fieri debuisse, quàm voluit*: quo in depellendo ariete, quantùm insudarit *Prosper*, inferiùs etiam magis indicabitur. Interim ut alia persequamur, cap. 24. in quo quæstio de discretione parvulorum agitari desinit, occurrunt inaudita dicteria, quibus idem præco ARROGANTISSIMUM, atque VANISSIMUM eum pronuntiat, qui de divina gratia conqueritur, quòd non omnibus parvulis similis providentia consulat, quæ similia tamen his sunt, de quibus jam causatus erat *Prosper* in suis ad *Ruffinum* & *Augustinum* epistolis; an autem heic ea in quemquam *Massiliensium* consultò retorquere intenderit *Anonymus*? alii judicabunt. Ego planioribus inhæreo duco, ut quod residuum est accusationum à *Prospero* in eosdem, seu eorum sectatores impactarum, ab Autore nostro itidem animadversum, retractatum & recantatum, esse invictissimè demonstrem; exciderant enim capitales illæ quas libri citati cap. 30. ita exaggerat: *expectemus intelligendum, quod nondum intelligimus. Si ergo cesset* INSIDIOSA MALIGNITAS, *si* INSOLENS PRÆSUMPTIO *conquiescat, nullius superest causa* CERTAMINIS. Certè aut heic *Prosper* ipse, aut ejus spiritû afflatus aliquis probatus palæstrites oculis se objicit, & auribus intonat,

sumptionem & 4 Superbam ignorantiam.

5. Tendere laqueos deceptionis.

6. Contumacium murmura querelarum.

7. Insidiosam malignitatem, insolentem præsumptionem.

At quisquis ille fuerit, resumit acerbas querelas in epistolâ ad *Demetriadem*, cujus c. 10. postquam *Pelagianæ* hæreseos originem & infaustum progressum descripsit, *Semipelagianorum* ex hac colluvione prodeuntium mentem ipsemet, dogmataque, cum copiosis infensæ succiduo errori mentis indiciis, propalat, ut jam secundâ Dissertatione retulimus, & mox iterum adducemus. Sed ex his, ecce tibi tandem uno exhibita conspectû crimina, CALUMNIARUM, IMPIETATIS, CONTUMACIUM QUERELARUM, INCONSIDERATÆ PRÆSUMPTIONIS, SUPERBÆ IGNORANTIÆ, DECEPTIONIS, INSIDIOSÆ MALIGNITATIS, & alia hujusmodi per *Anonymum Massiliensibus* altè & intensè exprobrata, quæ toties & unicè contra eosdem exaggeraverat *Aquitanus* noster. At utrum homo *indulgentiæ consilio in* Cassianum motus, & *cujus gratiâ in Semipelagianos descendit humanitas* hunc scopum suum propiùs attigerit, hæc prolixis disputationibus intexens convitia, facile sit unicuique secernere. Quod si nihilosecius hæc benevolo studio dicta amicitiam seu *amicum* ubique *animum spirare* contendat *Quesnellus*, nec nos contentiosum funem ducemus. Siquidem eodem negotio quæcumque *Prosper adversùs* eosdem voluntatum patronos variis libris, & non graviora quidem, imò nec fortè tam gravia reposuit, tam amico animo scripta esse eidem probari consequens erit. Quò fiet tandem, ut utraque opera jam saltem eundem spiritum & animositatem, vel benevolentiam spirantia, ex his idoneas rationes non præbeant, cur diversis autoribus assignentur.

Si tot tantaque amico & benevolo ex animo dicta, quid inde statui possit?

IX. Ineluctabile argumentum:

Utut sit, demus *Viro docto* talia tantaque amicè, ab amico, in amicum jacta, sed ab amico tandem hæc asserta, nec ille, nec alius uspiam diffitebitur, qui in necessario suo & ejus sequacibus cum errore *impietatem*, *superbiam*, *deceptionem*, *præsumptionem*, *insidiosam malignitatem*, aliasque fraudes versutiasque conjunctas probè noscebat & impensè detestabatur. Quod si ita certò est, & profectò, ex hypothesi, certum est, heic aliud argumentum adjiciam, quo planè convictus non neminem convictum iri facilè suadeor. Scilicet si *Leo* horum librorum verus sit autor, quî fieri potuit, ut ille tantam pravitatem nocentissimo errore cumulatam internoscens, scriptis viriliter oppugnans & execrans, dùm in inferiori ministerio penes Romanos Pontifices versaretur, hunc tandem dignitatis apicem consecutus, & eâ autoritate potens factus, quâ, uno verbo, poterat tam periculosa dogmata conterere, clarissimisque in-

Cur *Leo* Diaconus *Semipelagianos* sic exagitasset, & Pontifex factus in tantùm palpasset?

geniis doctrinarum omnium virtutumque laude commendandis, inter se summâ contentione digladiantibus silentium indicendo, Ecclesiæ pacem optatissimam procurare: quî, inquam, fieri potuit, ut *Leo* ex Diacono Pontifex factus derepentè in alterum mutatus conticuerit, & quod tam liquidò noverat schisma miserabiliter in Ecclesia grassari, flagitiosissimâ taciturnitate latiùs serpere passus sit. Hoc sanè & *Leone* indignum, & monstrosum omninò videri debet: sed monstrosum quantumlibet deglutiat necesse est, quisquis *Leoni* opus posthac vindicare parabit, in quo malignitatum omnium seriem *Semigianæ* doctrinæ invisceratam deprehendisse fatebitur.

Accrescit absurditas ex pretio in quo habiti sunt insignes *Semipelagiani* sub *Leone* & successoribus

Quæ absurditatum compago evidentior fiet, si seriò attendatur ex ineunte *Leonis* regimine anno quadringentesimo, usque ad sexagesimum primum, quo obiit & deinceps, illas de divina gratia & libero arbitrio querelas, quæ sub *Cœlestino*, & *Sixto* decessoribus exortæ erant, non modo ullatenus ipso jam Pontifice non consopitas, sed vehementiùs etiam exarsisse in his temporum intervallis, quibus *Faustus*, *Valerianus*, aliique valentissimi *Massiliensium* asseclæ defensoresque dignitate aucti, & ex spectabilibus monachis, Abbates, moxque ex Abbatibus Præsules creati, tantum doctrinæ suæ pondus roburque conciliaverant, ut hac accessione, partes illas duntaxat omni ex parte Catholicas *Nostrorum* plures saltem sibi persuaserint. Unde & hac nimiâ securitate lactatus *Gennadius*, magno penè beneficio & indulgentiâ *Augustini* doctrinæ condonatum esse, ne adhuc in hæreseos crimen traduceretur, scribere non est veritus c. 38. Catalogi, ubi hæc habet: *error illius*, Augustini, *sermone multo, ut dixi, contractus, tuctâ hostium exaggeratus, necdum hæresis quæstionem dedit*: quæ alibi etiam expendimus. Quod autem ad præfatos Episcopos aliosque eorum causæ patrocinantes spectat, hos non solum *Leo* variis honorificisque rescriptis dignatus est: Sed & *Hilarus* ejus successor *Faustum* liberi arbitrii insigniorem omnium patronum, cujusque retractatio nullibi legitur, vel memoratur, causarum Ecclesiasticarum & graviorum quidem, veluti primarium judicem *numeroso* Episcoporum coacto Romæ *Concilio præsidere* jussit, ut patet ex ejus Pontificis epist. 8. *ad Episc. diversarum Provinciarum Galliæ.* Præsedit autem huic Synodo *Faustus* cum *Auxanio*, qui si Aquensis fuit Episcopus, ut putat Illust. *P. de Marca* in notis ad Claromont. Concil. satis singulare videri poterit alicui, cur *Faustus* Metropolitæ suo præivit, si tandem Aquensis Civitas Metropo-

Faustus Concilii Præses & Legatus Apostol.

liticam dignitatem tunc obtinuit (quod alii contendunt) nisi id *Fausto* ob meritorum & antiquitatis prærogativam indultum esse conjiciatur.

X. *Si tam probrosæ collusionis particeps fuisset Leo, quorsum ab antiquis repræsentari potuisset candidus & animosus.*

Ut itaque nunc expediti ad *Leonem* revertamur, cujus uspiam mentem subibit insulsa cogitatio tam clarum perspicacemque rectorem, tam benè *Semipelagianæ* pravitatis & versutiæ conscium, & oppugnatorem, ejus inde fesso propugnatori propagatorique *Fausto*, nec non & aliis, tanto sui & Ecclesiæ cui præerat dedecore, indulsisse, ut quod *impium*, *insidiosum*, *superbum*, *calumniosum*, & quid non his majus! in eorum dictis scriptisve R. E. Diaconus deprehenderat, damnaverat, propalarat, factus jam Pontifex retexerit, palpaverit & subticuerit? Quis, inquam, vel tenuissimam probrosæ illius collusionis umbram in *Leone* suspicabitur? hæc fortè alium omninò, quàm tantum Præsulem attingere suspicio possit, at istum nuspiam vel de longè feriet. Non sic saltem pusillanimem, aut simulatum agnovit senior & æquior vetustas, qui eum ex adverso longè animosissimum, sincerissimumque posteritati depinxit: non ita *Facundus* Hermianensis ille Episcopus, pro trium Capitulorum causa fortis atque facundus scriptor, qui passim hoc in tractatù *Leonis* fortitudinem, constantiam, & candorem impensè commendat, nam lib. 2. c. 5. eum appositè, *fidelem ac fidentem propugnatorem Ecclesiæ*, & quod notabilius, HÆRETICORUM NON FICTUM AUT TREPIDUM IMPUGNATOREM; tum lib. 12. c. 2. ejusdem Pontificis fixum propositum referens, quo noluit retractari, quæ in Synodo Calchedonensi fuerant constituta, sic extollit: *Quis hujus Romani Antistitis gravitatem non prædicet? Quis tantam* CONSTANTIAM *non honoret? movere hunc posset ullo modo sæcularis potestas à sententia non retractandi .... quem corporaliter loco movere non potuit? splenderet equidem proculdubiò ubicumque Sol esset*, &c. Non ita pariter *Leonem* conspexit laudatissimus ejus cathedræ successor *Nicolaus* I. qui in epist. ad *Michaelem* Imp. hæc de ejus invictissimo animo testatur: *in Ephesino latrocinio cunctis Præsulibus & ipsis quoque Patriarchis prolabentibus, nisi magnus* LEO *imitator scilicet Leonis illius de quo scriptum est*: vicit Leo de tribu Juda, *divinitùs excitatus os aperiens totum Orbem & Augustos ipsos concuteret, & ad pietatem commoveret, Religio Christiana penitùs corruisset.* Quæ selectissima præconia *Quesnellianæ* editionis limen *Leoni* ipsi sacrum, tanquam gemmæ ad annulum cùm decorent, magno venerandorum programmatum decremento, ex inveterata

Quorsum hæreticorum non fictus aut trepidus impugnator?

Constantia inclytus,

Et Leo de tribu Juda?

terata dissimulatione his adeo decoris opposita, continuò recidenda forent. At optimè suo loco stabunt illa, quia his etiam omnibus potiora & splendidiora *Leonis* facta nobis ubique talem tantumque produnt, qui usquequaque magnanimum animum prætulit, quique nec præpotentes quamlibet adversarios redarguere & insectari veritus est, nec hæreticis pacem, nec errori patrocinium usquam concessit. Quæ quia in ejus scriptis aliisque Ecclesiasticis monimentis notiora, prolixioraque sunt, non est heic locus recensere.

Attamen ne quod in rem nostram magis conducit intactum omnino relinquere postularemur, transeunter examinare præstabit, quibus studiis vehementibus *Leo Pelagianos* præcipuè sit insectatus, ut inde colligere promptius sit, quo solicitudinis progressu horum infelices reliquias succidere sategisset, si eas tantum penes *Massilienses* prævalere persuasus esset non *fictus* ille noster, aut *intrepidus hæreticorum impugnator*; quantùm eosdem damnati erroris contagione putentes infectosque reputasse notavimus autorem gemini *de Vocatione* libri, nec non epistolæ *ad Demetriadem*. Et pro his quidem idoneos testes proferre juvat, & *ex Jovis*, ut aïunt, *tabulis* adductos, quandoquidem & ipse *Leo* Pontifex in medium prodit, qui profectò nec validiùs, nec apertiùs pro eo explicando odio, quo *Pelagianos* execrabatur, mentem suam aperire potuit, quàm in Epistola ad *Aquileïensem* episcopum in horum causa data, & in novâ editione, sexta, quæ in veteri ab ea erat octuagesima. Quæ ideò expressè monere duxi, ut cuique promptius ad manum sit, quam ex toto legisse nullum pænituisse scimus, cui in optatis fuit *Leonis* in *Pelagianos* animum penitiùs internoscere. Nos pauca duntaxat ex ea delibamus, ad acuendam studiosi Lectoris famem: ita igitur Pontifex sub ejus epistolæ medium: *Damnent (Pelagiani) apertis professionibus suis, superbi erroris autores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur* .·.·. *nihil in verbis eorum* OBSCURUM, *nihil inveniatur* AMBIGUUM, *quoniam novimus hanc istorum esse* VERSUTIAM, *ut in quacumque* PARTICULA DOGMATIS EXECRANDI, *quam à damnandorum soliditate discreverint*, NIHIL *sibi* SENSUUM SUORUM *æstiment esse* NON SALVUM; *cùmque omnes definitiones suas ad* SUBREPENDI *facilitatem improbare se simulent, hoc sibi totâ* ARTE FALLENDI, *nisi intelligantur*, EXCIPIUNT, *ut gratia Dei* SECUNDUM MERITA DARI ACCIPIENTIUM *sentiatur*. Et post aliqua: *Cavendum ergo dilectioni tuæ*,

XI. Instauratur argumentum, & ex studiis quibus *Pelagianos* insectatus est *Leo*:

Ex constitutis quibus in eos animadvertit;

Ex cautela, quâ eos examinari & in Ecclesia recipi mandavit, peremptoriè decernitur;

MAGNAQUE DILIGENTIA *providendum, ne per* HUJUSMODI HOMINES *extincta* DUDUM *scandala suscitentur &* *de* EXCISO OLIM DOGMATE *aliquod in Provincia tua* EJUSMODI GERMEN *oriatur, quod non solùm in* RADICIBUS SUIS CRESCAT, *sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem* VENENO SUI ODORIS INFICIAT.

non potuisse Pontificem libb *de Vocat.* scripsisse:

Alia non exscribimus, hæc enim, ut *Facundi* relata verba nostris aptemus, *splenderent* procul dubio *ubicumque sol esset.* Quis enim vel ex istis satis superque non videat, palpetque piam studiosamque vigilantissimi præsulis in tollendis de medio non *Pelagianis* solùm, sed ut quodcumque *ex dogmate exciso germen oriri poterat diligenter in radicibus* suffocaretur? At quorsum hanc eandem sedulitatem non millies ultrò impendisset in *Massilienses* providus Pastor, nec *fictus hæreticorum impugnator*, si ex eorum placitis detestabile *germen illud* succrescere posse suspicatus esset, quod *Sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficere* non dubitabat. Quemadmodum profectò tantum nefas ille subodoratus erat, qui *de Vocatione* libros conscripsit, idemque prorsus, qui *ad Demetriadem* virginem sermonem habens, hæc tam intelligibili voce de *Semipelagianis* pariter ominabatur, quæ iteratò, ad integram etiam verborum sensuumque conformitatem, subjicimus: *Hinc postremò divinæ gratiæ* STIMULATA ET INSINCERA CONFESSIO (in *Pelagianis* scilicet) *quæ* SECUNDUM MERITA DARETUR, *non ex qua merita nascerentur. Quam* PARTEM *superbæ prædicationis* QUIDAM (Semipelagiani) *sibi cùm cætera abnuerent*, SERVAVERUNT, &c. Sed ex istis quantumcumque est negotii penitus expedimus: si enim *Nostri stimulatâ illâ & insincerâ* divinæ gratiæ *confessione*, rem tandem eò perducebant, hisque callibus, ut alibi *Prosperum* dixisse notavimus, ad ea præcipitia perveniebant, ut gratiam SECUNDUM MERITA DARI, quasi inviti, ut etiam ait, faterentur, hancque *superbæ prædicationis* PARTEM, *cùm cætera abnuerent*, *servaverint*, ex autoris epistolæ *ad Demetriadem* testimonio; nonne luce meridianâ clarius est, quòd si iste idem ille esset, qui postea tantâ cautelâ in eos animadverti jussit, qui hac utique stimulatâ confessione, seu versutiâ, *hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiebant*, ut *gratia* DEI SECUNDUM MERITA DARI *accipientium* sentiatur, nonne, inquam, claro clarius est, quòd unus & idem *Leo* qui utraque scripsisse mandasseque supponitur in *Massilienses*, ejusdem dissimulationis, semet teste judiceque,

Quia eorum autor *Semipelagianos* in easdem versutias & præcipitia *Pelagiana* impingere noverat.

c. *Collat.* c. 5.

conscios, eandem protulisset inquisitionis, correptionisque sententiam, quos in nullo diversi facinoris convictio implicabat. Quorsum enim aliàs, quod utrumque abominabile est ante Deum, *pondus & pondus*, *mensura & mensura* apud *Leonem* non extitisset? Quorsum ille INVICTI ANIMI, ut habet etiam *Quesnellus* in elogiis liminaribus, Præsul posthac dici? Quorsum tandem hæreticorum *non fictus*, aut *trepidus impugnator* pronuntiari? At ut talia contra *Leonis* famæ splendorem nulli, cujus mens læva non fuerit, vel per somnium in mentem venient, ita neque ullum deinceps imaginari sibi posse credimus *Leonem* ob amorem & reverentiam quâ *Cassianum* complectebatur, hanc erga ejus sequaces indulgentiam propaginasse: quasi fuisset hæc minùs insignis Catholicæ causæ proditio, si amici defuncti gratiâ, errorem dissimulando confoverit Pontifex creatus, quem, Vicarium agens Pontificis tanto ardore prædamnaverat? aut quasi magis illud coire possit cum *invicti animi* sacerdote *divinitùs excitato totum Orbem*, *& Augustos ipsos*, *os aperiendo concutere*, & ex altero in apertum discrimen adductâ per *Pelagianorum* reliquias Religione, ad dementationem usque conticere? Quæ non tam ratio, quàm rationum velut Achilles; quia penes quoscumque præponderaturus esse, facilè mihi creditus est, eum variis hùc à me modis adduci reducique nunquam nimiùm posse putavi.

XII. *Leonem* in *Semipelagianos* malè semel affectum non sivisset *Prosper* in eosdem remissiùs agere Pontificem.

Unde & ne citò ab eo divertamus, antequam quidquid involvit roboris expresserimus, gravius haud dubiè omni ex parte istud censebitur: quòd tùm *Leoni* Pontifici adhæreret ab epistolis, consiliis & secretis invictissimus Christi gratiæ contra *Massilienses* impugnator *Prosper*; qui si uspiam advertisset *Leonem* circa eorum dogmata, operibus olim editis, secum ex amussin egregiè sensisse, incunctanter quà monitis, quà adhortationibus, quà consiliis, ab eodem obtinuisset, tamque ex ejus, quàm ex Ecclesiæ re esse demonstrasset, ut quem sic apertè noverat proscripseratque errorem in Diaconatû constitutus, jam electus Pontifex solenni anathematis decreto celeriùs perculleret: nisi semetipsum eò usque sui dissimilem Deo & hominibus reprehensionis & detestandæ prævaricationis reum exhibere mallet. Nunquid enim tam eruditus consultor S. Pontificis *Innocentii* celebre dictum & *Leoni* non ignotum refricuisset: *error cui non resistitur approbatur*, *& veritas cùm minimè defensatur opprimitur. Negligere quippè cùm possis deturbare perversos, nihil aliud est quàm fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui mani-*

festo facinori desinit obviare, &c. Nunquid & illam *Cælestinianæ* epistolæ, cujus olim lator fuerat ipsemet *Prosper*, objecisset sententiam: *in talibus causis, non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò ergo causa nos respicit, si cum silentio, faveamus errori.* Aut nunquid promptiora his fuissent, æquè ac efficaciora, quæ ab ipso *Leone* ad Aquileïensem scripta retulimus, quæ hâc etiam salubri in rem nostram monitione Canonicæ Jurisprudentiæ rursùs intexta Dist. 86. resplendet: *inferiorum culpæ*, c. 1. *inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque Rectores, qui multam* SÆPE *nutriunt* PESTILENTIAM, *dum* AUSTERIOREM DISSIMULANT ADHIBERE *medicinam.* Quæ an tùm fuisset ipsissima Medici gravissima omnium culpa, alii judicent? quin in iis prolixiores simus.

XIII. R. P. *Nat. Alexandri* argumentum.

tom. 10. *c.* 4. *art.* 24.

Nam & clariora sunt ista, quàm ut ulla deinceps egeant probatione, aut certè longè inferiores videbuntur, quæcumque ab eruditissimo, copiosissimoque scriptore P. *Natali Alexandro* O. P. in florenti sæculi sui quinti decursu congeruntur, quarum præcipua peti mihi videtur, ex *Gelasii* Papæ facto, qui in tractatu contra *Pelagianos*, libros *de Vocatione* laudat sub nomine cujusdam *Ecclesiæ Magistri*. *At* S. Leonem, inquit, *decessorum suorum unum, tot meritis illustrem, qui ab annis duntaxat* 30. *obierat, suo nomine disignasset, non eo modo, quo ignoti quique laudari solent: nemo enim facilè credet ex hominum memoriâ deletum esse autoris nomen; præsertim si fuisset* S. Leo *Rom. Ecclesiæ Diaconus, & paullò post Pontifex, plura enim Romæ fuissent librorum illorum exemplaria*, &c. *nec illud ignorasset* Gelasius *doctissimus Pontifex.* Hæc laudatus *P. Alexander*, sed quàm hæc minimè *Leoni* convenire rectè concluditur, tàm *Prospero* congruere probarentur, quem utique ita *Magistri* nuncupatione designare poterat, ut antea in Romani Concilii indiculis Scriptorum Ecclesiasticorum censuram complectentibus *virum religiosissimum* nominaverat idem *Gelasius.*

Altera ejusdem ratio duobus momentis egregiè illustrata.

Quòd autem insuper opportunè monet Vir admodum perspicax, *Leonis* vitam & epistolas testari eum contra *Priscillianistas*, contra *Pelagianos*, *Nestorianos*, & *Eutychianos* pugnasse, non legi autem ipsum contra *Semipelagianos* certasse: quòd, inquam, sapiens scriptor heic advertit, inde egregiè illustrari potest, quòd si uspiam Pontifex cum *Semipelagianis*, vel scriptis, vel etiam verbis rem habuisset, id omninò sedulò chronologicis commentariis intexere tam avidus fuisset *Prosper*, in propriam &

peculiarem *Leonis* sui gloriam, quàm studiosus antea fuerat in alienæ participationem eundem accersere. Cùm nempe in memorato Chronico: *insidiis* Juliani Pelagiani *vigilanter* Sixtum *Papam occurrisse* notans, ibidem operam *Diaconi* Leonis *hortatû* præstitam memorare non moratur. Quod certè non mediocrem commendatæ animadversioni lucem affundit, ne quid heic etiam majus exaggerem de horrore, quo in *Semipelagianos* afficiebatur *Chronographus* noster, tanto certè, ut sibi temperare non potuisset, vir tam pessimè de illis sentiens, quominùs eorum condemnationem, vel censuram quantumvis tenuem, vel obliquam (siquæ hactenus ab Apostolicæ Sedis administris emanasset) suis ætatum tabulis adamantino stylo insculpere, ut eruditæ posteritatis æquum de se & adversariis in diu agitata doctrina judicium in omne ævum anteverteret. Quod sanè tàm è sua, quàm ex Ecclesiæ re futurum, non poterat *Aquitanus* evidenter non agnoscere; quæ per se cuique ultrò evidentia sunt, nec ista ulteriùs persequi propositum mihi est: ex his siquidem adeo dissolvuntur, quæ pro asserendis Pontifici libris tanto studio compaginata fuerant, ut nulla uspiàm industriâ, quid aptum ad hæc resarcienda excogitari possit.

an. 439.

Maneat igitur judicio prorsus absolutus *Leo* & in perpetuum à partium concursu sequestratus, cùm nihil ad eum lis attineat, vel ejus intersit, nullisque probatis titulis inter rei controversæ actores accenseri valeat. Unde nec ullus quamlibet pro eo bene affectus in ejus gratiam hiscere, vel illius nomine litem integrare moliri debet: quem citra potioris omnium boni, jurisque, famæ scilicet omnibus sacræ reverendæque discrimen, ac jacturam, judicio iterum sistere nequaquam posset. Litigio igitur * tantæ partis, & indebitè accersiti competitoris resectione jam purgato, facilius erit deindeps secernere quibus titulis jura *Prosperi* vel læsa, vel infuscata fuerint? Quæ & novam quæstionem inducunt.

Leo à partium concursu resectus.

* Forenses nostri vocant: *tiré de qualité.*

Sectio 3. *Quæ* Prosperi, *juribus adversari jactantur satis cruda, debitæ concoctioni restituta, ad illa penitùs instauranda mirè conducere demonstrantur.*

XIV. An *Prosper* communem omnibus generalemque

Ad istius disquisitionis explicationem *P. Quesnelli* studia plurimùm conduxisse jam monuimus, in quo quidem in primis ostendit libros *de Vocatione* à *Prosperi* doctrinâ, sensibusque ne-

grariam agnoverit.

quaquam discrepare, in his quæ vulgò jactabantur præcipuis & capitalibus, ut sunt hæc à *Norisio* Hist. Pelag. lib. 2, c. 14. opposita, quod *Anonymus plurimùm laboris insumit ut communem gratiam Dei omnibus faciat, quam* Prosper *penitùs repudiavit.* Quâ ab accusatione, ut autorem libb. *de Vocat.* purget *Quesnellus*, duo hæc *invictè probare facilè* spondet: *Primum quidem*, Leonem *nostrum*, inquit, *cùm & in libris* de Vocatione Gentium *communem omnibus facit gratiam Dei, longè alio sensu, latiorique significatione usurpare gratiæ nomen, quàm sumatur à* Prospero; *alterum verò quòd cùm idem gratiæ nomen à* Leone *eodem sensu, quo à* Prospero *usurpatur, eandem quoque ab ipso* Augustini *de gratia doctrinam cum* Prospero *prædicari.* Hæc *Vir doctus* cujus verba, quàm mihi nunc post iteratum examen satis perspicua sunt, tam mihi aliàs, primo conspectû, paullulùm obscura visa esse non diffiteor. An fortè judicabit aliquis, quia ex frequentiùs datâ eundem impugnandi occasione, quasi firmato animo, novam & heic congressionis causam offendisse non ægrè suadebar? Et id *humani à me alienum non putarem*, nisi in his, quæ mihi dubia sunt, tarditatem meam culpare mallem, quàm probabiles etiam contentiones excitare. Heic enim jam mihi probabile feceram perinde negasse *Quesnellum* hanc communem gratiam *Prospero* penitùs cognitam, dum ait *Anonymum de Vocatione* autorem, gratiæ istius, *longè alio sensu latiorique significatione, usurpasse nomen, quàm sumatur à* Prospero. At aliis quæ consequuntur, redire in illud videtur, quòd gratiæ nomen ex eodem sensu accipiatur ab autore librorum in quæstione positorum, (quem *Leonem* statuit) quo intelligitur à *Prospero*, quando præcipuè in proprio & magis contracto sensu gratiæ denominationem assumunt. Hæc enim mihi haud integrè perspecta esse fateor.

Diss. 2. n. 28.

Quidquid illud sit, egregiè quidem probat demonstratque *Vir doctus*, qualis sit illa communis, generalisque gratia ab *Anonymo* stabilita, sed cum illo tam etiam præstabat ostendere, *Prosperum* in hunc omnino sensum istiusmodi gratiam agnovisse & inculcasse, ut utrumque rectè invicem consentientem demonstrasset. At ex eo haud dubiè argumentto penitiùs explorato, é quo procul esse sibi persuadebat, *Prosperum*, offendisset; quem nos è contra etsi toties repertum, magis ac magis investigantes, totum in istis iterùm reducimus. Adeòque cui non satis per *Quesnellum* complanatæ videbuntur *Norisii* dubitationes, aut ipsa *Quesnelli* data verba adhuc ambigua

remanebunt; per hæc nostra omnes penitùs avulsos scrupulos magis intelliget, hoc uno quod aggredimur experimento.

Et pro isto quidem *Anonymum* ipsum audire duntaxat interest, ut ex ejus ore immediatè promatur, in quo præcisè gratiam illam communem ac generalem constituat, hocque tandem declarato, ac determinato, pressiùs explorentur *Prosperi* sensus illis plané conformes. Pro parte *Anonymi* certè non alius adducendus est locus, ab eo quem opponit *Vir eruditus* ex. c. 4. lib. 2. *de Vocat.* in quo hæc leguntur: *Sed ne in præteritis quidem sæculis hæc eadem gratia, quæ post Domini nostri* JESU CHRISTI *Resurrectionem ubique diffusa est......* DEFUIT MUNDO.... *Cælum quippe ac terra & mare omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationabilis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem* SUI *imbueretur* AUTORIS. Hanc autem generalem gratiam docendis juvandisque hominum mentibus nunquam defuisse rursus asserit c. 10. Et c. 9. præcedenti jam dixerat: *Siquidem aliter eos Deus juverit, quos ad cognoscendum se* COELI ET TERRÆ TESTIMONIIS CONVENIEBAT, *aliter illos, quibus non solùm* ELEMENTORUM FAMULATU, *sed etiam* DOCTRINA LEGIS, PROPHETARUM ORACULIS, MIRACULORUM SIGNIS, *& Angelorum cooperationibus consulebat, & multò magis aliter misericordiam omnibus hominibus declaraverit, quando filius Dei factus est filius hominis*, &c. Ex quibus rectissimè concludit *Quesnellus* autorem in his triplicem gratiæ ordinem considerare: *Primam* quidem quam in cœli & terræ omniumque creaturarum contemplatione constituit: *Secundam* Judæis specialem, quibus præter elementorum, ut sæpe loquitur, paginas doctrinam legis addit: *Tertiam* denique quæ post Christi Resurrectionem illuxit, in prædicatione Evangelii ponit, *quæ & multò magis aliter*, &c. hæc *Quesnellus*. *Ibid.*

XV. Pro hac generali gratia selectæ *Anonymi* autoritates.

Triplex gratiæ ordo, in natura, in Lege, in Evangelio.

Nos videamus nunc utrum istis rectè concinat *Prosper*, & an potissimùm gratiam istam communem omnibus in naturalium contemplatione positam, & ex ea prodeuntem luculenter agnoverit? At & hanc profectò & alias consequentes conceptis verbis confessus est & altè prædicavit, cùm præcipuè ad *Gallorum* objectiones reponeret, nam c. 8. in quo oppositum fuerat: *Quòd non omnes homines velit Deus salvos fieri:* ut hanc calum-

Hanc generalem *Anonymi* gratiam egregiè agnovit *Prosper*:

niam sibi impositam multis depulit, & hunc præsertim Apostoli locum 1. *Tim.* 1. ab *Anonymo* pariter usurpatum: *Qui est salvator omnium, maximè fidelium*, &c. adhibuit; totam ratiocinii seriem hâc sententiâ concludit, in qua apertissimè triplicem illum gratiæ ordinem jam notatum recenset, & distinguit his prorsus verbis: OMNIUM *ergo* HOMINUM *cura est Deo*, & NEMO *est, quem non, aut* EVANGELICA PRÆDICATIO, *aut* LEGIS TESTIFICATIO, *aut* IPSA *etiam* NATURA CONVENIAT. Quòd evidentissimum cùm sit, nil causæ esset cur his commentarium adjungeremus. Id unum monere juverit, hæc non solùm sensibus, sed & verbis omninò illis consonare, quæ ex c. 9. *Anonymi* postremò retulimus, circa eos, quos ad *cognoscendum se Deus Cæli & terræ testimoniis* CONVENIEBAT: quæ vel vox: CONVENIRE, eâdem utrobique significatione insumpta, eodem fine adhibita, & ad eandem generalem communemque omnium gratiam pariter relata, ab uno eodemque ore prodiisse non minimè convincitur.

Ejusque triplicem ordinem prædicavit.

At ne & ista fortuitò elapsa esse *Prospero* quis putaret, pensiculatiùs etiam expendere convenit, utrum placitis illis constanter inhæserit, & generalem illam gratiam ita alibi tradere & inculcare non neglexerit; cujus quidem tam patula sunt in cunctis illius scriptis exempla, ut heic omnia referre non spondeam; quæ autem præcipua incurrerunt, hæc mihi sunt. Primùm & per omnia insigne, in quo triplex ille gratiæ ordo iterùm representatur, habet expositio *in generationem & generationem veritas tua, Psal.* 118. in qua ita *Prosper*: *hâc autem repetitione*, inquit, *vel* OMNES *generationes significavit, à quibus* NON DEFUIT VERITAS DEI, *vel duas intelligi voluit, unam scilicet ad* LEGEM & PROPHETAS, *alteram verò ad* EVANGELIUM *pertinentem*. Quâ clarissimâ expositione, rursus distinguitur gratia, seu veritas Dei *in omnes generationes* effusa, ab ea, quæ *ad Legem, & Prophetas*, aliaque quæ *ad Evangelium* pertinet: atque in his singulis ad verbum penè redduntur, quæ *de doctrina Legis & Prophetarum oraculis*, &c. ex citato c. 9. supra consignavimus, sed expressior est hæc locutio: *à quibus* NON DEFUIT VERITAS DEI, quæ hanc omninò refert c. 4. lib. 2. jam similiter relatam: *sed ne gratia* DEFUIT *mundo*: ubi hoc verbum: *defuit*, ejusdem itidem autoris lineamentum exhibet. Iterùm & in expositione *v. omnia quæcumque voluit Dominus fecit Psal.* 134. hæc subjicit: *Quidquid creaturarum est in cælo, & in terra, & in mari, & in abyssis Deus fecit....*

Quàm in hac doctrina concors ac constans è

fecit. ... Hanc potentiam homo totius mundi consideratione cognoscens, quia cum in agro cordis sui aliquid boni nascitur, de opere & munere est cœlestis agricolæ, qui ea quæ instituta sunt per naturam, & corrupta sunt per inobedientiam dignatur reparare per gratiam, &c. ad quam utique per hanc contemplationem præparatur homo, ut ex sequentibus magis insinuat, *hæc omnia*, inquit, *in toto mundi corpore Dei nutû, & Dei aguntur arbitrio, quæ utique cum multa admiratione laudanda sunt, & in eis intelligendum est, quæ operetur Deus in ipsis hominibus*, &c. Inde per omnes fermè sequentis *Psal.* 135. versus hæc gratiæ initia generalitatemque magis explicat; in primum enim sic loquitur: *Quod opus ineffabilis pietatis, quia in sempiterno Dei consilio fuit, ut per temporalia præordinarentur æterna, mirè* TOTIUS MUNDI ELEMENTORUMQUE *conditio propter hanc misericordiam dicitur instituta*, & deinceps in 5. versu habet: *in intellectu facti sunt cœli, ad erudiendam eam creaturam, quæ ad cognitionem* SUI *præordinabatur* AUTORIS: *Invisibilia* enim Dei per ea quæ facta sunt, &c. *quia majestatis invisibilis pulchritudo, & per incorpoream creaturam incorporeus Creator agnoscitur.* Quod in eundem sensum usurpaverat *Psal.* 103. vers. *Quàm magnificata sunt*, &c. *admiratio hæc*, inquit, *quâ magnificentia stupetur operum divinorum*, &c. tùm & per visibilia ea quæ non apparent intellecta conspiciuntur inde: *latè oculis apparet & multipliciter spectabilis est pulchritudo mundana, quæ sapientiam & virtutem* SUI *testatur* AUTORIS. Iterùm in *Psal.* 144. vers. 10. ad ista semper intentus ait: *Quamvis rationales tantùm intellectualesque creaturæ divinæ laudis affectione moveantur....... nil est tam à sensu remotum, in quo non mirabilis sit Creator: quem cùm Angeli & homines confitentur, & laudant, ipsæ infinitæ mundi partes, & species, atque naturæ* SUUM *semper loquuntur* AUTOREM, *& utilitate ac pulchritudine suâ immensam dant materiam laudatoribus.* Postremò in *Psal.* 148. vers. 1. *Laudate Dominum*, &c. ita mentem suam explicat: *nihil est in universitate rerum, à summis usque ad infima, quod non suâ æqualitate naturæ potentiam* SUI *protestetur* AUTORIS: & infra: *super omnia enim & omnium conditor & unius* AUTORIS *laus est, quidquid in universitate laudabile est quod ipsa rerum pulchritudo multiplici confitetur ornatu*, &c. Alia multa prætermittimus, quorum aliqua in tabulis sequentibus inserentur, ne heic in re diutius tam clara detineremur.

XVI. Collationes utriusque textus.

Quia tamen non res solas, rerumque sensus duntaxat expendere, sed etiam voces, verba, eorumque contextum so-

numque librare, pro penso nobis obtigit, non sinit, quæ se nunc dat adductorum locorum occasio, eorum examen & comparationem ultra differre. Perspectum autem in primis fiet in hoc *Prosperum* cum *Anonymo* conspirare, quòd uti iste communem hanc & generalem gratiam à Deo concessam asserit; *ut anima rationalis de contemplatione tot specierum*, &c. AD COGNITIONEM SUI *imbueretur* AUTORIS: ita & ille similiter eadem usus locutione habet: *ad erudiendam eam creaturam, quæ* AD COGNITIONEM SUI *præordinabatur* AUTORIS. Notabile autem est, quòd in hoc paucorum verborum contextu tanta coeant similitudinis indicia; nam quæ heic *anima rationalis* exprimitur; istheic *creatura* & alibi *homo* dicatur, imò & sæpè has voces alibi uterque promiscuè usurpat. Tum hinc & inde hæc conspicua est formula: AD COGNITIONEM: quæ unicum genium non minùs prodit, quàm quæ consequitur: SUI *imbueretur* AUTORIS: *Et* SUI *præordinabatur* AUTORIS. Ubi hæc postrema vox ad Creatorem designandum ab *Aquitano* tam constanter adhibita, quàm ab *Anonymo* singularem indicem non leviter, meo judicio, prætereundum refert, quem adeoque subjecto laterculo magis considerandum exhibemus.

Excerpta ex *Anonymo*:	Excerpta ex aliis *Prosperianis*.
1. Ut anima rationalis de contemplatione tot specierum ad COGNITIONEM SUI imbueretur AUTORIS.	1. Ad erudiendam creaturam, quæ AD COGNITIONEM SUI præordinabatur AUTORIS. 1. Latè apparet oculis & multipliciter spectabilis est pulchritudo mundana, quæ sapientiam SUI testatur AUTORIS. 1. Unius AUTORIS laus est, quidquid in universitate laudabile reperitur.
2. Cœlum ergo cunctaque cœlestia consono speciei suæ ordinationisque concentu PROTESTABANTUR gloRIAM Dei, & prædicatione	2. Nihil est in universitate rerum, à summis usque ad infima, quod non, suâ æqualitate naturæ, potentiam SUI PROTESTETUR AUTORIS.

perpetua majestatem SUI LOQUEBANTUR AUTORIS.	2. Et species & natura SUUM semper LOQUUNTUR AUTOREM.

Sed in istis præter illum communem & familiarem utrique autori signatæ majori charactere ejusdem vocis usum, alia incurrunt animadvertenda; neque enim pronomen SUI, semper hinc & hinc verbo suo præpositum observationem fugere debet: uti & quæ consequuntur: TESTATUR, PROTESTETUR, PROTESTABANTUR, cuncta enim patet ad creaturarum testimonium significandum uniformiter usurpata. At quàm & illud: *cuncta consono speciei suæ, ordinationisque concentu*, &c. idoneè opposita repræsentat: nihil est quod non sua æqualitate naturæ, &c. Quid enim est aliud: *consonus* ille *speciei & ordinationis concentus*: quàm *mirabilis in universitate rerum naturæ æqualitas*. Unde & hoc c. 4. lib. 2. sub medium adductorum membrorum dixerat autor: *totius mundi* inenarrabilis *pulchritudo*, & ordinata largitio: quæ *Noster* per hæc reddit: multipliciter spectabilis *pulchritudo* mundana, & *totius mundi* consideratione, &c. ut supra, ubi etiam frequenter apparebit vox: *pulchritudo*. Quam & alibi usurpat *Prosper* ad exaratæ locutionis *Anonymi* normam omnem & sensum, dum ait: contemplatio elementorum, & omnium quæ in eis sunt *ordinatissima pulchritudo*, &c. quo epitheto, *ordinatissima*, nonnullam hujus formulæ: *ordinata* largitio, & consonus *ordinationis* concentus vim & proprietatem ebibit. Et observationes.

Quâ ex ejus occasione elocutionis, unde eruta est integrum locum, licet in præcedenti Dissertatione jam ex parte exhibitum, heic iterùm proferre non pigebit; ut inde magis & magis exploratum sit eodem sensu, latiorique significatione quæ generalis gratiæ præconem defensoremque illam fuisse, ejus in libris *de Vocatione* toties explicatur. Ita igitur ad hanc mentem *Aquitanus* c. 14. contra *Collat.* hanc ex naturæ contemplatione præparatoriam dispositionem ad gratiam, gratiamque ipsam sic profitetur: *Quasi vero potentia* GRATIÆ DEI *eos tantum ad filium attrahat, quos aut voce increpaverit*. &c. *sed veritas* dicit: nemo venit ad me, &c. *si ergo nemo venit nisi attractus, omnes quocumque modo veniunt attrahuntur. Trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum, omniumque quæ in eis sunt ordinatissima pulchritudo:* invisibilia enim ejus à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, &c. *tra-* XVII. Determinatior inter utraque scripta consensio. Rom. 1.

hit rerum gestarum cognitio & divinorum operum relaturæ animum audientis indemnant. Hæc *Prosper* quibus iterùm non poterat explicatiùs in Tractatoris innominati sensa concedere : neque heic desunt similitudinariæ locutiones , qualis est : *contemplatio elementorum* : toties alteri familiaris cum eodem annexo Scripturæ testimonio. At ut iste in ejus 2. lib. c. 4. tam versato , hoc visibile testimonium nuncupat : *odorem vitæ spirantem ad vitam, qui factus est odor mortis ad mortem, dùm homo non intellexit, & vias voluntatis suæ ambulare permissus est* : ita *Prosper* & heic & alibi sæpissimè eandem veritatem inculcat , quod pluribus ostendet tabularum conspectus, ne quis ad ea quæ antecedunt, vel consequuntur minùs intentus hanc clarissimam consonantiam non citò se assequi causaretur. Eò enim redeunt, coëuntque utriusque, vel meliùs unius autoris rationes & conceptus , ut ex his quibus visibilium eruditio profuit, nemo nisi gratia justificatus sit, per spiritum fidei , quod maximè demonstrat lib. 1. *de Vocat.* cap. 5. ubi postquam divinæ bonitatis effusionem in acceptum sibi populum commendavit , subjungit: *nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit , ut Propheticas voces, & præcepta legalia convinceretur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Unde & inexcusabiles facti sunt , quia Deos sibi Dei dona fecerunt* , &c. Quibus magis ac magis explicatur ac determinatur ejus communis gratiæ natura, quam in elementorum obsequiis, ac testimoniis accepisse nationes convincebantur : quamque *Prosper* his ipsis figuris ac locutionibus passim heic & alibi stabilire , atque secernere non moratur. Vel cùm in exp. vers. 119. *Psal.* 118. quærit *quomodò omnes peccatores terræ prævaricatores debeant existimari*, *quorum* multos constat sine lege peccatores. Respondet : *omnem hominem teneri lege naturæ : Et quem non damnat litera arguit conscientia.* Tunc *quia lex, sive in paradiso data , sive naturaliter insita , sive literis promulgata prævaricatores fecit omnes* , &c. Ergò & ipsi *inexcusabiles* censendi, qui hanc sibi communicatam communis generalisque gratiæ portionem vel respuerunt , vel extinxerunt.

Prosper triplicis gratiæ ordinis assertor perpetuus.

Igitur pro certo exploratoque nunc sit , & hanc communem omnibus gratiam à *Prospero* cognitam & prædicatam, & *Anonymum* nusquam omnino *diversâ*, ut sensit *Norisius*, ab eo *viâ abiisse.* Utque unus in accipiendo , latiori significatione, gratiæ nomine alteri consentaneus fuit , ita & in alio potentiore gratiæ dono plenioreque ejus virtute tradendis & inculcandis peræquè fuere concordes , nec minùs quam si alter ab altero, seu ve-

riùs à ſemetipſo (quod & rectè fuit) conceptus ſuos mutuatus eſſet. Triplex enim ordo divini illius generalis auxilii, vel à Natura, vel à Lege vel ab Evangelio derivantis, prout eum ſecernunt libri *de Vocatione*, diſertèque *Vir doctus* explicat, paſſim traditur, defenditur & commendatur ab *Aquitano* noſtro, cujus hanc omnium vice aliarum clariſſimam aſſertionem rurſus ſubjicimus: OMNIUM *ergò hominum cura eſt Deo*, & NEMO *eſt quem non aut* EVANGELICA *Prædicatio*, *aut* LEGIS *teſtificatio*, *aut* IPSA *etiam* NATURA *conveniat*. Quo veluti epiphonemate reperta deinceps cenſeatur hæc communis gratia triplexque illius ordo ad *Anonymi*, ſeu ſui ipſius mentem commenſuratus, atque recognitus, & à graviſſimis autoribus *D. Petavio* Dogm. Theol. Tom. 4. p. 2. lib. 13. & *L. Thomaſſino* in ejuſdem nominis opere lib. 8. cap. 11. *de Deo*, &c. albo quod aïunt, calculo prænotatus. Et meritò quidem nam hoc ſemel, bonâ fide, ſuſcepto, ſufficienter intelligitur auxilium illud ſufficiens, quo in omnes ſalvifica ſincera Dei voluntas mirificè reſplendet: omneſque perinde novitates, aut erroris vetuſtates exertè configuntur.

Patritiorum Theologorum animadverſio complectenda.

XVIII. Cur in iſtis diù verſari conduxit?

Porrò his ideo diutiùs & ſcrupuloſiùs immorari præſtitit; quia hoc aſſerti per *Noriſium* diſcriminis offendiculo ſemel explanato, ex *Queſnelli* expreſsâ declaratione jam habemus, nullum aliud uſpiam reperiri poſſe, quo autor uterque ſenſibus invicem diſcrepare convincatur. Sed in hoc primo, & unico occaſionem ex parte ſtatuit, cur doctiſſimi viri *Voſſius* & *Noriſius* diſcrimen ſtatuerint, inter *Auguſtinianam Proſperi* doctrinam & eam quam tradit Autor librorum *de Vocatione*: queis & omnibus explicationem ſuam lucem afferre rectè putat; omne ſanè punctum poſthac relaturus, ſi quemadmodum hanc generalis gratiæ naturam penitiùs diſcrevit in *Anonymo*, ita eandem nihiloſeciùs patentem in *Proſpero* demonſtrare perſecutus eſſet. Namque in reſiduis, quæ diſſimilitudinem præferre videbantur, nullam prorsùs eſſe, tantâ felicitate, demonſtravit Vir optimus, ut omnium diligentiam eò commendabiliùs præverterit, quò reconditioris doctrinæ viri, & inter eos facilè aliis Principes, laudati *Noriſius* & *Voſſius*, in his diutiùs hæſerint, & ob ea tandem partim abducti ſint, ne hos *de Vocatione* libros *Proſpero* vindicarent: quia ut infit eorum alter, *hujus Scriptoris ſententia non examuſſin quadrat doctrinæ* Proſperi. Quod alibi ſæpè notavimus.

Et quid ad residua eruditæ *Quesnelli* curæ?

Quominus itaque in his probandis & excutiendis operam nunc impendamus faciunt eruditæ illæ P. *Quesnelli* animadversiones, quæ heic essent omnes exscribendæ, ut quod reliquum est *Augustinianæ Prosperi* doctrinæ, cum cunctis innominati Autoris principiis plenè concordare demonstraretur, præsertim circa objectionem à parvulis ductam, cujus auxilio *Augustinus* & *Prosper* ex subactis *Pelagianis* jure triumpharunt. Nos tamen plura in hæc ex *Prosperi* scriptis suppeditabimus in collationum tabulis, ubi nova ejus convenientiæ indicia patebunt, in quibus & Tractator inquisitus magis cum aperto *Prospero*, quàm cum semetipso sic larvato verbis etiam & locutionibus cohærere visus, de facie tandem rursùs *Prosper* ipse recognoscitur. Neque enim quidquid in his libris asserti dogmatis, vel cum dubio & hæsitantia propositi reperiri potest, ex aliâ, quàm ex *Augustini* officina depromptum fuit. Et certè iste noster *de Vocatione* tractatus quandoque pro absolutâ sed artificiosâ S. Hipponensis Præsulis *de Prædest. SS.* & *Persev.* librorum Paraphrasi acceptus nobis est, in his videlicet quæ Autor attingere sibi proposuit, & ad regularum in his à Magistro traditarum mentem explicare. Quod si ita est, hæc provincia non alium tangere potuit, quàm Discipulum, non ex iis ullum, quàm *Prosperum*: cujus erat pro suâ summâ peritiâ, & in suum *Augustinum* amore, ac reverentiâ exceptas cygneas illas ipsius morientis voces & monitiones, in unâ ex operib. suis retractare, & in determinatam securamque praxim, certa quædam ejus præcepta redigere, quæ tam consummato prudentiæ judicio doctrinarumque magisterio ibidem declarata fuerant.

XIX. Insignior loci lib. de *Vocat.* restitutio per *Quesnellum*.

Sed ut ad operam à *Quesnello* egregiè in his navatam redeamus, ad *Prosperi* causam quasi colophonem adjecit, cùm unius ejus librorum loci obscurissimi restituta est per eum lectio, quâ *Prosperianæ* doctrinæ in omnem partem concinens, hæc de Prædestinatione sententia efficitur: *Et frustra dicitur, quòd ratio operandi non sit electis, cum etiam* AD HOC UT *operentur, electi sint*: quæ est sincera phrasis c. 35. lib. 2. *de Vocat.* ita genuinè expressa in M. S. Codice *Thuaneo*, quo usus *Quesnellus*, vulgarem lectionem emendavit, unius transpositione voculæ, sensum omnem pervertentem; sic enim præferebat: *Et frustra dicitur, quòd ratio operandi non sit in electis, cum etiam* AD HOC *operentur* UT *electi sint*. Quod etsi non minùs *Augustini*, *Prosperique* dogmatibus quàm assertis toto *de Vocatione gentium* placitis, omninò repugnare manifestum sit, fuerat tamen istheic infelix

hucuſque ſcopulus, in quem non illidere liberum non erat immonito. Quidni & ex argumenti hinc deducti pondere color & autoritas ad reliqua accedebant momenta, quæ viros eruditos in hanc propellebant ſententiam, ut libros illos alteri quàm *Proſpero* adſcriberent. Quorum & ego præjudiciis ductus, eoſque in hoc imitatus, qui *tædio novæ curæ* (ut ait alicubi Seneca) *ſemel placita pro æternis* habent, in illorum penſiculatiùs examen divertere, minùs cogitavi, quòd ad alia progrediens, de his nil prorſus coram proponere mentem ſubiret; antequam in hanc inquiſitionem tandem delapſus, iſtam priſtinæ lectionis probatam emendationem animadvertiſſem, quæ ſimul ac mihi *Auguſtiniana* videri cœpit, totus mihi de reliquo *Proſper* innotuit.

Quid amplius per nos adjectum.

Sed qui aliis hunc ipſum magis noſcendum dare ſuſceperam, aliquid mihi gravius aggredi incumbebat, ut hanc lectionem probatis quibuſlibet viis genuinam oſtenderem. Et facilè quidem, hoc quaſi glutino ineſcatus tam obfirmatum me ſenſi, ut vadimonium ſuſtinerem, quàm olim in hoc deſerendo me proclivem declaravi. Cùm unius itaque duntaxat M S. Cod. fide reſtituta eſſet lectio quæ adeòque aliis omnibus tam vulgatis quàm MSS. continuò prævalere vix poſſe videbatur; donec ſimilium acceſſione concurſuque hunc primigenium autoris ſenſum fuiſſe patenter liqueret. Ne tandiu protelaretur judicium, nec inde ex morarum diſpendio, quod nobis præcipuum eſt, denuò arriperetur anſa libros iſtos vel ad incerti parentis fortunas ablegandi, vel ab *Aquitano* in totum etiam abjudicandi, in id primò meum ſe ſe contulit ſtudium, ut *Thuanei* codicis lectionem aliorum probatorum codd. collatione ac conformitate probatiſſimam exhiberem. Quod mihi tantò faciliùs aſſequi ſperabam, quantò menti altiùs inſederat *Anonymi* libros *Proſperi* legitimum partum exiſtere.

XX. Lectio ex *Mſſ. Codd. Vaticanis* integrè reſtituta.

Et eventus profectò expectationem non fefellit, nam ut Pariſinas Bibliothecas poſt diligentem P. *Queſnelli* operam fruſtra perſcrutatus eſſem, unde aliquid novum in res noſtras conferrem, ad Romanas regioni etiam noſtræ viciniores me primò converti. Et felicibus quidem auſpiciis, nam tanta ibidem nactus ſum pro hacce cauſâ monumenta, ac præjudicia, ut aliò deinceps concedere neceſſum non fuerit. Unus autem mihi tot cumulata compendia fecit Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis *Hyeronimus CaZanata*: penes quem omni laude Superiorem Virum, cùm non ſit nationum vel perſonarum diſtinctio, quas in promovendis literarum ſtudiis juvare poteſt; me etiam vix

notum, ut rescivit in istis *Prosperianis* versari, non modò suavissimis ac imperiosissimis literis ad incepta perficienda hortari duxit, sed etiam ut operum omnium *Prosperi* desideratam hactenus editionem in me susciperem, quà suis, quà amicorum monitis acriter stimulavit. Atque ut significantiùs testaretur quibus me tùm foviturus esset auxiliis, specimen in præsenti negotio à me non satis pro dignitate celebrandum protulit: namque ilicò Bibliothecæ *Vaticanæ* codicum omnium MSS. copiam viro literato necessario meo Romæ tùm degenti exhiberi procuravit, ut loci nostri lectio cum istis diligenter conferretur: unde longè citiùs quàm sperabam edidici, & inquisitioni meæ, & publicæ eruditioni factum esse satis. Etenim ista adhuc retractabam, quando rescriptum fuit singulos qui reperiri potuerunt in hoc celeberrimo Bibliopolio *Prosperi* de *Vocatione omnium gentium* libros MSS. seorsim examinatos atque discussos *Thuanei* lectionem magnificè præferre, & in istud ipsum ejus de quo agitur effatum conspirare omnes. Quod cum summum nobis sit ac peremptorium, unde utpote dubitationes omnes in futurum præscindi debeant circa primigeniam hujus sententiæ lectionem, eorum codicum recensionem, quæ transmissa est ordine, repræsentare non morabor.

Primus itaque Vaticanæ Bibliothecæ MS. codex num. 262. quadringentorum circiter annorum antiquitatem præferens habet: *Et frustra dicitur quod ratio operandi non sit Electis cum etiam* AD HOC UT operentur Electi sint &c.

2. Num 559. priori paullò vetustior vitium exhibet exemplatoris manifestum, nam pro, *ad hoc*, dat *adhuc*, sed in reliquis concinit.

3. Cod. num. 558. nobilissimæ vetustatis, quippequi videtur ante 800. annos exscriptus, hæc uno tenore præfert. *Et frustra dicitur* quòd, &c. CUM *etiam* AD HOC UT *operentur Electi sint* &c.

4. Cod. denique potioris omnium antiquitatis indicia præbens, 900. scilicet annorum, ita & similiter objicit: *Et frustra dicitur quòd* &c. CUM *etiam* AD HOC UT *operentur Electi sint*, &c.

Imò & citra hanc opem ex gravissimis momentis sic restituenda.

Sanè post tam fœcundam messem, nil pensi fuit aliò spicilegium quæsivisse, nam & ista ipsa mihi quidem visa sunt ex superfluo, quia sensus iste non modò planus, sed necessarius est. Etenim cùm proclivius ac connaturalius sit, ut æqua rationabilisque mens recto jamdudum scriptionis tramite procedens suis

ſuis principiis ſemper inhærens, ac ſibi conſtans, eadem principia uſque in operæ ſuæ finem ducat ac conſequatur, quàm hunc attingere proximus in devia recedat & ea omnia conturbet atque disjiciat, quæ totis mox viribus ac nervis ſolidare contenderat: ita etiam & hâc congruentiſſimâ regulâ, de noſtro *Anonymo*, & ipſo tali Scriptore ſapientiſſimo, id æquum ferendum erat judicium, ex quo longè potius hæc ejus obſcurior diſſimiliſque ſententia aptanda caſtigandaque veniret, ad eorum normam, quæ in toto decurſu fuſiùs ſtabilierat, quàm illa ipſa ex hoc tam brevi diſſonoque ſenſu temerarentur, vel ſuſpenderentur. Quem enim latere poteſt in his rerum circunſtantiis celebrem illam & omnium ætatum ac gentium acceptione firmatam *Tertulliani* ſententiam advocandam, quâ c. 20. adv. *Praxeam* diſputans, hæc tam providè, quàm ſapienter inculcat: *tribus capitulis totum inſtrumentum utriuſque Teſtamenti volunt cedere, cùm oporteat* SECUNDUM PLURA INTELLIGI PAUCIORA. Imò & noſtram in ſpecie cauſam quaſi determinatè ob oculos haberet c. 26. ſubjicit: *ne tot manifeſtè pronunciata &* ANTE *&* POSTEA *unus ſermo ſubvertat, ſecundùm omnia potiùs, quàm adverſùs omnia, etiam adverſùs* SUOS SENSUS *interpretandus eſt.* Quod & heic tanto leviori cunctatione videbatur audendum, quantò ex unius ſyllabæ vel particulæ indebita poſitione, tam cohærens mirabiliſque rationum & argumentorum conſenſio diſſolvebatur, ac obſcurabatur. Qui ſi auſus etiam citra MSS. Codd. opem, ut alia plurima in ſimilibus exempla teſtantur, ritè probari poterat, quàm nunc magis in optimæ notæ libris ejuſmodi, ſincerus repertus, ac ſibi reſpondens ſenſus, ambabus ulnis eſt ſuſcipiendus, & pro primigenio perpetuoque deinceps habendus ac retinendus? ut omnis adeòque ex eo, tam genuinè deinceps *Proſperum* ſecernat ac complectatur, quàm antea ex eadem inverſa lectione eum dilabi, ac penè evaneſcere ſentiebat.

XXI. Hanc lectionem è *Proſpero*, mutuatus eſt ad verbum *Fulgentius*.

Hæc profectò non ſolum gravia, ſed omnium graviſſima cenſebuntur, at & alia ſuperſunt, quæ iſtis etiam, aut autoritatem conferant, aut illuſtrationem. Quaſi enim mediocre eſſet & ſenſuum cohærentiâ, & lectionum conſenſione tam inſignem locum reſtituiſſe, novæ illi inſperatò obveniunt acceſſiones, quæ lineas illas reverendâ Patrum voce obfirmatas æternùm conſecrent. Ac primùm affulget omni decore teſtis illuſtrior, qui *Proſpero* penè coævus, ejuſque memoriæ, ſcriptorumque cultor atque exceptor præcipuus, & in hac eadem

palæstra eosdem hostium cuneos perrumpere pro suis partibus suscipiens, nec quibus vinceret fortiora tela expertus, quàm ipsa *Prosperiana* effata, hoc ipsum quod integravimus, ad omnes omninò sensuum fines & ad verborum syllabarumque penè commissuras exscribere ac retractare voluisse planè convincitur. Talis ac tantus ille *S. Fulgentius* Ruspensis Episcopus meritò censeri debet, qui *de veritate Prædestinationis* lib. 3. cap. 6. contra *Nostrorum* reliquias disceptans, postquam jactatam adversariorum solennem objectionem retulit, hanc ex *Aquitani* nostri promptuario, lib. scilicet *de Vocatione*, splendidissimam sententiam mutuatus, sic pedetentim retinet, ac reddit: *Pessimum est autem dicere, quia si est prædestinatio, non debemus orare nec vigilare, eò quòd jam prædestinati fuerimus*, CUM *utique illa gratia quæ nobis divinâ prædestinatione fuit præparata*, AD HOC *nobis detur* UT *vigilemus & oremus*. Ecce tibi *Fulgentii* manus, at vox quidem *Prosperi* vox est; ad cujus imitationem quanta est *Fulgentiana* periodus sic aptata videtur ac commensurata, ut has ipsas capitales particulas, CUM AD HOC UT, omnes & eodem prorsus ordine resumpserit. Quod certè summum, nec sine studioso affectû dispositum. Sed & si magis sanctissimos Scriptores in his se invicem complectentes observare juvat, prævium rursus habeamus *Prosperum*, qui quemadmodum famosæ suæ sententiæ: CUM AD HOC UT *operentur electi sint*: immediatè subjunxit: *virtutum quippe munera otiosa esse non possunt*, &c. ita & iste sui pressiùs vestigia consectatus anteambulonis reclamat: *Quomodo enim fieri potest ut gratiam quisque accipiat, & opera gratiæ, ipsâ gratiâ operante, non faciat?* Quæ est ipsissima ejusdem conceptus series, ut patet.

Nos porrò deficeret dies, si aliorum Patrum hac in re sensus explorare mens esset, qui in istos frequentiùs redeunt: at singularis mihi præ ceteris visa est *Gregorii* M. locutio, quæ in hac ipsa *Prosperi* ac *Fulgentii* dicta, quasi dato signo, concedit, easdemque utriusque particulas Pontificio obsignat oraculo Dial. lib. 1. c. 8. ubi hanc in specie quæstionem attingens habet: *Licet obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerint, ipsa tamen perennis regni prædestinatio ita est ab Omnipotente disposita*, UT AD HOC *Electi ex labore perveniant; quatenus postulando mereantur, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit ipse donare*, &c. Quæ certè ita sunt verborum cortice, sensuumque medullis consona, ut invicem intimè coëant ac converti possint. Quid enim discriminis interest: *si regni prædestinatio ita est dis-*

Uti è *Prospero* & *Fulgentio* eandem mutuatus est *Gregorius* M.

posita, UT AD HOC *Electi ex labore perveniant*: atque: si ipsimet AD HOC UT *operentur Electi sint*: & denique si: *gratia* AD HOC *nobis detur*, VT *vigilemus*.

At quid etiam istis majus censendum est, ne tot vadibus ac monumentis instaurata sententia ad incudem deinceps revocari possit. Atque adeò, ut jam demonstratum est, quorsum ea è *Prosperianis* fluentis ebibita, haud frustraneum erit ulterius inquirere, è cujus venis *Aquitanus* ipse tam salubrem aquam suos in sulcos derivarit, ut etiam ante retròque adinventis ac præstitutis illi repagulis & aggeribus nonnisi intra hos limites hæc ipsa cohiberi posse manifestetur. At & quas alias sitire stillas poterat hic *Noster*; præter eas, quas suus eidem propinaverat *Augustinus*? tales enim ad purum eructavit. Et jam quidem monuimus istos *de Vocatione* libros ad eorum amussin, quos *Prospero* nuncupaverat S. Doctor, artificiosè digestos; ut etiam, citra oblatam nunc occasionem, conveniens ac necessarium fuisset rem sensibus objicere. Ita autem solerter hoc suis inculcare Vocationis divinæ mysterium contendebat in prælaudatis tractatibus *Augustinus*, ut id semper fixum altè maneret ac inconcussum, quòd videlicet gratia non datur Electis, quia credunt, vel operantur, aut operaturi sunt, sed quia Electi sunt, UT credant & operentur, &c. Quæ & postquam per totum *de Prædest.* SS. librum identidem resumpsit ac constabilivit; tandem c. 17. hoc in primis ut ritè deductum corollarium conflat, & à Discipulis in omnium intelligentiam propagandam insinuat: *intelligamus ergò*, inquit, *Vocationem*, *quâ fiunt Electi, non qui eliguntur* quia crediderunt, sed qui eliguntur UT *credant*. Quem scopum & orationis contexturam adumbrare voluisse *Prosperum* satis perspicitur, dum in similibus extricandis laborans dixit: *Et frustra* &c. *cùm ad hoc operentur* UT *Electi sint*: quemadmodum utique isti ipsi eliguntur ut credant, quod ex *Augustinianis* placitis videtur omnium conjunctissimum & consequentissimum. Sed ne hæc citò laberentur, ea rursus retractat gratiæ Doctor in fine citati capitis, ubi subjicit: *rectè quippe in eis* HOC *eligere dicitur, quod* UT *in eis faciat eos elegit. Rogo quis audiat Dominum dicentem*: non vos me elegistis, sed ego elegi vos: *& audeat dicere credere homines*, UT *eligantur*, CUM *potius eligantur* UT *credant*.

Hanc ipsam ab *Augustino* suscepit *Prosper*.

Quòd si penitiùs juvat inspicere unde primitùs hæc doctrina prompta sit, citò declarat *Augustinus* eam ex Apostolicis fontibus haustam. Nam in sequenti cap. 18. totus est ut demon-

Et ab *Apostolo* tandem *Augustinus* prompsisse testatur.

ſtret ac palpandam objiciat iſtam Dei prælectionem. Quamobrem aſſumptâ tum autoritate epiſt. ad *Epheſ.* 1. 3. quam Autor *de Vocatione* in Magiſtri ſui greſſus ſemper intentus cap. 33. præcedenti, ad hunc ipſum finem, quod notabile eſt, adhibuerat: *Benedictus Deus .... qui elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem* VT eſſemus *Sancti ..... in quo etiam ſortem conſecuti ſumus; prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui univerſa operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, & ſimus in laudem gloriæ ejus*, &c. ita in eam continenter philoſophatur: *Quis, inquam, hæc audiat diligenter, & audeat de hac, quam defendimus, tam clara veritate dubitare*: elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem *membra ejus, & quomodo eligeret eos qui nondum erant, niſi prædeſtinando.* Tùm poſt aliquam multa, in quibus *Pelagiani* erroris verſipellem malitiam propalat, ac proterit, Apoſtolicâ tubâ denuò inflatâ, ſic tandem concludit: *non ergò quia futuri eramus Sancti, ſed* UT *eſſemus, nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt, ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe prædeſtinans*, U T *tales per gratiam ejus eſſemus.* &c. Alia præterimus his etiam fortiora, uti & alia plura ex præcedentibus *Auguſtini* tractatibus in hoc argumentum mirè conſpirantia. Et iſta ſolummodò Diſcipulo in re ſuggeſta ac nuncupata reducere cura fuit, ut clariùs demonſtraretur, quantùm ſibimet fuiſſet ipſe diſſimilis, ſi *Auguſtini* ſenſa hucuſque gradatim inſequens in libris *de Vocatione*, tùm autoritates omnes aſſumens & ubique ſcopum illius attingens, hoc ipſum quod *tam certum & tam manifeſtum* prædicabat Magiſter verſatiſſimus, de Vocatione, ante omne meritum, operaque, decretâ, ille ex adverſo in alterum ſubitò transformatus aut dubium, aut obſcurum reclamaſſet; cùm electionem ex meritis & operibus videtur ſuſpendere, eamque utriſque ſupponere: ſi nempe *Electi ad hoc operentur, ut Electi ſint.* Quæ ſi cum *Auguſtino* coire non poſſunt, nec cum ipſo integro periodi tenore ritè cohærere, quæ ſic incipiens: *Deus ergò quos elegit ſine meritis, dat unde ornentur & meritis*, ubi totus viget *Auguſtini* ſenſus; non poteſt connaturaliter niſi in iſtum conſequentem reſolvi: *Et fruſtra dicitur quòd ratio operandi non ſit Electis*, CUM *etiam* AD HOC UT *operentur Electi ſint*: in quibus adhuc conſequitur, ac reviviſcit gratiæ Doctor.

Quòd ſi ex SS. *Auguſtino*, *Fulgentio*, *Gregorio* ipſoque ſeu in propriâ, ſeu ſub *Anonymi* perſona diſſerente *Proſpero*, hanc iſtius ſententiam primigenium ad ſenſum ſuum reſtituere planum fuit, non continuò tamen altera licet mendoſa le-

ctio *Semipelagiana* reputanda erat; ut nec talem reputavere *Vossius*, *Norisius*, & alii plures, qui hanc quidem non *examussim quadrare* sententiæ *Prosperi*, aut *mollis* esse *Augustiniani*, quod & verissimum est, rectè solummodò censuerunt. At quemadmodum isti ab ulteriori in eam criminatione sibi temperarunt, quippequæ, etsi electionem ad gloriam ex meritis suspendat, electionem tamen ad gratiam, sine meritis adstruit, & alibi ejus autor eodem teste *Norisio* Semipelagianismum *suffocat, dum probat*, inquit, *fidem & perseverantiam esse dona Dei*, etsi juxta eundem, *scientiam* quandam *proposito præviam non semel ponere videatur*: quemadmodum, inquam, ista illibata visa sunt, etsi non omni ex parte *Prosperiana*: ita nec nisi reprobatâ *ponderis ac ponderis* exhibitione illi traduci possunt Theologi, qui cùm non alia prorsus doceant, atque defendant, nec Dei præscientiâ, juxta generales *Semipelagianorum* hypotheses nuspiam complendas, abutantur, aut omni censuræ subduci debent, aut ipsum, quod absit, in S. Ecclesiam pessimum regeri præjudicium. Cujus è contra in sinu quandiù hæc impunè doctrina ventilabitur, tandiù, etiam citra errorem, erronea dici non poterit: licet hæc ad *Prosperi* mentem tam parùm idonea sit adæquatè reduci, quàm fuerat illa nostra vulgata, ante lectionis restitutionem, sententia. Igitur ut ista etiam sic interversa, & incomposita ab errore & calumniis rectè vindicabatur, nil mirum si concinens illi doctrina rectè iterùm ab his probris vindicatur, per domesticos, qui eam in medium adduxisse feruntur Theologos, aliosque æquos æstimatores, cùm etiam extranei, Sholæ scilicet *Thomisticæ* professores, qui eam inter innocuos licæi agones, quasi ex condicto, de medio tollere collaborant, dummodò pariter æquanimes & studiis partium non abrepti, à reatû prorsus absolvant. Nam & qui eorum agmen claudit jam citatus *Nat. Alexander* in ista sic prudenter, juxtaque liberè pronuntiat: *illam quidem sententiam ex* S. Augustini *doctrina non operosè refelli existimo; ipsam sentio à veritate alienam, sed quæ tamen, salva Religione, in utramque partem impunè ventilari possit.*

Hist. Pel. l. 2. c. 14.

tom. 10. c. 3. art. 8.

XXII. Quantùm *Augustini* sensis inhæserit *Aquitanus.*

Sed ut ad nostra redeamus, à quibus nos æqui studium tantillùm divertit, singularis videri non debet *Anonymi Prosperi*, cum suo *Augustino* conspiratus; innumera enim alia istius concordiæ & imitationis occurrent utriusque libros memoratos terentibus argumenta, nec plura sunt Scripturæ testimonia ab uno usurpata, quæ ab altero deinceps resumpta non perhibeantur. Quorum in promptiorem & illustriorem confirmatio-

nem insigne repetendum est, quod prima Dissert. de eo persecuti sumus argumentum, ubi octavum Capitulorum *de gratia*, & consequenter c. 12. lib. 1. *de Vocatione* ad purum expressa repræsentavimus è c. 23. *de Dono Perseverantiæ*. In hoc itaque bipertito opere in *Augustinum* in simili tractatu differentem, quasi in ductorem, doctoremque irrefragabilem totus semper, quantus est, conversus est P*rosper*. Imò & quod mirabile, eò magis etiam tum conversus, quantò ab illo, prima fronte, magis quandoque recedere videtur. Unde & ex istis quid præcipuum in res nostras colligi posse putamus, quibus quasi per rimulas introspicere dabitur, quamobrem larvatus Scriptor eò usque *Augustinianus*, ut in re totum P*rosperum* exprimat, aliquas tamen umbratiles species induere contenderit, quarum externo fulgore perculsi suaserunt sibi non mediocres Theologi, eum *quid medium* inter *Augustini* & *Massiliensium* doctrinam stabilisse; & illos inter non postremus *Norisius*, quod jam notavimus, postremò dixit eum *mollem Augustinianum* esse censendum: quamvis eodem judice, *Semipelagianismum* suffocarit c. 8. & 9. lib. 1. dum probat, inquit, *fidem & perseverantiam esse dona Dei*. Quo certè semel exantlato, non satis intelligitur, quorsum *mollis* deinceps *Augustinianus* videri possit; cùm admissis ad *Augustini* mentem capitalibus illis dogmatibus, & his, aliisque pluribus magno animo & insuperabili doctrinarum autoritate ad ejus miram repræsentationem solidatis ac propugnatis, reliqua vix pro minimis haberi debeant. Et talia profectò hæc ibidem manifestata essent, si propiùs spectata fuisset scribentis intentio, qui sub ignoti persona certare cupiens aliquâ se debuit specie transformare, quæ, primo saltem intuitû, semetipsum non proderet. Cur enim alioquin nomen suum tam studiosè occultasset? Sed hâc cautelâ, quasi velo obductus, catholicissimoque sensu, simul ac *Augustinianissimo* primùm semel egesto, nonnisi posthac, aut verbis, aut quàm levissimis locutionibus variare potuit. Quæ quandoquidem ad eum omnimodis internoscendum summopere conducunt, aliqua cursim annotata consignare non pigebit, quæ vel ab aliis præterita, vel illiberaliùs tradita fuerunt.

XXIII. Ejusdem in tradenda Prædestinationis doctrina relectiones, mirabilemque methodum sedulò inculcat.

Et quidem factum desumimus ex Prædestinationis argumento, quam licet omnem ad *Augustini* sensus explicet autor *de Vocatione*, nunquam tamen P*rædestinationis* nuncupationem adhibet; & sub præscientiæ nomine omnia ejus arcana dilucidat: Unde aliis hæc minùs intentè librantibus propositum quando-

que præscientiæ subjicere visus fuerat, quod sincerissimo ejus intellectui repugnat in totum. Cur tamen ita *Prosper* in libris illis procederet & ab hac *Prædestinationis* voce in sermone abstineret; causam & mysterium à nullo potiùs, quàm ex eo, cujus ex ore pendebat, explorare fas nobis est. Rem itaque paucis ecce: namque cùm ad gratiæ doctorem scribens cum *Hilario*, noster *Aquitanus* jam quasi palmare, & nimis durum ex *Massiliensium* parte pluribus intimasset: *sub hoc* PRÆDESTINATIONIS *nomine* FATALEM *quandam* NECESSITATEM *induci*, &c. insuperque illud fusiùs edoceri deprecatus esset: *qualiter diluatur, quod retractatis priorum, hâc de re, opinionibus, penè omnium par invenitur & una sententia, quòd propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt:* cum his, inquam, à Magistro suo, prolixiori tractatû, imbui petiisset *Aquitanus*, referendum expendendumque erit, quid ad hæc duo præsertim reposuerit S. Doctor? unde postea ritè conferre promptum habebitur, si ejus postea vocem, sensaque ex integro reddiderit studiosus auditor. Quòd ad primum itaque de prædestinatione *in fatalem necessitatem* diffamatâ quæsitum, ejus mysteria, ut pluribus effusissimâ sobrietate reseravit & constabilivit Hipponensis, ejus prædicandæ exquisitam & mirabili prudentiâ conditam methodum cap. 22. *de Dono Persev.* sic edocet: *Nimiæ contentionis est prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare. Quæ tamen non ita populis prædicanda est, ut apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodo ipsâ sui prædicatione videatur. . . . . sicut redargui videtur & præscientia Dei (quàm certè negare non possunt) si dicatur hominibus: sive curratis sive dormiatis, quòd vos præscivit, qui falli non potest, hoc eritis.* (Quod quandoque *Semipelagiani* ad invidiam in *Augustinum* & discipulos excitandam, conflabant.) *Dolosi autem*, sic continenter pergit, *vel imperiti medici est, utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit. Sed dicendum est:* sic currite ut comprehendatis, *atque ut ipso cursu vestro, ita vos esse præcogniots noveritis, ut legitimè curreretis.* ET SI QUO ALIO MODO *Dei præscientia prædicari potest, ut segnitia repellatur.* Tùm pergit S. Doctor & multas in edocenda prædestinatione locutionum temperaturas singillatim persequitur, à verbi Dei dispensatoribus diligenter adhibendas. Unde & posthac similia enucleatiùs recensens, addit: *sed si & de iis qui non perseverant aliquid placet dicere, vel necesse est, cur non potiùs ita saltem dicitur, ut paullò ante à me dictum est: primùm ut*

Quænam illa fuerint? & quàm suavis ac prudens?

non de ipsis qui in populo audiunt hoc dicatur, sed de aliis ad ipsos, id est, ut non dicatur: si qui obeditis, si prædestinati estis reiiciendi; sed si qui obediunt, & cetera per verbi personam TERTIAM, *non per* SECUNDAM *dicatur. Res enim non optabilis, sed* ABOMINABILIS *dicitur, &* DURISSIME, *atque* ODIOSISSIME *quasi in audientium frontem compellendo colliditur, quando quis eis, quibus loquitur dicit: Et si qui estis qui obeditis*, &c. Et post aliqua: *illum etiam* MODUM, *quo utendum esse in prædestinationis prædicatione nos diximus loquenti ad populum, non existimo debere* SUFFICERE, *nisi* HOC, *vel* HUJUSMODI *aliquid* ADDAT, *ut dicat: vos itaque ipsam obediendi perseverantiam à Patre luminum, à quo descendit..... sperare debetis*, &c.

Hæc & alia plura toto hoc capite & alibi S. Doctor congerit, digeritve, ut hoc inscrutabile mysterium, quâ par est cautelâ prædicandum inculcet. In quibus sanè omnibus, nulli non videre videbitur quasi matrem pientissimam, quæ nucleum durum profectò, non quassare duntaxat, sed mandere priùs, quàm filiis teneris, & fortioris cibi rudibus in escam porrigat. Quâ enim curâ, quâ caritate, quâ solertiâ, quâ æquissimâ judicii lance omnia hæc librat? voces examinat: verba selecta colligat: formulas expendit: particulas versat, reversatque: alias repudiat: has præponit. Hinc ad grammaticalia magis delapsus, præ secunda, in allocutione, persona, tertiam interpellari debere commendat. Sed nec his tamen satis causæ publicæ prospexisse sibi visus, ne quid uspiam offendat simplices: ne quid lædat invalidos: ne quid exacerbet alienos, nova tandem additamenta, novasque clausulas excogitat, atque HOC, *aut* HUJUSMODI ALIQUID *à loquente ad populum* subjungendum esse pronuntiat. En sinceri peritique medici cautelam optimam! en veri fratrum amatoris methodum omnium prudentissimam? in quam si æqualiter omnes intenderint, qui se variis temporibus *Augustini* discipulos professi sunt? alii judicent. Nos *Prosperum* hujus consilii servantissimum indicare solummodò curavimus, adeòque & ipsummet ad Magistri sui scopum & sensa magis ac magis intentum atque conversum, quando ab eodem in verborum cortice dissonare interdùm notatur. Nunc ad alia delabimur.

XXIV. Responsio *August.* ad quæsitum *Prosperi*, circa prædestinat. & propositū.

Altera siquidem quæstio quam movet *Prosper*, ut monueramus, hæc est: *cur priores penè omnes tractatores propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperint?* Ad quæ fusiùs etiam respondet *Augustinus* cap. 18. & 19. citati libri *de Persev.* ubi

ubi demonstrat interdùm in Scripturis prædestinationem nomine præscientiæ significatam, hanc tractatoribus occasionem jure præbere potuisse. *Vnde*, inquit, *aliquando* EADEM PRÆDESTINATIO *significatur, etiam nomine* PRÆSCIENTIÆ, *sicut ait Apostolus: non repulit Deus plebem suam quam præscivit. Hoc quod ait*, præscivit, *non rectè intelligitur, nisi prædestinavit, quod circumstantia ipsius locutionis ostendit*, &c. Inde pressiùs ad *Aquitani* inquisitionem: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores, legimus* DEI PRÆSCIENTIAM, *& agitur de vocatione electorum*, EANDEM PRÆDESTINATIONEM *intelligere? Magis autem fortasse voluerunt hoc* VERBO *in ea re uti, quod* & FACILIUS *intelligitur*, & NON REPUGNAT, *imò &* CONGRUIT VERITATI, *quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur. Hoc scio neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Quo postremo membro breviter & modestè conficit S. Præsul, quidquid opponebatur de contrariæ vetustate sententiæ, à pluribus tractatoribus, & à se ipso olim explicatæ, quæ propositum præscientiæ subjiciebat, seu, ut ait *Prosper*, *secundùm præscientiam* recipiebat: in quod non pauca venirent annotanda.

At quidquid de ea vetustate fuerit, tunc adeò variè jactatâ vel repulsâ, non tamen Yprensis præsulis opinationem ferendam esse putamus, quâ cap. 17. lib. 7. *de Hær. Pelag.* putat ipsum *Prosperum* huic vetustatis errori adhæsisse, & ex citatis illius epistolæ verbis, *ex propria sententiâ* loqui videri, &c. Id enim ne censeamus, prohibent nos expressiora *Prosperi* verba, quibus ante significaverat, se ab hoc sensu longissimè recedere, eumque totis viribus impugnare, mirum ut sit, quorsum in re tam clara caligarit citatus autor. Ita enim supra, mentem suam *Noster* aperuerat: *in istam vero talis gratiæ* (gratuitæ) *prædicationem*, HI, QUORUM CONTRADICTIONE *offendimur, cùm prius meliora sentirent, ideo se vel maximè contulerunt, qui si profiterentur & ab ea omnia merita præveniri, & ab ipsa, ut possint esse donari, necessitate concederent Deum secundum propositum & consilium* VOLUNTATIS *suæ, occulto judicio, & opere manifesto, aliud vas condere in honorem*, &c. *sed* REFUGIUNT ISTUD *fateri, divinoque adscribere operi SS. merita formidant, nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse, nec minui.* Quibus nihil clarius validiusque exprimere poterat Prosper, ut ostenderet quàm contradictoribus suis in hoc contradiceret; quod

Ex aliorum sententiâ, non ex sua, heic loquitur *Prosper*:

vel ipsomet teste:

etiam explicatissimè testatur in epistola ad *Ruffinum* huic verosimiliùs anteriori: rursus enim sic protestatur: *Non alii venient in consortium hæreditatis Christi, quàm qui ante constitutionem mundi electi sunt & prædestinati, atque præsciti, secundùm* PROPOSITUM *ejus, qui omnia operatur secundùm consilium* VOLUNTATIS *suæ.* Quæ itaque sub prioris epistolæ finem exposuit *Augustino Prosper*, de hac priorum tractatorum sententia, non quasi in istam propendens, tantùm abest ut in ipsa remanserit, eruditionem requirit: sed id rescire tantùm avet, quomodò aptè & invincibiliter responderi possit, seu, ut ait ipse, *qualiter diluatur, quod de priorum retractatis opinionibus* opponebatur? Ad quæ S. Doctor prolixiorem inquisitionem minùs necessariam tum fore credens breviter replicat: *se unum scire, neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas defendit, nisi errando disputare potuisse.* Et certè si talia *Prosperum* in contrarium sentire, vel dubitare subolfecisset, quàm hæc enucleatiùs expendere procurasset? Sed & quàm longè ab his sepositas, oppositasque Discipuli partes persuasus esset Magister quæsitorum sincerior interpres, digito palpandum exhibent istius verba, postremis ex eo relatis continenter annexa: *Puto tamen*, inquit *Augustinus*, EIS QUI DE HAC RE *sententias* TRACTATORUM *requirunt*, *sanctos & in fide atque doctrina Christiana laudabiliter usquequaque diffamatos viros* Cyprianum *&* Ambrosium *debere sufficere*, &c. Ergò ex claro exploratoque *Augustini* judicio, nil erat *Aquitano* commune cum *eis qui de hac re*, seu vetustatis colore figuratâ sententiâ tractatores requirebant: & jam ille totum penitùs, ejus, ad quem se direxit, spiritum ebiberat, idque solum explorare superest, utrum illum ipsum libris in quæstione positis instillarit.

Nec non *Augustino*.

XXV. Ejusdem gratiæ Doctoris sensuum & consiliorum retinentissimus *Prosper* in *Anonymo* tractatu *de Vocat.*

Quod ita omnino præstitisse deprehendimus, uti enim iste à peritissimo præceptore didicerat *prædestinationis* doctrinam non eâ acerbitate, quâ illam deprædicabant *Massilienses* populis annuntiandam esse, sed eam his temperamentis & quæsitis locutionibus emolliendam, ne in *fatalem necessitatem* verteretur, ita solerter præcavit monitus, ne pacis tandem sequestrum agens in hanc offensionis petram illideret. Quàm itaque ad *Augustini* præscriptum eodem cap. 22. totus est in prædestinatione & verâ Dei gratiâ non secundùm merita prædicanda, tam intentum se præbet, ne in his labatur, quæ eandem prædestinationis doctrinam calumniarum, vel obtrectationum discrimini committere poterant; id altè ex citato loco retinens:

quid verissimum dici posse, ita sanè, sed IMPORTUNISSIMUM, INCONGRUENTISSIMUM, *non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito.* Quæ verba idoneè assumit alibi ad *Genuensium dubia* respondens, sed consilium ipsum pleniùs heic exequitur, ut utriusque libri proëmio & in toto decursu pluribus explicat: adeo ut minùs mirum posthàc videri deberet, si positis in utroque jam memorato prologo & alibi sparsim, regulis suis, atque repagulis ex omni parte Catholicis & *Augustini* menti examussin consonis, ad alia quædam emollimenta propendere, ne dicam delabi visus esset; quæ homines his disputationibus non immixtos, populosque quibus etiam hæc destinabatur doctrina, per legitimos dispensatores forsàn deinceps explicanda, pristinis & in dies recrudescentibus controversiis vehementer abalienatos, in viam revocare & dociliores reddere potuissent. Quas præcipuas *periti medici* partes esse cùm jam inculcasset Hipponensis, & *Noster* idipsum summis studiis & gratulationibus excepisset: quid congruentius & connaturalius æstimari potest, quàm ut idem ille, qui olim doctorum hominum aperta dogmata & hostiles criminationes, apertis itidem veritatibus invitus refellere nuper coactus fuerat, ita deinceps hâc necessitate feliciter expeditus, & quasi pacifici arbitri personam interdùm sustinens, aliis etiam ab hac lite remotis, nec invaletudine affectis, eo tandem modo cautelæ remedium *alligaret, ut non obesset*, sed magis *prodesset.* Quâ certè fortunâ beatus est tractatus iste ad *Augustini* regulas sic mirabiliter exactus.

Sed & hæc prorsus causa fuit, cur *Prosper*, qui à Doctore suo immediatè didicerat prædestinationem etiam *nomine præscientiæ* significari, & aliquos verbi Dei tractatores *hoc verbo in ea re uti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imò &* CONGRUIT VERITATI, &c. causa, inquam, hæc fuit, cur ille inde occasionem nactus est, sub hoc *præscientiæ* verbo, reconditiorem prædestinationis doctrinam eleganter explanandi; sed ita tamen accuratè, ut ab ejus, à quo methodum illam exceperat, sensibus conceptibusque nunquam discedat, in idque, aut perinde valens omnes illius modulatæ periodi, & affectatæ quandoque circuitiones æquè redeant, vel: *ut nullo excidente de plenitudine promissorum; qui nec provectû erat fallendus, nec auxilio defuturus eos glorificaret præ omnibus,* QUOS ELEGIT EX OMNIBUS, &c. quod ex cap. 29. eruimus, ubi hæc fusiùs: vel ut alibi cap. 33. *De plenitudine quippe membrorum corporis Chri-*

Maximè circa prædestinationis explicationem.

sti PRÆSCIENTIA DEI *quæ falli non potest* NIHIL PERDIT, *& nullo detrimento minui potest* SUMMA PRÆCOGNITA, *atque in Christo ante sæcula æterna prælecta*. Ita hæc vel alia passim, quæ copiosiùs in tabulis sequentibus exhibebimus, juxta eas prorsus regulas, & intra eos limites de quibus initio præfatus erat *Aquitanus* noster; & ut ea omnia doctissimus Magister cujus mentem toto illo opere consequi curat, stabilierat & extricarat. Sed hæc otiosius, quàm fert heic occasio, explorare conduceret, nam & alia etiam fortassis internoscerentur, quæ judicium nostrum fundatissimum esse magis persuaderent.

XXVI. *Prosperi* non secus ac *Augustini* animus ad retractandas vel castigandas, objectû meliorum, opiniones proclivis ac comparatus.

Sufficiunt autem in rem nostram hæc pauca, si ex his, quod clarum est, satis perspicitur, in quibus sistant, & quo casu fineque excogitatæ sint illæ inter utraque scripta discrepantiæ, umbratiles profectò, & solo verborum sonitû discordes: quæ etiamsi sensu aliquatenus discederent, ex his aliisque rursus sustinendæ & idoneis explicationibus, illæso *Prosperi* jure, resolvi possent. Namque si *Augustinum* in similibus cespitasse & in fine Episcopatus specialiter retractasse, quæ initio de Divina præscientia docuerat, vel ipsomet teste, fatendum sit: quid mirum si *Noster* iste non minùs tanti Viri doctrinæ, quàm virtutum studiosus cultor paullò aliter de tam variis & admirandis gratiæ operationibus, Magistro etiam suo non æqualiter certis, aut exploratis, scripsisset in postremo *de Vocatione Gentium* tractatû, quàm in prioribus senserat. Certè tam commendabili consummati Doctoris exemplo, tam sincerè paratum ad hanc retractationem animum profitetur humilis Discipulus, dum ad tria priora *Genuensium dubia* reponens, hæc ex ejus occasione retractationis adjungit: *Quæ igitur ratio est, ut hanc viri hujus professionem non approbemus, quâ* NOS *ad* CASTIGANDAS OPINIONES NOSTRAS, *si in quas fortè imprudenter incidamus*, EXEMPLO *suæ correctionis instituit.* Quem si plures diligentiùs expendissent sancti Pugilis affectum, haud scio an procliviores fuissent ad componendas etiam, hâc viâ, compugnantias illas, quas in postremis ejus operibus deprehendisse sibi visi fuerant. Unde & illa istheic proposita de discretione parvulorum objectio cap. 20. lib. 2. quam ex aliorum potiùs, quàm suomet judicio diluere molitur Autor, cap. 23. ubi hæc habet: *Et cum quærimus quomodo omnes homines salvare velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces? Non irreligiosè arbitror credi, nec incon-*

Quid ex isto affectu colligi potest circa quæstionem ex discretione parvulor. ab eodem *Anonymo* tractatam.

venienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertinent gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus: quâ utique si benè eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Hæc, inquam, objectio, seu ejus consectarium certâ vel incertâ responsione depulsum, in qua tamen nil *irreligiosum* duntaxat, vel *inconveniens* reperiri fidem præstat, quæque in determinato facto, prævìis aliis responsis omni ex parte *Prosperianis* subjungitur; ex hoc etiam testatissimo sinceri Disceptatoris studio, cùm memorata exceptione facilè componi deberet. Quid enim conceptû facilius, quàm ut humanum ingenium in abstrusissimæ quæstionis examine diù anceps perplexumque, & jam explicatâ mentis suæ, in ea quæ rationabilia videret, propensione, *Augustinum* suum in hoc consequens vacillarit & paullò diversè senserit in decursu, quàm initio, præsignificaverat?

Sed nec quid tam novum præfert hæc exceptio, ac aliquorum existimatio judicat, namque non heic mota est quæstio, an ex pravis parentum factis, parvuli percipiendæ regenerationis gratiæ mercede fraudentur, quod centies negat cum *Augustino*, *Prosper* heic & alibi, ut patet: quia inde ad gratiam *secundùm merita* statuendam parabatur aditus: Sed in id se extendit inquisitio, utrum parentum culpa sit, quòd infantes generalibus Creatoris beneficiis non participent? ut rectè id distinguit *Quesnellus*. At hunc nodum sic dissolvere, ex aliorum judicio curat, ut, cùm ex assumpti *de omnium Gentium Vocatione* thematis ratione, generalem communemque itidem omnibus gratiam probare & pluribus stabilire meritò duxerit; non *irreligiosum*, nec *inconveniens* inde conjiciat, si credatur infantes *ad illam pertinere gratiæ generalitatem*, vel *partem*, ut ait ipse, *quæ semper universis est impensa nationibus*, &c. At si cum ejusdem gratiæ parte, ad alia etiam potiora auxilia obtinenda homines illi eniti debeant, qui tamen à superna luce in tenebras obcæcante superbiâ, relabuntur, seu ut habetur ipso c. 23. si: *circa majores, præter illam generalem gratiam* PARCIUS *atque occultiùs omnium hominum corda pulsantem*, EXCELLENTIORE OPERE, LARGIORE MUNERE, POTENTIORE VIRTUTE, VOCATIO SPECIALIS *exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos* EADEM *manifestatur* ELECTIO. Si, inquam, quid *excellentius*, quid *largius*, quid *potentius* implorandum sit, ut hæc *exeratur specialis vocatio*, & intra ipsa arcana, eadem parvulorum concludatur electio, æquè perinde in

XXVII. Varius qui videtur à *Prospero* sensûs *Anonymi*, aut ei proprius non est, aut in *Prosperianum* redit.

utrisque, ad priora, media, postremaque Autoris principia recurrere necessitas instat; quæ eò indesinenter recidunt, ut *impenetrabilis* censeatur hujus mysterii *profunditas*. Id altè inculcare curavit c. 1. lib. 2. ubi pro tertia regula statuit: *confitendum altitudinem judiciorum Dei humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse, & cur non omnes homines salvet, qui omnes homines vult salvos fieri, non oportere disquiri*, &c. Sed idipsum in specie magis determinaverat cap. 22. lib. 1. ubi expressè hæc leguntur: *frustra*, inquit, *profunditatem inscrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conantur aperire, qui causam electionis in eorum constituunt meritis, qui eliguntur: & cùm multa ..... falsa protulerint*, in PARVULORUM *tamen* DISCRETIONE DEFICIUNT, &c. unde & supra dixerat: NIHIL *potest expositionis afferri*, QUA DOCEATUR, *cur* ISTI SALVI FIANT RENATI, ALII PEREANT NON RENATI, &c. At hanc quam non habebat ad manum expositionem, hoc libro primo, imò nec *afferri posse* contestatus fuerat *Anonymus*, eam postea, paucis exactis capitulis, reperisse quis censeret? ut perinde cumulatè probatum habeatur, quæstionis alîus partem in sequentis libri serie fuisse propositam, cujus & omnes recessus postquam rimatus est, eam potiùs aliorum judicio permittit Autor, quàm suo illam determinare præsumit.

Inter indubios *Aquitani* tractatus contrarietates in specie haud infrequentes.

Hæc itaque tam jactata sensuum *Anonymi* cum *Prospero* in hoc quæstionis recremento, aut nulla, aut rursùs umbratilis est dissonantia: & fallor ego vehementer, si similes, aut fortè majores sensuum etiam apparentes pugnæ inter indubitata *Aquitani* opera eorum intentum lectorem fugient. Una mihi omnium vice petita sit, ex ea quam ad *Augustinum* scribens quærimonia exponit de *Massiliensibus*, qui contendebant: *omnes homines ad salutis donum universaliter vocari, sive per* NATURALEM, *sive per* SCRIPTAM LEGEM, *sive per* EVANGELICAM PRÆDICATIONEM: in quibus plurimùm versantur libri *de Vocatione* Semipelagianum dogma, primo saltem intuitû, satis in his tolerare visi. Quod tamen à *Prosperi* mente licet tam longè appareat; hoc ipsum eo modo, eademque ratione admisisse jam notavimus, quibus id recipiunt memorati libri: ut cùm ad objectionem 8. *Gallor.* respondens ait: *Omnium ergò hominum cura est Deo, & nemo est quem non, aut* EVANGELICA PRÆDICATIO, *aut* LEGIS TESTIFICATIO, *aut ipsa etiam* NATURA *conveniat.* Quæ certè è diametro opponi videntur his, quæ supra in *Semipelagianis* accusaverat,

non secus ac alia omnia quæ ex *Prosperianis* scriptis prosa metroque digestis, & in hunc omnino sensum abeuntibus ibidem accumulata sunt. Sanè nisi ea toties inculcasset *Prosper*, quis non perspicit inde arreptam occasionem latum illud discrimen & apertam discrepantiam statuendi, quam inter utraque scripta excogitarunt, qui diversa putant? At hæc cordati lectoris judicium summoperè deinceps inhibere debent, circa ea in quibus autor *Anonymus*, & secum, & cum *Prospero*) cum quo idem omninò est) quandoque pugnare videbitur. Quæ certè omnia cum præcedentibus & consequentibus collata, & enucleata eundem omninò sensum semper efficient. Sed alia forsan his similia in decursu notabimus.

XXVIII. Quæ postremùm *Aquitani* juribus adversari causa ut *P. Quesnellus*,

His porrò subscribit utraque manu *Quesnellus*, at quasi indè majora veritatis robur expressum ire prævideret, quàm quæ *Prosperi* juribus convellendis opportuna essent, antea contenderat jurium illorum elucidationi, quæ facilè subsecutura erat, petitam ex ratione temporis difficultatem opponere, & pluribus, ut solet, exaggerare. Ita enim n. 13. ratiocinium suum instituit: *Cùm*, inquit, *certum sit, scriptum opusculum fuiße aliquandiù ante* Gelasii *Papæ tempora, vix tamen unum aliquod temporis spatium aßignare poßis, quod* Prospero *conveniat. Si statim ab initio concertationum, vel paullò post eas exortas, exaratum velis, jam ipsum Autorem in sui libri exordio contradicentem habes, qui jamdudum de his quæstionibus controversum fuisse disertè asserit: inter defensores liberi arbitrii & prædicatores gratiæ Dei magna & difficilis dudùm vertitur quæstio.* Quod etsi non negemus ita factum, non tamen ex his præcipuè verbis id colligendum esse censemus, hæ siquidem voces: *dudùm, diù, pridem, nuper, olim*, aliæque his similes, respectivè ad alia potissimùm dicuntur, & intelligi debent: unde idem ad diversa relatum, diutinum & breve, antiquum & recens dicetur, quod etsi frequens est, non infrequenter tamen id monere juvat. Sed quidquid illud sit, si post *dudùm* exortas controversias illas Autorem opus suum publico donasse constat, jam alium à *Prospero* fuisse consequens necessariò putat *Quesnellus. Hic enim*, inquit ibidem, *statim atque Pelagiani veneni reliquiæ spargi cœpere stylum ocyùs arripuit, acuitque.... contra vero Autor librorum* de Vocatione, *inquit hanc esse primam de hac materia lucubrationem, & quidem, dudùm post motas quæstiones elaboratam*: De hac igitur compugnantiâ opinionum, (hæc ante dictis subjungit) quâ mensurâ & temperantiâ sentiendum sit, quantum Dominus adjuverit, annitar inquirere, «

ex *Anonymi* verbis:

„ exercens atque discutiens modulum facultatis meæ, in his „ quæ cordi meo sobriè, quantùm arbitror, inhæserunt. E quibus *Vir doctus*, sic omnino concludit: *En verba post longam opinionum istarum concertationem scribentis, primam in hoc scripto operam ponentis, primumque conatum, hominisque magis inquirentis, se se exercentis, remque studio proprio discutientis, quam confidenter ex Patrum doctrina asserentis, propugnantisque ex autoritate Sedis Apostolicæ.* Imò *timide admodum, ac dubitanter scribit.* Hactenus *Viri docti* censura.

eluuntur & *Prospero* ex omni parte consentanea demonstrantur.

Sed ex ea si expungatur: quòd librorum *de Vocatione* Autor *timidè* admodum *ac dubitanter* scripserit, cùm ex adverso potiùs artis occultatione, summum artificium, huicque parem peritiam, & quoddam magisterium in omnibus penè operis paginis prodiderit; ecce, quantùm assequor, in his aliisque proëmii memorati locutionibus, verus *Prosperi* genius, germanus stylus, genuinusque character, ab ipso incunctanter assumpti, nec ab alio in his rerum circunstantiis assumendi: quod ex cunctis penè, quæ mox consequentur, fiet evidentissimum. Namque ex jam notatis in prima Dissertatione nostrâ, claro clarius demonstratum esse credimus, pro *Aquitano* nostro deinceps agnoscendo, nil minùs uspiam quid requiri, quàm *Legati Apostolici* personam, vel *Apostolicæ Sedis* ad scribendum autoritatem, quâ in nullis, unâ demptâ, lucubrationibus usum fuisse planè convicimus; quo fit etiam, ut ex obliteratis penitùs in hac postrema opera delegationis Apostolicæ vestigiis, ad secernendum *Prosperum* lucem affusum iri non dubitemus. Sed ut ad proëmii verborum corticem regrediamur, etsi *Prosper* hoc primum operum suorum specimen esse paullò clariùs innuisset, id tamen ab eo, salvâ veritate, pronunciatum infitiari nemo posset; cùm expressiora etiam verba eam idonèe interpretationem sustinere potuissent, ut Autor novâ methodo, viâque hactenus intentatâ (quod in *Aquitani* persona verissimum erat) annisus sit *inquirere & modulum facultatis exercere*, in his, quæ super dudùm exortâ quæstione *cordi* suo *sobriè inhæserant*. Hæc enim profectò *Anonymi*, & probatissimâ aliquâ ratione, se se occultantis genio in primis congruerent: & hâc planâ & naturali explicatione, nihil earum expositionum venandum foret, quas *Augustinus* aliique SS. Doctores, Patriarcharum dictis, responsisque, imò & Christi Domini, in ambiguitates quandoque vergentibus, magno judicii acumine & veritatis compendio, apparant. Quæ tamen haud scio an heic adhibendæ

adhibendæ essent similes solutiones, si tot tantisque præjudiciis *Prosperum* ita digito monstrantibus, explicatiores suppositis loquendi formulæ alium significare prodereque viderentur. Neque dubium esset quin Christi caritas, quæ viros Catholicos, fideique præcipuos zelatores (qualis in paucis hauddubiè erat *Prosper*) semper vehementiùs urget, has elocutiones elicere potuisset, quæ, ut ait *Augustinus*, & ex eo defendunt Theologi, *verum tacendo, falsum non dicerent*. Hæc eadem certè quæ Apostolum omnibus omnia fieri erudierat, ut omnes faceret salvos, potuisset etiam in tam imminenti periculo, medicum peritissimum & fraternæ sospitatis studiosissimum hunc *Nostrum* stimulare, ut ad mortem ægrotantibus, eodem medicamine quidem, sed aliena sub forma & externo apparatu emendicato, opitulari festinaret, quibus sub proprio impensa cura in cassum redierat: ne saltem *in* ejus *scientia periret frater, propter quem Christus mortuus* erat, ut alia ex occasione ait 2. *Cor.* 8. S. *Paulus*; qui & ad *Hebræos* scribens, non absimili prorsus exemplo, præluserat, dùm *propter invidiam sui apud eos nominis titulum in principio amputavit*, ut notat *Hieronymus* de Scriptorib Eccles.

Sed hæc quæ in alia etiam hypothesi legitimè assumi possent, in hac pro superfluis haberi debent. Quid enim aliud Autor præcisè significat, quàm se ex occasione *dudùm* agitatæ quæstionis, id cepisse consilii, *anniti inquirere, & modulum facultatis exercere*, in his quæ de ea *cordi suo sobriè inhæserant*? At nunquid hæc, non dissimulatæ vel tantillum veritatis, sed præteritæ, tempestivè admodum, peritiæ modesta locutio, patulis, si vacaret, omnis ætatis ac præcipuè ducis ac Magistri *Augustini* exemplis firmanda ex omnium calculo censeri debet? Imò nec aliter uspiam loquuntur tum recentes tum veteres Scriptores, cùm Literatos suis in præfationibus primò conveniunt: in quibus tantò majora proferuntur pudoris ac moderationis specimina, quantò doctiores & exercitatiores illi sunt, qui librorum suorum ideas & argumenta coram persequuntur. Quod minùs etiam *P. Quesnello* videri debuerat insolens, cujus prologo cùm nil sit verecundius atque demissius, cùm præcipuè pro suo *veritatis aperiendæ studio, ab ea sæpè aberrasse vereri se meritò* ait, haud tamen in operæ decursu vix timorem istum ullibi profert: quin & quando *de Vocatione Gentium* libros suo *Leoni* asserit, confidenter præstat, *nihil esse, quo possit opinio sua concuti.*

Sic ergo, sed ad rem pressiùs, autor *de Vocatione* reverenter exponit se *modulum facultatis suæ* EXERCERE velle, & nihilosecius in progressu viriliter gladium stringit, & ubique exquisiti magisterii sui illustria argumenta diffundit: Ita & ipsemet his assuetus formulis jam dixerat in *Epigrammatum* præfatione: *Divinis mentem juvat* EXERCERE *loquelis*, atque: *nec nostrum hoc opus est, sed ab illo sumitur hic ros, qui siccam rupem fundere jussit aquas*, &c. Quibus nil modestius, etsi in singulis *Epigrammatis* nervosè juxtaque ingeniosè philosophetur. At in carmine de *Ingrat.* quid splendidius elucescit ex ejusdem genii consuetudine, in quo quippe simul ac incipit, canit: *congenitæ &c. insinuatus amor* PROPRIAS EXCEDERE VIRES ME *jubet.* Quòd si talem locutionem, *Anonymi* tractatus initio, respersisset, quantò intensiùs conclamasset *Quesnellus* heic novitii exhiberi Scriptoris operam, *timidèque admodum loquentis* hominis vocem audire sibi visus esset? Et istheic tamen non secùs ac in tractatû *de Vocatione* continuis hostes triumphis debellat, mirabilemque doctrinam tanquam facultatem expeditissimam habens eructat. Hæc in viridi quidem carmina, quod si aliud inquirendum opus illius sit, quod in sicco digesserit, meritò inter hæc adscribenda veniet ad *Excerpta Genuensium* responsio, quæ nonnisi exercitatissimum in omnium peritiorum ore judicioque Doctorem ultrò censitum jam fuisse convincit, quem utique fidei publicum velut oraculum insignes tùm consulebant nobilissimæ Ecclesiæ Presbyteri. In hac autem sic ad venerabiles *Camillum & Theodorum* præfatur: *Ad humilitatem meam de contextû disputationis excerpta misistis.........* *qui in hoc examine* VESTRÆ FACULTATIS *debueratis* EXERCERE MENSURAM.... *Verumtamen præceptis vestris obsequium meum non subtraham, & adjuvante Domino, qui sapientiam præstat parvulis, de Capitulis istis, quid cum sanctis & eruditis fratribus sentiam, breviter indicabo; petens ne ubi est simplicitas obedientiæ, præsumptionem esse putetis doctrinæ*, &c. En rursùs actorem *timidè* admodum & dubitanter scribentem: Quid enim ista contestatione summissiùs? Se cum *parvulis* deputat, si quid inest *eruditionis* in alios refundit, *obedientiæ simplicitatem* unicè sibi desponsat.

Quid ad hæc *vir eruditus*? Enim verò an quia in his disputationibus versatus *Anonymus*, non inquisitionem, non facultatis suæ modulum, sed suam illicò peritiam, suas pugnas, partasque ex hostibus victorias prætexere debuerat?

aut non fortè prudentiùs hæc omnia dissimulare studuit ignotus palæstrites, ne vel apertiùs loquens, perinde quasi per rimulas nomen suum vocemque internoscere daret; tandemque, quisquis ille fuerit, arcanum propositum otiosè concoctum, primis conceptibus imprudens evulgaret, atque dejiceret. Quæ certè tam clara sunt, tam congrua, tam clamantibus rerum circunstantiis opportuna, ut non facile judicatû sit, quorsum ista Eruditos in transversum tantisper agere potuerunt, ne in gratiam *Aquitani* citò decernerent. Sed his jam compositis, & aliis adæquatis jugis, quæ causæ illius perspicuitatem inumbrabant, omnia deinceps ad eum inter omnes secernendum, tam libero spatio, tam prospero cursu conducunt, ut ab inde adstruenda censeamus, quæ pro eodem militant, superantque rationum momenta.

Sectio 4. *Quæ* Prosperi *jura postliminiò resarciunt & integrant sponte consequuntur.* XXIX.

Quæ *Prospero* causa *Anonymo* tractatû pugnam instaurandi?

Inter illa autem, primùm præstat ulteriùs inquirere, quæ genuina ratio impulerit, ut in hoc certamine nomen suum, fortunamque *Prosper* occultaret, qui antea expansis velis & elato vexillo eosdem hostes impetere SS. *Patrum* & *Augustini* præcipuè autoritate, tùm conciliorum recenter habitorum pondere conterere ceperat? Facile certè, planumque ex hactenus allegatis attingere, quamobrem *Aquitanus* noster ab inceptis destiterit, & aliâ viâ abire simulans in eundem scopum collimarit. Siquidem cùm jamdudum expertus esset, nec tantâ evocatorum testium nube, *Semipelagianorum* ora obstrui potuisse, & quæsitis exceptionibus totidem autoritates ab iisdem eludi: tandemque *vulgus ignobile, procacemque ineptorum loquacitatem* (ut expressè queritur proëmio contra *Collatorem*) multa intemperanter in *Augustini* defensores effundere; cùm hæc, inquam, diu & vehementer persensisset *Prosper*, majusque in dies ex his periculum prævideret, in eam prudens sententiam ivit, ut suppressò nomine, & *Augustini* non æquiter audientis autoritate prætermissâ, quæstionem omnem, ad Scripturarum duntaxat libram, examinare, *remotisque*, ut etiam ait, *omnibus concertationibus quas intemperantium disputationum gignit animositas*, certa & determinata principia ex his regulis componere primùm aggrederetur. Quod cùm integris duobus libris, summâ arte, summâ eruditione, summoque utriusque pretio feliciter executus esset, invidiam & calumniam non solùm à se sic larvato depulit, sed eò etiam angustiarum adversarios

æque ac fautores ſolerter adegit, ut non deinceps contra *Auguſtini* duriorem, quam putabant, doctrinam: non adverſus Sedis Apoſtolicæ, vel ejus Pontificum ſententias, quas ad ſe trahebant: ſed adverſus ſacratiſſima Spiritus S. oracula toto in opere, mirabili induſtriâ, parique ubertate diſpoſita & explanata, novo inſuperabilique pugnæ diſcrimine dimicandum haberent. Hæc quidem omninò complectitur P. *Queſnellus*, quæ licet in *Leonem* ſuum detorqueat, ejus nihiloſeciùs heic
Num. 30. adducenda ſunt verba, quæ tam egregiè in *Noſtrum* recidunt: *in nullo* Auguſtinum *vel laudat vel nominat* Leo, &c. *Sed hoc ubique ſervavit*, *ſeu in Epiſtola* ad Demetriadem *ſeu in delectu* autoritatum, *ne*, *ex præconcepta* de Auguſtini *opinione*, *ſententiam ejus tueri videretur*, *ſed ut doctrinam ipſam*, *remotis omnibus defenſorum* PRÆJUDICIIS, *ex* SCRIPTURA *& traditione propugnaret*.

Ex variis ejus reſponſis & operibus aperitur.

Quòd autem tale conſilium *Proſperi* genio familiare, nativumque fuerit, nemini non perſuaſum erit, qui ejus hoc in errore conſepeliendo adhibitam variè, variiſque temporibus operam penitiùs per ſingula contuebitur. Etenim poſt obitam Romanam legationem, in qua *Cæleſtini* literas, de quibus toties, pro divinæ gratiæ & *Auguſtini* defenſione contra Maſſilienſes primùm elicuit: nunc eandem Chriſti gratiæ doctrinam *ex Apoſtolicæ Sedis autoritatibus* ſeu capitulis ad hoc ſpeciali ſtudio diſpoſitis propugnare contendit: mox pro eadem cauſa ſtylum ferventiùs exacuit in elucubratis *ad Vincentianas objectiones* reſponſis, ubi Sedis Apoſtolicæ, quas præmiſerat, autoritates in medium rurſus adduxit, & eas potiſſimùm in ſtabiliendi Catholici dogmatis toties impetiti, totieſque propugnati tutelam adhuibuit. Sed & cùm non multò poſt *objectiones Gallorum* à præcedentibus non diſſimiles prodiiſſent, quibus haud dubiè reſolvendis, paria ultrò fuiſſent, quæ jam præceſſerant rationum compendia; voluit tamen eadem penè objectorum capita novâ confutatione diluere: tunc enim ad *Auguſtini* doctrinam confugit, & *in nullo recedere* ait, *à tramite earum definitionum*, *quæ in* Sancti Viri *diſputationibus continentur*. Quæ tandem etſi rem omninò conficerent, *pleniſſimèque*, ut teſtatur, ac *planiſſimè* oppoſitis reſponderent, nihiloſeciùs voluit eaſdem reſponſiones iterùm recudere, & in breviores articulos coarctare, ſingulis capitulis ſubjiciendos. Inde vel paulò antea *Genuenſium dubia* variis rurſus argumentis copioſè dilucidat. Tandem pro unius gratiæ patrocinio unicè excubans, opus *contra Collatorem* emittit, in quo rationes, momentaque

jam aſſumpta, aliaque innumera tantâ ubertate & varietate congerit digeritve, ut diverſum penè artificem, ex tam aptè concinnèque variata arte videre fuerit: aut ſaltem ejus generis intercedere in illis invicem comparatis diſcrimina, quæ fortè tanta non ſunt inter has indubias *Proſperi* lucubrationes, & *de Vocatione* libros eidem non incunctanter aſſertos. Sed ut reſidua ejus facinora perſequamur, divitis ingenii & miræ ſolertiæ Autor laudatiſſimis ſtudiis eò magis ſemper indulgens, adverſarios variis pugnis jam quaſſatos, novo facto impetû, rurſus exagitat; quos enim ſolutâ oratione ſæpiùs coërcuerat, nunc, metrico ſtylo, ſic ingenioſè laceſſit, ſic venuſtè ſubſannat, ſic nervoſè traducit, non tum in carmine *de Ingratis*, quod antea fecerat, ſed in quibuſdam epigrammatis, ne quid de aliis ejus operibus attingam, ubi eos nunquam reliquit intactos; ut vel ex his omnibus, mirè in aliis colluceat *Proſperi* genius. Cui enim rationabiliùs & connaturaliùs, quàm hominis ſic affecti *Semipelagianos* continuò inſectantis & huic uni operæ duntaxat intenti partibus congruit, incubuiſſe lucubrationi, quæ præcedentium ejus Scriptorum ſelectas rationes adhibens, ſtylum referens, & petitis ex Scripturarum autoritate momentis artificioſè coaptans hoſtes eò acerbiùs ferit & ſauciat, quò irremiſſus oppugnator diſſimulatâ perſonâ, depulſâque tandem invidiâ, ſagittas ſuas opportuniùs ejaculat. Quo & in conſilio, niſi popularium noſtrorum *Vincentii*, qui ſub *Peregrini* nomine ſcripſit, *Salvianique*, qui ad Eccleſiam Catholicam in *Timothei* perſona libros ſuos direxit, æmulari voluit exemplum, iſtius ſaltem in ſimili facto finem ſibi præſtituit omni commendatione digniſſimum. Unde & cum eo non minùs piè quàm veraciter conteſtari poterat: *in omni volumine profectus magis quæritur lectionis, quàm nomen Autoris, idcircò igitur Scriptor ille abſcondi & latitare omnibus modis voluit, ne ſcripta, quæ in ſe plurimùm habent ſalubritatis, minora forſitan fierent per* NOMEN AUTORIS. *Epiſt. ad Salon.*

Graviſſima porrò nulli non videri debent, retractata iſta ad *Proſperi* genium meliùs internoſcendum lineamenta, ſed alia etiam notiora ex illius penicillo prodeunt non diſſimulanda: ex ejus ſiquidem aſſertione, non obſcurè ſignificatur cauſa, ob quam adduci potuit hanc novæ methodi ſcriptionem emittere. Hæc tamen à nullo, quod ſciam, prolata eſt ratio, quæ ſi forté in mentem veniſſet alicujus, avidè dubio procul debuerat arripi. Scilicet S. *Auguſtini* S. Diſcipulus pro Magiſtri gloria, Et ex ejuſdem teſtimonio quadantenus roboratur.

quæ nonnisi Christi gratiæ integritatem respiciebat, graviter ubique decertans, post resumptum variis libris & omnimodis expensum argumentorum genus, quo utriusque causa consistere & adversariorum molimina disjici poterant: post provocatam in ultimo opere contra *Cassianum*, summis studiis & studiosis conceptibus, *Sixti* sedentis tunc Romani Pontificis defensionem; quasi posthàc nihil sibi præstiturum esse confideret, aut *procacis vulgi* ineptissimarum querelarum ad nauseam usque pertæsus esset, in quo utique revincendo operam omnem abutebatur; tunc solenniter & expressè obstrinxit se lege silentii, donec aperto Ecclesiæ judicio, à se toties impugnata dogmata proscriberentur. Quod in præfati postremi operis peroratione conceptis verbis ita protestatur: DONEC *Dominus per Ecclesiæ Principes & legitimos judiciorum Ministros, hæc quæ per paucorum superbiam, & quorumdam imperitiam sunt turbata* COMPONAT, NOBIS, *Deo adjuvante, sit studium* QUIETA MODESTAQUE PATIENTIA, *odiis dilectionem reddere*, ET INEPTORUM VITARE CONFLICTUS: *veritatem non deserere*: NEC CUM FALSITATE CERTARE. Hactenùs *Prosper*, qui impositam sibi intenti silentii necessitatem: seu *non certare cum falsitate*, ante præviam *Massiliensium* doctrinæ censuram, *per legitimos Ecclesiæ Ministros* declarandam significantiùs exprimere non poterat. Sed cùm censura illa ardentissimis licet votis & auguriis efflagitata & prænuntiata nusquam prodiret: cùm *Ecclesiæ Principes*, *legitimique judiciorum Ministri*, ab controversi dogmatis cognitione judicioque penitùs abstinerent, & in tantum, prolatis ex moris, *Massilienses*, vel alii eorum sequaces, animos ingentes resumerent, suamque magis exinde fidem probatum iri confidenter jactarent; cui non continuò proclive erit subodorari, *Prosperum*, inter hæc excubias agentem, & veritatis studio, quo semper incaluerat, ex eo magis incensum, tunc tamen fide suâ jam obligatum ne loqueretur; inde imminenti Ecclesiæ periculo, commonitum, ne taceret, insuperabiles alioquin angustias declinaturum, id sapienter cepisse consilii: quo, ablegatâ ad tempus S. *Augustini* autoritate, (quam non pertrahendis, sed penitùs abalienandis adversariorum animis tum opportunam præsenserat) nihilosecius tamen Christi gratiam acriter oppugnatam, sub *Anonymi* & novis armis congredientis specie nervosè defenderet, in aureo opusculo; quod inscriptione insuper acceptissimâ prænotatum & emollitis quibusdam loquendi modis læ-

vigatum, ut ita dicam, & attemperatum suaviùs omnes ad ipsius examen alliceret.

Hæc erat profectò urgentissima solvendi silentii occasio, hæc congruens dissimulandæ personæ necessitas, hæc tandem destinatis libris gratissimum omnibus *de Vocatione omnium Gentium* titulum apponendi peropportuna cogitatio, quæ nec aliùs fortè quàm *Prosperi* mentem subire poterat. Hunc ipsum etenim mihi etiam in hac tam appositè consignata epigraphe repræsentatum animadverti, cùm penes me maximas ejus convenientiæ relaturas expendenti & revolventi, quasi insperatò loca occurrerunt innumera, quæ convincunt, hoc fixum constansque *Prosperi* animo inhæsisse propositum ejus explicandi mysterii, quod *omnium Gentium vocationem* spectabat. Etenim non modò omnes illius libri, sed omnes penè eorum paginæ & interdum lineæ in hoc argumentum sic spontè vergunt, vel violenter quandoque distrahuntur, ut facilè judicatû sit *Aquitanum* modis, viisque omnibus hæc, præ ceteris, divinæ omnium Gentium Vocationis arcana consequi & explicare contendisse. Quo certè nil connaturalius esse potuisse demonstratur, quàm ut mens in tantùm affecta τὸν θέματισμον deditâ operâ tandem pertractarit, quem tantâ affectatione toties attingens, aliquando explere sibi in studiis esse præsignificaverat: Sed hæc ex quorumdam ejus locorum exhibitione, quæ cursim, & confecta jam operâ, in relectione solius in *Psalmos* expositionis annotavimus perspectiora fient.

XXX. *Prosperi* genius & affectus mirè propedént ad explicandum de *Voc. omnium Gentium* mysterium.

Et in ipso quidem operæ limine, *Psalmi* scilicet 101. expositione, hunc versum explicans Noster: *vigilavi & factus sum sicut passer solitarius*, &c. Gentium Vocationis illicò meminit, cui hæc ita coaptat: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, ut & solitudo* GENTILIS *acciperet notitiam veritatis. Solitudo* autem *Gentilis* dicta est illi, quemadmodum, *Philosophia Gentilis* cap. 8. lib. 1. *de Vocat.* Sed ejusdem *Psalmi* explanationem persequens, sub his verbis: *in conveniendo populos in unum*, &c. aliisque subsequentibus, in hoc iterùm thema delabitur: *ut haberet*, inquit, *Ecclesia libertatem, quâ* OMNIUM GENTIUM *populi in fidei coëant unitatem.* Tum: *donec plenitudo* GENTIUM *introcat*, &c. Sub finem autem, rursùs de populo loquitur, qui creandus erat in Christo, in quem æquè semper intentus animadvertitur. Nam & *Psalm.* 103. has voces: *potabunt omnes bestiæ sylvæ*: ita interpretatur: *bestias sylvæ, inquit,* GENTES *intelligimus, quoniam sæpe in Scripturis inveniuntur* GENTES *indicatæ nomine bestiarum.*

Irradiat præcipuè hoc studium in ejus expositione *Psalmor.*

Quibus explicationibus exquisitis hæc *vocatio* figuratur & illustratur?

Sed in sequentis *Psalmi* 104. expositione multus est *Autor* noster in hoc *de Vocatione Gentium* aperiendo mysterio, ab his utique verbis: *ipse Dominus Deus noster, in omni terra judicia ejus*, & deinceps, ubi & in toto mundo, filios promissionis memorat, & vocatarum generationum numerum, nec ab ipso Adam usque ad finem mundi posse compleri ait, *donec omnes generationes finiantur.* Magis autem hoc argumentum enucleat *Psalmo* 106. hoc enim versu: *exaltent eum in Ecclesiis populi*, &c. quem omnes simpliciter secundùm literam interpretantur, de gratiis Deo propter memorata beneficia rependendis, ipse *Noster* præocupatâ explicatione ad Gentes transfert. *Quid ergò*, inquit, *in hac Ecclesia operatus est Dominus* ? . . . . *qui Iudæos extollentes se sprevit & amputatis naturalibus ramis, oleastrum oleæ inseruit, & de* OMNIBUS GENTIBUS, *Abrahæ spiritale semen elegit.* Quæ in serie fusiùs retractantur: notabilis autem est vox *omnes*, quàm *Prosper* penè semper adjungit, quoties Gentes commemorat: quod sæpiùs etiam in decursu recensendum, hâc præviâ monitione communiri debuit, quia & illi *de Vocatione Gentium* libri, cum hoc *omnium* adjuncto titulo inscribuntur, quem MSS. Codices exhibent probatissimi, & sine quo sufficienter non exprimitur, inquit *Quesnellus*, Autoris consilium, totiusque operis institutum, & materies. Quod & valde consentaneum nobis est.

XXXI. Totus ubique in hujus argumenti tractatione *Prosper* incumbit

Ita igitur in *Psalmum* 110. explanationes suas persequens super his: *ut det illis hæreditatem Gentium*; continuò subjungit: *id est quam præparavit* OMNIBUS GENTIBUS. Sequentem autem *Psalmum*, qui *Aggæi* & *Zachariæ* reversionem præfigurat, & felicitatem viri justi explicare pergit, Scholiastes noster, non, citra ejus in quod tam afficiebatur argumenti memoriam, prætermittit, in ejus enim titulo hæc respersit. *Sed quia quæ corporaliter tum gerebantur, rerum futurarum indicia præferebant, per illam captivitatis remissionem & templi restitutionem spiritualiter figurabatur fabrica ipsius templi, cujus Christus est fundamentum: in quo etiam angulari lapide, vivis lapidibus coaptatis, cœlestis ædificii structura consurgit, ut ex ruina veteri, quæ facta est in Adam, novum Dei templum cum reparatione* OMNIUM GENTIUM *reformetur.* Sic & *Psalmi* 113. versiculum exponens: *adjiciat Dominus Super vos* &c. habet: *Et ita factum est: Accesserunt oves quæ non erant ex hoc ovili: accessit fides* OMNIUM GENTIUM *& crevit numerus non solùm*, &c. Rursus & has *Psalmi* 117. voces: *omnes gentes circumdederunt me* & sequentes, ad propositum sibi thema deflectit;

flectit; *quia*, inquit, *ex* OMNIBUS *collectus est* GENTIBUS, & *ubique in eum exarserunt persecutionis incendia. Sed ultus est persequentes, quia extinctâ malitiâ facti sunt Christiani.* Tum: *multitudinem Fidelium in unitatem fidei congregatam persecutio Gentium non habuit quò impelleret.... quia ab* OMNIBUS *simul in eum creditum est.*

Non desunt in omnium prolixiori *Psalmo* 118. quæ in hanc rem adduci possint, & à nostro Tractatore adducantur, sed & alia in id trahuntur & impelluntur, ut cùm Propheta gemituum & pœnitentiæ suæ circunstantias recensens habet: *præveni in maturitate, seu intempestâ nocte*, ut legit, *& clamavi* &c. quibus significat *David* se maturasse & antevertisse vigilias precibus suis destinatas, ut uno consensu explicant Patres, & ipse annuit *Prosper*, illicò tamen, ad præconceptum mente, & altè infixum *vocationis Gentium* mysterium, hæc verba retractat. *Quod etiam*, infit, *ad illa referri tempora potest, quibus Ecclesia Propheticis vocibus Christi postulabat adventum, & sperabat implendum, ut in semine Abrahæ benedicerentur* OMNES GENTES. Quæ *relatio* nisi violenta est; quis saltem non nisi valdè affectatam concipiet.

Et in eam sæpeviolenter pertrahitur.

In serie autem *Psalmum* 134. explicans, hæc versiculo: *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus* &c. subjicit: *Quamvis enim* OMNES GENTES *ipse condiderit, hanc tamen suo nomini propriè deputavit, ita disponens sacramentum* VOCATIONIS *suæ, ut electio Israël ad salutem* OMNIUM GENTIUM *pertineret, promissionis filiis in æternam hæreditatem, non ex carnis propagine, sed ex regenerationis adoptione venturis.* Mox in hæc: *quoniam judicabit Dominus plebem suam & in servis suis deprecabitur:* id est, *exorabitur*, inquit, *& in* OMNIBUS NATIONIBUS *erunt homines Israëliticæ dignitatis.... quia spiritalis Jacob ex* OMNI GENTE *assumitur.* Quæ certè omnia non modò librorum *de Vocatione* finem attingunt, sed & cunctas illorum elocutiones referunt. Nec ab illis dissimilia sunt, quę sequuntur ex *Psal.* 135. ubi ista: *qui dat escam omni carni* &c. ita interpretatur: *hæc est esca, de qua Dominus dicit:* caro mea verè est esca, *quæ datur* OMNIBUS GENTIBUS, *quia nullus renatorum ab esu ejus excipitur.* Quæ etiam fusiùs expenduntur in his *Psalmi* 137. *Quoniam magnificasti super nos nomen sanctum tuum:* ubi ita ad mentem totiûs de *Vocatione* tractatus loquitur: *magnificavit Dominus super duodecim tribus Israel, quas erutas de jugo servitutis introduxit in terram promissionis, & super* UNIVERSAS NATIONES *de*

Quàm explicationes illæ consentaneæ sunt titulo librisque *de Vocatione*?

quibus tanquam de lapidibus suscitat quotidie filios Abrahæ.

Ut autem multa alia prætereamus, inter quæ notabilia etiam videri poterunt exposita *Psalmo* 143. pulsant nos oppidò quæ ex 145. super his promit: *Dominus custodit advenas* &c. ubi, affectatâ rursùs circuitione, *Vocationem Gentium* attingit à Regio vate, & ab interpretibus haudquaquam intentam: *ipse custodit advenas*, ait, *qui* OMNES GENTES *in Christo unum facit, & in Abrahæ filios lapidea corda convertit.* Quæ adeò frequentatur elocutio in libris *de Vocatione.* Item & sequentis *Psalmi* 146. versum: *Qui numerat multitudinem stellarum*, sic enucleat: *has ergo stellas Deus numerat in æternam prælectas gloriam, & nominatim ex* OMNIBUS GENTIBUS ADVOCATAS. Similiter & hæc consequentia: *Qui dat jumentis escam ipsorum* &c. hâc interpretatione decorat: *jumentorum nomine significatur multitudo plebis.... dispensatio igitur misericordiæ Dei non tantùm ad Israelitum genus, sed ad* OMNIUM *quoque* GENTIUM *propaginem pertinet.*

De *Vocatione omnium gentium* epigraphes *Prospero* familiaris, & nativa.

Sed & in his sistere proposueramus, cùm in ista apprimè momentosa incidimus, quæ ex *Psalmi* 147. explicatione eruuntur, huic enim versiculo: *Qui emittit verbum suum terræ:* splendidum istud glossema assuit: *Verbi missio Christi est incarnatio, cujus Evangelio currente per omnem terram*, OMNIUM GENTIUM *fit* VOCATIO. Ita ille obscurrissimi Psalmi sensibus interpretationem suam aptat, unde & genio suo æquè semper velificatus, quæ sequuntur non minùs impervia: *Qui dat nivem sicut lanam* &c. expositione prioribus consentaneâ, sic aperit, atque pervadit: ..... *Sublimiùs in his gratiæ Dei opera sentiuntur, per nivium vellera* VOCATIONE GENTIUM *figuratâ.* Hæc enim penè sola mentem ejus pulsabat cogitatio, & in hoc divinæ *omnium Gentium Vocationis* mysterium, qualibet datâ occasione, incunctanter abripitur. Sunt & alia in residuis Psalmis, longèquè plura in ceteris *Prosperianis* operibus tàm prosâ, quàm metro digestis, quæ hunc illius σχο'πον non minùs probatis signis & indiciis manifestant. Sed hæc intacta scienter relinquimus: nam si ad ea, quæ nunc retractata sunt, conferantur expensæ fusiùs, tota Dissertatione, rerum, temporumque circunstantiæ, quæ *Prosperum* librorum *de Vocatione* autorem clamant & indigitant, cunctatio sub est nulla, quin & ex his quoque in antecessum tam egregiè prælibatis, se rursùs exhibeat internoscendum atque palpandum. Epigraphen certè DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM, *Aquitano* nostro minùs

notam & familiarem nullus saltem infitiabitur, cui toties ab eodem laudatam, complexam & occupatam in his nostris animadvertisse contigerit.

XXXII. Omnium maxima difficultas, ex *Augustino* prætermisso,

Sed clariora licet ista sint, sentio tamen ægrè ferre nonnullos, quòd his explicationibus, momentis, & conjecturis, potentissimam omnium objectionem, quæ ex alto *Augustini* nominis & autoritatis silentio per totos *de Vocatione* libros observato, validè hucusque petita est, potiùs eluserim, quàm pro dignitate refutarim. Cùm enim *Prospero* solenne inviolatumque jactetur in omnibus scriptis suis *Augustini* doctrinam nominatim interponere, & ejus armis ex professo pugnare, temeratæ in hoc tractatû consuetudinis rationes cumulatiùs adducere, hisque priùs & diutiùs immorari convenisset aliquibus, queis genuina quandoque vix sapiunt, quæ in prolixitatem non abeunt immoderatam. Sed horum palato ne serviamus, quin potiùs, ut fucatum vulgare præjudicium penitùs elevemus, in his satis aliunde discussis, paucis tantùm adhuc hærere juvabit. Etenim neque *Prospero* insolitum fuit *Augustini* autoritatem abjicere, nec id semel, sed iteratò & toties præstitisse facilè convincitur, quoties rationabilis aliqua ejus assumendæ causa prohibuit, aut non aptè conduxit. Quod certè aliis inauditum, in integris ejus operibus clarè demonstrandum est.

expenditur, præjudiciis purgatur,

Et pro *Primo* quidem *Apostolicæ sedis Capitulorum* seu autoritatum collectio à *Prospero* digesta, nullam uspiam *Augustini* memoriam admittit, licet omnes ejus partes circa gratiæ quæstiones versentur, & quandoque ex S. Doctoris scriptis *Noster* ermulta deprompserit, ut suo loco notavimus.

Secundò, Idem consilium insecutus est idem Autor *ad Demetriadem* scribens, ubi omninò *Augustinum* rursus prætermisit, licet nonnullæ essent, quæ ejus memoriam refricare poterant, egregiæ occasiones. Quæ si quis opera ista adhuc dubia esse cavilletur, adeòque & in cassum tandiù in his vindicandis nos insudasse pronuntiet; ne in vitioso circulo nos inaniter laborare aliquis nimiùm contentiosus obtendat, aliud subjungere conveniet, quod & jam tractatis majorem lucem, & his quæ nunc versamur, robur omne conferet.

exemplis illustratur,

Tertiò, Siquidem nec in copioso quinquaginta *Psalmorum expositionis* tractatû, germano *Prosperi* fætu, ullus nobis apex occurrit, qui *Augustini* nomenclaturam innuat, licet non raro agitatæ quæstiones ibidem eventilentur & liberi arbitrii defensores similiter perstringantur.

Quartò denique, quod summum est, famosa *ad objectiones vincentianas responsio*, in quibus S. Præsulis doctrina non solùm oppugnata, sed ludibriis & calumniis apertè commissa circumferebatur, *Augustini* signaculo nec de longè communitur: ejus nomen ubique suppressum: ejus ubique renuntiata autoritas: aliis ibidem exceptionibus pugnat *Prosper*: alio suffragio utitur: alio tandem clypeo se tuetur. Quod certè tantò magis palmare videri debet, quantò minùs ab aliis hùc impingentibus animadversum agnoscimus.

Et ad certas regulas adacta,

Quorsùm autem, & quo præconcepto fine, hoc consilium capessiit *Augustini* tantus discipulus? à nullo certiùs, quàm ab ipso edoceri valemus, qui in proëmio responsionis ad præfatas objectiones, conceptis verbis testatur, se huic operi incumbere tandem adductum fuisse: *ad* CALUMNIANTIUM *animos* MITIGANDOS, *sive ad eos, quorum auribus tale aliquid insonuit*, INSTRUENDOS. Quæ verba licet sæpiùs jam expensa sint, ex iis tamen, quidquid inest succi, nondum expressum arbitramur, nisi hoc oppidò consequens eruatur: quod nempè: si *Prosperi* opus indubium *mitigandis calumniantium animis*, sive *aliis instruendis* litatum, *Augustini* nomine & commendatione carere potuit, id clarum est & irrefragabile, aliud quodque opus *Prosperi* venam referens, non modò ex simili Magistri prætermissione, ei abjudicari non posse, sed è contra jam probatum habere titulum facto & exemplo firmatum, ut ipsimet inde vindicetur. Si autem opus illud *Prosperiana* lineamenta exhibens, eo etiam proposito digessit Autor, ut calumniatorum eorundem tela pacificè declinet: ut invidiam depellat: ut fratres conciliet, & instruat; jam in his reperietur regula, & ad manum erit iterati facinoris ratio: reticentiæ istius genuina causa patescet: unumque tandem ex altero rectè metiendum veniet.

in omnium maximum argumentum pro *Aquitano* recuditur,

Quòd verò duo de *Vocatione omnium Gentium* libri in hunc omnino finem digesti sint, ut pariter *calumniantium animi*, rectâ dogmatis explicatione *mitigarentur*: ut desinerent adversariorum insidiæ: ut omnes *pleniùs instruerentur*, non solùm id spondet & innuit pacatissimus operæ titulus, sed hunc latè diffundunt spiritum, quanta sunt illius capita, & quantæ sunt autoritates, quantæ sunt rationes & voces eò conspirant omnes, ut *aliquis limes disputationibus* opponatur: ut *quâ mensurâ & temperantiâ* de iis sentiendum sit *inquiratur*: ut *regulas procedat stylus, quæ nihil offensionis, nihil habeant pravitatis*: ut exulent *calumniosa certamina*: ut *remo-*

tæ abdicatæque ſint omnes concertationes, quas intemperantium diſputationum gignit animoſitas: ut *ſi quod cognoſci non poteſt, non quæratur, non remanente cauſâ certaminis, ſecurâ & tranquillâ fide prædicetur atque credatur*: ut, his tandem, *ceſſet inſidioſa malignitas, inſolens præſumptio conticeſcat*, nec ultra neceſſe ſit *interminabilibus quæſtionibus occupari*. Hæc & alia ibidem innumera, in nullo ab his diverſa, quæ *Proſper* contra *Vincentianos* excipit & proteſtatur, dum *ſenſus ſui & fidei* eandem omnino profeſſionem ſimilibus principiis comprehenſam dare parat, *ad calumniantium animos mitigandos, & alios inſtruendos*, &c. Hæc certè in nullo varia ſunt, ut neque ab his adverſariis alii ſunt, quos *Chriſtianæ caritatis oblitos* ſuam *exiſtimationem lædere eidem ineptiſſimarum blaſphemiarum prodigioſa mendacia affingere*, eaque *tertiò repetere, ut numerum criminationum augerent* conqueritur itidem *Proſper*, citatâ reſponſione; ut eadem utrobique mens, eadem loquela, uti & idem ſcopus planè irradient. Ergò jam ſi iiſdem fortunis deputatus eſt geminus hic *de Vocatione* liber, qualibus commiſſam habemus reſponſionem contra *Vincentium*, neque ille ad iſtius normam exactus *Auguſtini* nomen ſuſcipere, nec memoriam præferre debuit; tantùmque abeſt, ut ex hoc affectatæ diſſimilitudinis ſpecimine, alia, quæ ſincerè repræſentat *Proſperi* lineamenta obliterari poſſint, quòd è contra ex eo, hæc omnia quaſi poſtremo germanæ convenientiæ ſignaculo obfirmata, eundem infallibiliùs deinceps indicare debeant. Quæ ſi tam rectè concludunt, quàm Cenſorum noſtrorum nobis nunc præſtat aſſertio, potentiſſima illa objectio ex ſilentio jam memorato, toties contra ſententiam noſtram aſſumpta, potentiſſimum, ad perpetuam illius ſtabilitatem, firmamentum adducet. Quod certè paucis perſtrictum nec leviter prætereundum, nec ſemel retractandum, ſed aliis ſimilibus aptandum eſt.

XXXIII. *Proſperi* cauſa utrobique præpollens ex ſtyli oppoſitâ diverſitate purgatur.

Sic itaque hoc decuſſo jugo, ex omni parte ſupereminet *Proſperi* cauſa, undequaque exurgit ille, & quaquaverſum ſpectentur rerum circunſtantiæ, quibuſlibet umbris & fucatis diſcriminibus obtegatur illius vultus, admotis propiùs oculis, obſervatâque tantis per ejus compoſitione, ſenſim ſine ſenſu ſplendidiùs coruſcant germanæ ejus lineæ, ſincerusque character, quibus ſe dat ultrò, citra fallaciæ timorem, internoſcendum. Supereſt quidem expendenda, quæ potior cenſetur ſimilitudinis vena, in ſtyli ratione & conſenſu poſita, de qua licet in aliis Diſſertationibus ſatis polixè tractatum ſit; ut heic tamen ſe transformare voluit Autor, qui nomen ſuum utique ſubticuit,

agnoſcere quidem neceſſe eſt eum alienas ſpecies ſtudiosè conquiſiiſſe, quibus ex propoſitó ſibi fine aliis fucum faceret, quod & egregiè conſecutus eſt; quando quidem eum perplures alium à vero *Proſpero* reputarunt. Unde etſi ex præjudiciis iſtis illum ſecernere difficilius videri poſſit, tam divite tamen copioſâque venâ jam diffluxerat, in aliis quæ ſuo huic poſtremo *de Vocatione* tractatui præmiſit operibus, ut ſi in iſta propiús ac otioſiús intendere ſuſtinuiſſent, qui hoc examen delibarunt, comperiſſent tandem in has prævias lucubrutiones ſuas ſæpè ſæpiùs regeſſiſſe *Proſperum* omnes locutiones, formulas, figuras ac tranſitiones, quas in hac *Anonyma* poſteriori frequentius (ut argumentum ac argumenti ſcopus poſtulabant) aſſumpſit. Et has quidem ſpecies inter varia *Proſperiana* diffuſas ſeligere ac colligere aliis *Anonymis* apponendas & invicem componendas deſtinamus, ut noſtra ſub oculos cadat aſſertio. Sed hæc pauca in anteceſſum præmonere nil non conducet.

Et quidem ſtylum librorum *de Vocatione* ita *Proſperiano* ſimilem arbitramur, ut non tam ex ejus animadverſâ invicem diverſitate, quàm ex ſenſuum & ſententiarum quarundam, obſervatâ aliquâ umbratili inter utraque opera oppoſitione, *Proſpero* abjudicatum fuiſſe iſtud *Anonymum* non dubitemus: quanquam priùs momentum, alteri colorem & autoritatem adjeciſſe non dubium ſit. Sed hâc fundamenti machinâ depulſâ, aliam quæ iſti uſquequaque innitebatur corruere neceſſe eſt. Non me latet tamen supereſſe adhuc aliquibus ſcrupulum, circa hanc ſtyli ſimilitudinem, eò quòd Libri gemini *de Vocatione* orationis contextus modulatior ſit, nitidior & caſtigatior, rithmorumque & antitheſeon conſectatio ſtudioſior, quàm ſtylus *Proſperi*; etſi in aliis quibuſdam, ut aïunt, mirè invicem congruant, quod certè negari non poteſt, & magis in decurſu palpabitur. Sed hæc, illorum judicio, affinitas eo uſque aſſurgere non poteſt, ut obſervata diſcrimina ſatis reſarciat, quinve diverſos tandem autores conſtituere cogat.

Styli diverſitas non alia, ab illa quam exigit ſingulorum tractatuũ proprius, genuinuſque character.

At his ſenſuum apparentibus diſcrepantiis ſemel exæquatis, alia, quantùm aſſequor, quæ in verborum, aut orationis contextû ponuntur diſcrimina, nulla prorſus videri debent: ſi ſeorſim expendantur opera *Proſperi* non ſuppoſita, quæ, quanta ſunt quidem, (ſi Pſalmorum expoſitio ſtylum planum & ſatis contractum poſtulans & præferens excipiatur) nonniſi dogmaticos & in controverſiæ & refutationum modum digeſtos tractatus exhibent, pro datâ occaſione *Objectionum*,

Indiculorum, *Dubiorum*, &c. quæ identidem movebantur & circumferebantur festinanter elaboratos, & ob morarum dispendia mox emissos. Quis autem non videat opera illa confutando dogmati, detegendis adversariorum latebris, consectandisque eorum circuitionibus destinatos, ad quid coactum violentumque pertrahere, quod non modò tinnulum illum, modulatumque stylum per rithmos & affectatas antitheses vagantem, non facilè admittit, sed apertè respuit? Talia enim sæpè sæpius cum asperitate imò & vehementia retorta sunt: *quæ virtus*, ut aïunt periti, *incitatur potiùs excelso animi vigore & justæ indignationis & iracundiæ stimulis, quàm regulis & præceptis dirigatur*: adeòque & istheic *Prosper* potuit *nervositatem* illam consectari, quâ præcellere notatus fuit à *Gennadio*, & quæ certè in hujusmodi disputationibus & contentiosis operibus præcipua esse debet. At in libris *de Vocatione Gentium* ratio omninò diversa est: in illis siquidem liberiùs agens Scriptor & genii sui propensionem insequens, quæstionumque delectum faciens, longè aliò orationem & stylum inflectere potuit, ut certè heic non tam disputantis, quàm *se exercentis* studio, nec tam adversarios insectandi, quàm pacificè, quoad ejus fieri poterat, litem componendi & certa ab incertis secernendi fine, stylum arripuisse ingenuè fatetur. Hæc autem exercitatio in qua, pro sua insigni modestia, *modulum facultatis suæ* excutere & *concertationes abdicare*, *quas intemperantium disputationum gignit animositas*, sibi proponebat Autor, ornatus omnes, figuras, rithmos & antitheses quibus abundat, facilè & connaturaliter recipere poterat: & tantò etiam magis, quantò ille affectatam illam styli modulationem studiosiùs consectando personam, quam dissimulare satagebat, perinde magis occultatum ire sibi persuadere planum erat. Sed his etiam fortè præclusis, rebusque æquâ lance pensatis, nil magis inter utraque omnia opera discriminis observabitur, quàm quem uniuscujusque proprius, singularis, genuinusque character exigit. Quæ in quantam aliquando dissimilitudinem, pro illius varietate, excrescant, Oratores, quorum hæc est ars & facultas, satis demonstrant: & ad ea fortè si magis respexissent, qui se causæ judices constituerunt, non tam procliviter adversùs *Prosperum* decernere adducti fuissent.

Sed de hoc quidquid sit, ad aliam observationem quod spectat, gaudeo eam à *viro erudito* utraque manu susceptam edisscere, licet aliò distractam: ut enim ea diluat, quæ ex ejus- XXXIV. Hæc probat P. *Quesnellus*

dem styli circa libros istos dissimilitudine contra *Leonem* petuntur, cujus scripta majorem etiam elegantiam, rithmorumque, ac figurarum studiosiorem affectationem exhibent, hâc à nobis allegatâ se tuetur exceptione: *Quod si forsan* (inquit) *rariùs occurrant in hoc opere* (de Vocatione) *hujusmodi casus, antitheses, ac rithmi, quàm in aliis S.* Leonis *probatis olim operibus, hoc* TEMPORUM, MATERIÆ, AUTORISQUE ÆTATIS DIVERSITATI *prorsus imputandum. Quantùm enim oratorius character ab epistolari discrepat, nemo nescit: quàmque multa rursùs tolerantur in epistolis, quæ ab operibus* DOGMATICIS *prorsus ablegantur? Unde si nemini subiit mirari pauciores esse hujusmodi figuræ in literis, quàm in sermonibus, quid mirum, si in his rariores adhuc sint, quàm in hoc scripto, quod totum dogmati explicando consecratur?* Hactenus *Quesnellus* 2. Disser. n. 22. qui hæc feliciùs dubio procul ad *Prosperum* retulisset: sed quod ille ex aliis præoccupatus non præstitit, ex nostris, ut putamus, facilè convictus, suisque propriis regulis & observationibus captus præstabit. Nec enim quid fortius allegare potuisset, si pro nostra sententia stetisset.

Et multis egregiè confirmat.

Porrò aliud in res nostras compendium idem Autor suppeditat, à quo etiam censendo continere eò minùs liberum putamus, quòd ex hac illius testificatione opus nostrum sufficienti autoritate P*rospero* adscribi possit. Disertè siquidem ille Dissertatione 4. num. 8. hoc de P*rosperiano* stylo solenne judicium profert: *Non esse* Prosperi, inquit, *epistolam ad* Demetriadem *arguit styli disparitas & ejusdem affinitas cum stylo Autoris* de Vocatione Gentium. *Etsi enim* Prosperi *sermo nonnullis interdum rithmis, ut aïunt, ubique sonat, quod omnibus illius ævi Scriptoribus non insolens est, minùs tamen frequentes sunt apud* Prosperum, *qui etiam* IIS PERSÆPE VITANDIS STUDUISSE *videtur*, UT LEGENTI PLANUM ERIT. *Non ita quoque de ordinando & ad amussin construendi sermone, aut secandis periodorum membris solicitus est, ac Autor gemini* de Vocatione Gentium *opusculi; sed ut ratiocinii pondere & arte præstat alteri, assertionibusque, ut de ipso* Gennadius *loquitur, magis* nervosus *est, ita dictionis puritate, sermonis nitore, compositionisque elegantia longè inferior est.* Ecce *Prosperiani* styli ideam graphice à *Quesnello* descriptam, quâ nobis egregiè fidem præstat, *planumque esse legenti* asserit, *Prosperum*, etsi rithmis interdum, ut aïunt, sonet, non tamen ita apud eum frequentes esse, quando quidem *iis persæpè vitandis studuisse videtur.* Unde jam illud certum habe-

mus

mus ex hac rithmorum infrequentiâ nullum in *Prosperum* præjudicium trahi posse: quòd illos *persæpè vitare studuerit*, in disputationum libris. Quòd si & in iis de ordinando sermone, aut de secandis periodorum membris non ita curavit, ac in opusculo *de Vocatione*? id innuit respondendum *Quesnellus*: quia *de iis non ita solicitus fuit*, nec esse profectò debuit. Si tandem in controversiarum conflictibus nervosum se magis præbere studeat *Prosper*, quàm *dictionis puritate & sermonis nitore*, quibus splendent aliæ exercitationes, antecellere satagat, id non alia de causa pariter contigisse pro comperto habendum est, quàm quòd hæ robur illud, fortesque locutiones: istæ autem majorem elegantiam & periodorum affectatam commensurationem, connaturaliter expetebant. Quæ enim esset verborum cum rebus consonantia (in qua veræ elegantiæ, rectique judicii vertitur ordo) nisi grandia grandibus, humilia humilibus, pacataque pacatis aptarentur & responderent?

Quod postremum sententiæ & assertioni *viri docti* egregiè congruere jam supra satis demonstravimus ubi quidem nos admonuit, *quantùm Oratorius character ab epistolari discrepet, & quàm multa rursus tolerantur in epistolis, quæ ab operibus dogmaticis prorsus ablegantur*? At si ex eodem, nil *mirari subit pauciores esse hujusmodi figuras in literis, quàm in sermonibus, nec mirum si in his rariores adhuc sint, quàm in hoc scripto* de Vocatione, *quod totum dogmati explicando consecratur*. Si hæc, inquam, ut connaturalia admirationem excitare nullam debent; cur posthàc *Quesnello*, aliisque insolens videri posset, si in libris qui non *dogmati explicando*, sed validè refutando, hostibus premendis ac comprimendis, calumniis depellendis, telis retorquendis *consecrantur*, longè etiam *rariores sint hujusmodi figuræ*, quàm in residuis ejusdem autoris operibus, cùm in aliis præcipuè, has *vitare studuisse* modulationes edoceat nos *Leonis* illustrator. Quid si & in istis *dogmati explicando litatis* tractatibus, modulatiorem illam orationem ex consilio studioque ambitam nobis reserasset, pro juribus *Prosperi* nolens etiam decretoriè judicasse convinceretur? Sed si hæc tandem incurrerent, tantò minùs augurandi se daret occasio tale expostulandum esse judicium, quòd in quo *vir doctus* asseruit *vitandis persæpe rithmis studuisse* Prosperum, *& de secandis, periodorum membris non ita fuisse solicitum*, omnium rectissimè sensit. Tam enim verum est, tamque manifestum rem ab *Aquitano* nostro ex studio & industria, præstitam esse, ut clarius esse non possit. Nam ejusdem facundia adeo suavis, ejus ora-

XXXV. *Prosperi* genius atque character in libb. *de Vocat* magis ac magis conspicui:

tio ita nitoris hujus & modulationum universim retinens est, ut quamvis in libris quos, datâ occasione, contra hostes hinc inde insurgentes elucubravit, nec ratio temporis, nec sermonis character hæc aliaque paterentur dictionis ornamenta; in iis tamen tot & tantæ interdum eorum radiationes elucescunt, ut tinnuli ejus modulatique sermonis, quo præfulgent *de Vocatione* libri, eam similitudinem referant, quâ nec gutta guttæ similior videri poterit. Non tam prolixæ quidem, continentesque illæ sunt periodorum consecutiones, non enim tales, ut sæpiùs dictum est, admisisset hoc disputationum genus; sed quales concinnatæ sunt, satis manifestant hominem *arte præstantem*, ut ait ipse *Quesnellus*, hâc tandem lege solutum, facilè & procliviter in hanc elegantiarum seriem dilabi potuisse, quæ adducti in contentionem opusculi lineas penè omnes condecorant. Et earum quidem aliqua specimina ex disputationum tractatibus excerpta heic subjicienda connectere interdùm movebamur, ut nostra liquidiùs pateret assertio: sed quia ista hinc inde colligata licet modulatæ illius orationis consensionem ad vivum repræsentarent, sensum tamen usquequaque cohærentem (de quo tamen res non est) reddere non poterant, ab iis consuendis abstinemus; non tam, quòd hæ commissuræ severioribus Grammaticis esse possent offendiculo, quàm quòd in utriusque styli comparatione mox aggredienda, quasdam, prout se dabit occasio, interseremus ejusmodi selectas periodos, uti conceptuum, ita & dictionis puritate convenientissimas; unde nostra, quantùm conjicimus, satis firmabitur existimatio. Adeoque jam actum, aut suo loco utcumque agendum non heic agimus.

etiam ex iterato *Quesnelli* suffragio.

Sed interea rerum, accipe tertium istud ejusdem *viri docti* judicium, quo, triplici veluti funiculo, sententiæ nostræ fundamenta sic colligat, ut vel ex ipsius principiis, nullâ arte disrumpi, vel concuti possint: sic enim ejusdem penicillo residua *Prosperi* lineamenta reducuntur, & istius in tuto causa deinceps ab ipso ponitur. Namque *Dissert* 2. n. 12. hæc solenniter pronuntiat: *certè*; inquit, *Autoris librorum de Vocatione stylus* Prosperiano *longè castigatior, concinniorque, elegantior dictio, periodi magis commensuratæ, antitheses, sententiarum verborumque pugnæ frequentiores, schematum usus crebrior, tota denique oratio ex* AFFECTATO *rithmorum occursu longè modulatior.* HOCQUE INPRIMIS ATTENDENDUM, *ut pote* NONNISI *ex* CONSILIO STUDIOQUE NATUM: *non enim tunc solùm occurrunt, cùm in eos velut sponte currere videtur oratio,* QUOD ET NONNUNQUAM

IN PROSPERO INVENERIS, *sed aliis etiam in locis, ubi* NONNISI DATA OPERA *usurparentur.* Id itaque *inprimis* nobis *attendendum Quesnellus* ingerit, *ex studio consilioque natum*, quòd *Anonymi* oratio *ex affectato rithmorum usu longè modulatior* sit, quàm in *Prospero*, licet *nonnunquam* in isto *reperiantur*, *cùm in eos sponte currere videtur oratio.* At nobis *Vir doctus* ex altero *Aquitanum* nostrum depingit, qui etiam ipsis rithmis *persæpe vitandis studuisse videtur:* unde id ultrò consequens exurgit, quòd illa hinc inde opera, mirè aliunde inter se congruentia, in quorum aliquibus, in rithmis istiusmodi *persæpe vitandis* ac cohibendis opera locata est, in residuis autem industria ex adverso adhibita ut studiosè adsumerentur, unum & eundem vel ex hoc artificem redolent & reclamant; qui pro temporum circunstantiis & argumenti ratione, hâc styli diversitate genuinè & connaturaliter usus erit. Quemadmodum igitur illum contraxit & à sectis modulatisque orationis membris temperare sibi debuit *Prosper* in contentiosis illis scriptis contra adversarios repentinò editis: ita vicissim diffluere & in hac ordinatissima modulatione luxuriari potuit facundissimus autor, cùm replicandi & hostium vestigia pedetentim consectandi necessitate solutus genio suo indulgens, & pro libito viam sibi fragens argumentum satis amicè suaviterque persequi sibi proposuit. Hoc certè tam facile & spontaneum sibi quisque eò magis persuaserit, quòd *Prosper* ad istos concentus, rithmosque adsumendos proclivis admodum fuerit, quos utique ex sæpiùs citata adversarii testificatione *persæpè vitare studuit.*

XXXVI. Ex oppositis constab litur ista consensio.

Porrò, ut huic etiam, quæ modò occurrit, conjecturæ, seu momento locus suus sit, quid, quæso, insipientius magisve ludicrum, quàm si *Prosper* æstû disputationis adversùs hostes abreptus, derepentè vela contraxisset, ut in hac verborum commensuratione luderet, quod ita respuebat hic orationis character, ut hoc *persæpe vitare studuerit.* Quid autem vice versâ inconcinnius, quàm si ille dissidia componere parans, & *concertationes omnes, quas intemperantium disputationum gignit animositas*, removere & *abdicare* se velle contestans, hoc nervosum dicendi genus affectasset, & in illam amicam sibi familiaremque modulati sermonis consectationem, sæpiùs olim à se repressam, non frequentiùs illapsus esset. In his certè nil ab *Aquitano* extraneum, nilque prorsus quod ejus artis facundiæque lineas omnes non repræsentet; quæ magis ac magis tales semper esse demonstrabuntur, quandiù illud satis palmare revocabitur, Scriptoris

animo altè infixum fuisse nomen suum ut supprimeret, personamque dissimularet; tanquam quod è re publica, suâque esse pristinis ex congressibus meliùs noverat. Quæ ratio sæpiùs reducenda est, quòd talis profectò sit, ob quam tot aliunde momentis in *Aquitani* causam coëuntibus, potior ante, notiorque styli dissimilitudo sustinenda esset, quàm hæc duorum *de Vocatione* librorum eidem abjudicaretur opera: semper enim illud aptè, consequenterque incurreret, arte, quâ præstabat artifex, præstitum, ne dignosceretur. Sed, ut replicamus, illa differentia tanta non est, nec ea major (servatâ quam annotavimus proportionne) quæ in indubiis *Prosperi* operibus cernitur: ubi iisdem objectionibus & querelis ad nauseam usque recoctis, mirâ varietate & copiosissimâ conceptuum ubertate respondet, quod in selectis schematis nostris, pro opportunitate demonstramus.

Dissimulandi nominis quā studiosus in hoc tractatu *Prosper*,

Ceterùm ut in hoc opere *de Vocatione* facundiæ artificium adjungi res postulabat, nec alia ejus ordinis & elegantiæ scripta è *Prosperi* calamo prodierant, quæ huic conferrentur, ideò quandoque cùm de *Anonymo* dignoscendo quæstio mota fuit, in varias quandoque sententias itum est, licet sæpè sæpiùs cum dubio, ne talia scripta essent *Prosperi*, cujus nomen postea prætulerunt; tantam inter utraque similitudinem advertêre Veteres. Quod si illius certò sunt, ut nobis pro certo est, bellè profectò & plusquam feliciter cessit ausus opifici: & tantò feliciùs quidem, quantò iste pro ignoto haberi contendens, per tot retro sæcula, pro ignoto sæpiùs, quàm pro noto autore variè admodum jactatus est. Et nuperrimè licet pro *Leone* exhibitus, illico tamen in priorem fortunam regressus, pro incognito, dubioque, ut se primùm esse voluerat, à pluribus saltem reputari perrexit; quos suam in sententiam adducere non potuit *vir doctus*, tot tantisque licet rationibus constabilitam. Ad nos quod spectat, specie, lineisque, quibus internoscendum Autorem hucusque dedimus, ultimam, in utriusque styli collatione, veluti colophonem adjicere jam jam properamus.

tàm feliciter ejus studia semper obsecundavit eventus.



DISSERTATIONIS III.
PARS II.
UTRIUSQUE STYLI CONVENIENTIAS, collationes, & observationes exhibens.

I. In hujus Argumenti copiâ, delectûque labor.

IN hujus materiei tractatione nonnisi copiâ, & rerum ubertate laboratum nos ire præmonemus. Etenim cùm primò conceptum propositum sæpius mente revolventes, nostris interim adversariis, prout se dabat occasio, satis promiscuè inscriberemus, quæcumque stylo vel argumento similia in *Prosperianis* libris occurrebant, ut inde penes nos certiùs statueretur, quid consilii tandem nobis capessendum esset? contigit ut variis temporibus variâ lecturitione annotata, ad determinandum judicium sufficientia nobis ex quo visa sunt; loca illa diligentiùs conferre, & ordinatiùs secernere parantibus, ista aliorum longè plurium memoriam excitarint: quorum itidem collatione factâ & collectione comparatâ, in immensum penè labor excrevit. Imò & excrescit, hæc postremùm sub incude prementibus, ubi multa resecare dùm studemus, nova interdùm subjungimus: quæ quod ulteriùs fecerimus, non saltem usquequaque probare quosdam nunc intelligitur, quorum è contra prudentius consilium visum fuisset, ut in re, quæ illis clarior videtur, ab prolixiori inquisitione temperassemus. At cùm non ita facilè definitû sit, quid ex his retinendum, quidve succidendum foret; cùm sæpè alia aliis expressiora videantur, habeantque singula, singulares quasdam similitudinum fibras, quæ adjunctæ & invicem adunatæ, lineamenta ex adverso figurata sinceriùs repræsentant, & ad genuinam inquisitæ rei notitiam consequendam securiùs conducunt; non frustraneum speramus fore, quòd tantæ species reductæ sint in unius imaginem conspirantes. Et aliis quidem id concessisse sufficiat, ne libris integris *de Vocatione* &c. reductis & de novo editis, selecta *Prosperi* loca omnino respondentia opponere per totum deinceps tentaverimus; ex primis licet ausibus in cassum non redituram operam speraretur. Nobis itaque multùm erit his in Collectaneis (ut Autoris nostri tam versatas formulas occupemus) *ad aliquem limitem pervenisse, quem non debeamus excedere.* Rem itaque dispiciamus.

II. Conſpectus I. tabulæ collationum.

Excerpta ex Cap. I. *lib.* I. de Vocatione.

I. *Inter* defenſores liberi arbitrii, & prædicatores gratiæ Dei, magna & difficilis dudùm vertitur *quæſtio*. .... cur *voluntas* Omnipotentis... cùmque ſecundum *voluntates* hominum, &c.

2. Dùm non diſcernitur quid *manifeſtum*, quid ſit *occultum?*

3. De hac igitur compugnantia opinionum, *quâ menſurâ* & temperantiâ *ſentiendum* ſit, quantùm *Dominus adjuverit*, annitar inquirere, *exercens* atque diſcutiens modulum *facultatis* meæ.......

4. Si in eas *regulas* proceſſerit ſtylus, quæ nihil *offenſionis* habeant, utile ſit, ad aliquem nos *limitem* perveniſſe, quem *non* debeamus *excedere*.

Ex aliis Proſperianis *excerptis*.

I. Cùm de ſanctarum *origine voluntatum*, & fidei principiis *inter* Noſtros, & Pelagianos verſaretur *quæſtio*. cont. *Coll. cap.* II.

2. Conſilio *occulto* & opere *manifeſto*. ex epiſt. ad *Auguſt*.

3. *De* contextû diſputationis excerpta miſiſtis, ut *quo* intellectu, vel *quo* judicio ea acceperim noſceretis; quaſi non magis in hoc examine veſtræ *facultatis* debueritis *exercere menſuram*..... verumtamen obſequium meum non ſubtraham, & *adjuvante Domino*, quid cum eruditis fratribus *ſentiam*, breviter indicabo, &c. Præf. ad Excerp. *Genuen*.

4. Hæc omnia quid *offenſionis* pariunt? Quid, &c. *Ibid.* Reſp. ad Dub. 4.

4. In qua ſententia, ſi autor ipſius permaneret, Eccleſiaſticam *regulam non excederet:* neque, &c.

5. Inter voluntatem & gratiam Dei quorundam non ſana diſcretio eſt, exiſtimantium quòd prædicatione gratiæ, *liberum* negetur *arbitrium* : *nec* advertentium eâdem regulâ ſibi poſſe objici, quòd *gratiam* negent, cùm eam humanæ voluntatis *non ducem* volunt eſſe, ſed *comitem*. Si enim tollitur voluntas, ubi ipſa eſt verarum *origo* virtutum ? ſi tollitur gratia, ubi eſt ipſa bonorum cauſa *meritorum*?

5. Neque ſimul & libero arbitrio offenſus & gratiæ Dei eſſet ingratus, quorum dùm unum in Paulo, aliud in Zachæo & latrone judicat operatum, non intelligit in illis ſe *liberum arbitrium*, in iſtis *gratiam* ſuſtuliſſe.... Quis non videat, quòd hæc doctrina meritum libero aſſignet arbitrio, quo præveniatur gratia, quæ ei famuletur, reddens debitum, *non* conferens donum? cont. *Collat.* c. 15.

5. Nec conſiderant ſe *gratiam* Dei, quam *comitem*, *non* præviam humanorum volunt eſſe *meritorum*, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea, &c. Epiſt. ad *Aug.*

5. gratia *juſtificet*
Quæ ſic in cunctis implet ſua dona vocatis
Ut quorum dux *eſt*, *fiat & ipſa* comes.
Epig. 46.

6. *Sed jam*, auxiliante Chriſto, *quod* tractandum concepimus inchoemus.

6. *Sed jam*, conſideremus, quod de ſubſequentibus annotaſtis. Reſp. ad 3. *Genuen.*

III. Observationes.

1. Aut in ipſo limine offucias nobis obducimus, aut manifeſtis indiciis delecta utrinque ſchemata egregiè conſpirant. Et pro primo quidem, quæ *verti* dicitur *quæſtio inter* defenſores liberi arbitrii, & prædicatores gratiæ Dei, hæc *inter* Noſtros & Pelagianos *verſari* memoratur *de ſanctarum origine voluntatum*, &c.

2. Locutionis hujus formula perſpicua eſt, ſed & *Proſpero* familiariſſima, quâ *occultum manifeſto* ſemper opponit.

Mira rerum verborumque conſenſio.

3. In orationis contextû, verborumque proprietate tanta ubique collucet conformitas, ut nec gutta guttæ ſimilior videri poſſit: nam ut eodem tramite decurrit ſermo, ita par eſt locutio: *de* hac igitur compugnantia opinionum: *de* contextu diſputationis. Deinde: *quâ* menſurâ & temperantiâ: *quo* intellectu, vel *quo* judicio. Tùm: quantùm *Dominus adjuverit* annitar, &c. *juvante Domino* indicabo. Denique: *exercens* atque diſcutiens modulum *facultatis* meæ. Et: veſtræ *facultatis* debueritis *exercere* menſuram. At quod omnium maximum, utrinque in uno præfationis argumento idem dicendi character, una ratiocinii methodus.

4. Tam ſolenne porrò eſt *Aquitano* in omnibus ſuis diſputationibus certos ſibi circumſcribere *limites*, ut identidem id præmoneat, & hac etiam voce utatur: quo planè ſignificatû eam modò adhibuit oppoſito textui planè reſpondentem, ut liquidiùs ſequentia manifeſtabunt.

Caſſianus pedetentim impugnatus.

5. Fallimur vehementer, niſi heic recrudeſcenti, hiantique *Caſſiani* vulneri iterùm novo apparatû adhibetur medica manus: Eſto enim quòd eam utcumque contexerit *Anonymus*, quòd ſciret, altèque id ex Magiſtri præceptis inſediſſet: *doloſi vel imperiti medici eſſe, etiam medicamentum utile ſic alligare, ut aut non proſit, aut obſit.* At ſi aliûs manus eſſe videantur, vox quidem, vox eſt *Proſperi.* Quemadmodum enim jam cauſatus fuerat *Caſſianum* non ſtabiliter in definitione priori permanentem *Eccleſiaſticam regulam exceſſiße*, ita heic ſibi proponit intra eos limites diſputationem conſcribere, ut exceſſus poſtulari nuſpiam valeat; quod *Auguſtino* Maſſilienſes exprobraſſe vidimus. Sed quia tota compugnantia in ſana diſcretione operationis gratiæ & voluntatis vertebatur; ut heic aſſeruit *Proſper*, *Caſſianum* in uno *liberum arbitrium, in altero gratiam ſuſtuliſſe*: ſic omnino poſtea eorum dementationem refricat: qui *prædicatione gratiæ liberum arbitrium negari* muſſitabant. Tùm mox eidem *Collatori* opponit eum ſuâ hâc doctrinâ *meritum libero aſſignare arbitrio*, quòd ſi gratiam prævenit, hæc ei *famulari* convincitur. Et ille prorſùs in hunc ſenſum advertendum monet, eos qui liberum arbitrium ſic attollunt, gratiam negant, *cùm eam voluntatis humanæ non ducem volunt eſſe, ſed comitem.* Quòd ſi illa non comes, ſed dux eſt, à famulitio longè eſt. Porrò ut heic *Caſſianum* vellicari liquidiùs appareat, ſubjicienda ſunt ejus verba cap. 11. *collationis* 13. in quæſtione poſitæ, ubi ſequentia de hoc argumento pronuntiat: *Et ita ſunt hæc quodammodo* INDISCRETE' *permixta, atque confuſa, ut quid ex quo pendeat, inter* MULTOS MAGNA QUÆSTIONE *volvatur, id eſt utrum quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, miſereatur noſtri Deus, an quia Deus miſeretur, conſequamur bonæ voluntatis initia?* MULTI *enim ſingula hæc quærentes &* JUSTO AMPLIUS *aſſerentes, variis ſunt erroribus involuti.* Quia igitur *Auguſtini* diſcipulis plura *juſto amplius* aſſeruiſſe deputabatur, ita hoc prævertere ſtudet pacificus ſequeſter,

dum,

dùm, initio altâ voce declarat, se ea methodo temperare stylum velle, ut intra *eas regulas* hunc cohibeat, *quæ nihil offensionis incurrant*, &c.

Sed si magis tandem manifestandus est ipse *Prosper*, quis non videat, quòd ipsemet hæc sua contra *Collat.* postrema verba: *gratia* reddens *debitum*, non conferens *donum*: resumat ex integro in ipsis primi cap. *de Vocat.* lineis, ubi in hoc ipso sensu ait: si *gratia*... constat eam non *donum* esse, sed *debitum*, &c. At ad alia pergamus, namque voces istas à *Prospero*, ab ipsis disputationum initiis occupatas satis superque demonstrat postremùm occurrens ejusdem ad *Augustinum* epistolæ locus, quo jam hæc de voluntatum patronis, seu de liberi arbitrii defensoribus exposuerat; *nec considerant se gratiam Dei, quam* COMITEM, NON *præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab eâ, secundùm phantasiam suam, non negant esse præventas.* Quam in expositionem non pauca notanda venirent. Nam *Cassianus* & alii sequaces humanas voluntates à gratia *præventas* quandoque fatebantur: at quia idipsum *secundùm phantasiam suam* applicabant, & retrahebant, ideò his jam eruditus à Magistro solicitus Discipulus lectiones illas heic & alibi inculcare non moratur, *ut in regulas procedat stylus, quæ nil offensionis* haberent. Porrò & locutiones utrinque similes irradiant, dùm de istisarbitrii patronis recurrit sermo: *nec advertentium.* Et: *nec considerant.* Tum hæc oppositio hinc & inde insignis est: *humanæ voluntatis* NON *ducem volunt esse, sed* COMITEM, &c. atque: quam COMITEM, NON *præviam humanorum volunt esse meritorum.* Quibus & vocibus in carm. de *Ing.* jam usus erat, ubi: *ut quorum* DUX *est, fiat & ipsa* COMES.

6. Neque hæ transitionum formulæ: *sed jam consideremus*, &c. extraneæ sunt *Prospero*, nam & eas denuò reducit lib. con. *Collat.*

Ceterùm quemadmodum ex variis *Prosperianis* solutæ orationis excerptis capitis istius seu proëmii methodum ac locutiones splendidè reduximus, non ab instituto alienum, quia id locus admittit, ejusdem proëmii aliud non minùs absolutum exemplar, seu ϖρολόγον, ex autore metricè primùm discurrente subjicere, quippe qui in præfatione carminis de *Ingratis* jam cecinerat:

Aliud metricum *Anonymi* exemplar.

Unde voluntatis sanctæ subsistat origo
Unde animis pietas insit, & unde fides:
Adversùm Ingratos *falsâ & virtute superbos*
Centenis decies versibus excolui.
Quos si tranquillâ studeas cognoscere curâ,
Tutus ab adverso turbine lector eris.
Nec libertate arbitrii rapiere rebellis,
Ulla nec audebis dona negare Dei.
Sed bona quæ tibi sunt, operante fatebere Christo,
Non esse ex merito sumpta, sed ad meritum.

En versificantis *Prosperi* circa eandem de voluntate & gratia Dei quæstionem aculeatum prologum, quem si quis *tranquillâ* etiam *curâ* comparare studeat cum *Anonymo*, facilè inter utrumque collucebunt illi singulares similitudinum species.

Ex cap. 4. *lib.* I. de Vocat.

IV. Conſpectus 2. tabulæ.

I. Voluntas priuſquam ſpiritû Dei agatur, etiamſi ſupra ſenſualem motum ſe ſe attollere poteſt, tamen ſine ſummi amoris participatione in terrenis *occiduiſque* verſatur.

2. In hâc humana *ingenia etiamſi* corporeæ voluptati non turpiter ſerviant, & cupiditates ſuas juſtitiæ atque honeſtatis legibus temperent, nihil ſupra mercedem gloriæ temporalis acquirunt. Et cùm præſentem *vitam* decenter exornent, *æterna* tamen beatitudinis præmium non habent: quia rectas rationes & bona ſtudia ſua, non ad ejus laudem, atque honorem referunt, à quo acceperunt, ut in ipſa animali diſcretione *ſublimius* ſaperent & excellentiùs ceteris eniterent.

3. Cùm enim quidam non ſolùm ad inſtituta utiliſſimarum *artium*, & doctrinas liberalium diſciplinarum, ſed etiam ad inquiſitionem *ſummi boni* aciem mentis intenderint, & inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexerint. Rom. I. 20.

Ex aliis Proſperian. *excerptis.*

I. *Non ſinit eniti regna ad cæleſtia mentem*
Obſtructam varii, ociduiſque *gravem*
(Epigram. 80.)

2. Quamvis *multa homini poſt vulnera prima ſuperſint.*
Quæ vitam *hanc faciant laudis habere decus*
Si tamen ingenio *claro.* (ibid.)

2. *Et* licet *eximias ſtudeat pollere per artes,*
Ingeniumque bonum generoſis moribus ornet,
Cæca tamen finem ad mortis per devia currit
Nec vitæ æternæ *veros acquirere fructus,*
De falſâ virtute poteſt, vanamque decoris
Occidui *ſpeciem mortali perdit in ævo.* (De Ing. *c.*16.)

2. *Si quid enim de principiis felicibus illi*
Et vita exilii ſupereſt prudenter agendâ,
Hoc ſecum & quo nihil ſublimius *in ſe*
Credit, amatque.

3. . . . *amatque ſuum mundi ſapientia ſenſum*
Innumeras ſe ſe claram mirata per artes,
Quòd conjecturis ſublimibus abdita quærit,
Quòd ſtudium fandi excoluit, quòd legibus, &c.
Jam cùm exercetur numeris ad, ſidera Cœli
Per curſus noſcenda ſuos. . . . (Ibid. *c.* 41.)

3. Neque enim ignotum eſt, quantùm Græciæ ſcholæ, quantùm Romana eloquentia & totius mundi inquiſitio circa inveniendum *ſummũ bonum* acerrimis ſtudiis, excellentiſſimis ingeniis laborando nihil egerint, &c. c. 26. con. *Collat.*

E ſerie ejuſdem cap. 4.

4. Non agentes tamen gratias Deo, nec confitentes illum ſibi eſſe hujus facultatis autorem, ſed dicentes ſe eſſe ſapientes, hoc eſt non in Deo ſed in ſemetipſis gloriantes, quaſi ad veritatis inſpectionem, ſuis ſtudiis atque rationibus, propinquaſſent, *evanuerunt in cogitationibus ſuis.*

5. Relapſi à ſuperna luce in tenebras ſuas, hoc eſt ab incommutabili, atque æterno bono ad mutabilem, corruptibilemque naturam. Cùm ergo tales in amorem ſui *recidunt*... nihil in ſe habent, quo ad vitam provehantur æternam.

Ex aliis Proſperian. *excerptis.*

4. *Quàm ſpecioſa ſibi eſt, & quàm* vaneſcit *in ipſis* Rom. 1. 2.

Quæ licet ex primo natura habeantur honore

Non tamen.

4. Laborando nihil egerint niſi ut *evaneſcerent in cogitationibus ſuis*, & obſcuraretur cor inſipiens eorum, qui ad cognoſcendam veritatem ſemetipſis ducibus utebantur. *Ibid.* c. *Collat.*

5. *Quàm ſpecioſa ſibi eſt & quàm vaneſcit in ipſis....*

Non tamen ad veram poſſunt perducere vitam.

Denique ab his præceps, in multas religiones

Decidit, *& factis hæſit, Factore relicto.* *ibid.* De Ing. c. 41.)

V. Observationes.

His *Anonymi* placitis non uno ore, vel unicâ operâ concinit *Prosper*, seu enim pedestri stylo seu metrico sermonem instituens, luculenter & per omnia hujus capitis sensui adhæret. Hoc porrò sibi demonstrandum proponit Autor voluntatem humanam etsi bonis moribus & laudabilibus studiis accensam, absque gratiæ illuminatione, nil supra mercedem gloriæ temporalis acquirere.

1. Itaque naturam in *occiduis* terrenisque versantem repræsentat.

2. Ejus studium ad acquirendas virtutes perperam ordinatum describit, quod adeoque temporalem tantùm mercedem obtinet. Porrò expungit sua in editione *Quesnellus* has voces: *in ipsa animali discretione*, ex duorum Mss. codd. fide, quòd *glossematis*, inquit, *speciem habeant*. Nos antiquam lectionem Mss. aliorum codd. autoritate probatam retinemus, quia cum anteriùs voluntatis *duo genera* statuerit & sensualem ab animali discreverit, cohærenter heic *animalis* ista *discretio* reducitur, quæ utique *supra sensualem appetitum se attollere potis est*, ex Autoris principiis.

Antiqua lectio cur retenta?

3. Hinc progressum ad artes, & doctrinas liberalium disciplinarum inducit.

4. & 5. Hæc tandem Creatoris beneficio parta, sed ad eundem non relata, causam esse cur illico in præceps labatur eadem natura, demonstrat. Quæ omnia ex *Augustini* c. 25. lib. 19. *de Civit. Dei*, præcipuè deprompta esse patet, vel ex his: *proinde virtutes, quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitiis, ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsa, vitia sunt potiùs, quàm virtutes. Nam licet à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cùm ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ & superbæ sunt.*

Quam egregiè conspiret cum *Anonymo Prosper*?

Sed si his jam notatis commensuranda sunt *Prosperi* verba, cuncta plenissimè cohærere demonstrabuntur. Siquidem 1. quàm hæc elocuti: *supra sensualem appetitum se se extollere non potest*: isti sit simillima: *non sinit eniti mentem, &c.* magis etiam ista vocum adhibitio declarat: *in occiduis versatur*, quæ per has redduntur: *occiduis* gravem: ubi sanè eadem sermonis structura satis elucet.

2. Hinc *humana ingenia cupiditatibus non servientia, justitiæ & honestatis legibus temperata*: inde pariter: *bonum ingenium generosis moribus* ornatum, &c. Quæ autem *æternæ beatitudinis præmium non* inde *habere* posse notantur, similiter prorsùs: *æternæ vitæ veros acquirere fructus* non posse asseruntur.

3. Jam ad *instituta utilissimarum artium, doctrinas liberalium disciplinarum & inquisitionem summi boni*, si decurrit unius sermo; succinit alter: *innumeras artes, & eximias, & totius mundi inquisitionem ad inveniendum summum bonum* egregiè attollendo.

4. Sed & ut ille notat: quòd *dicentes hi se esse sapientes & in semetipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem suis studiis propinquassent, evanuerunt in cogitationibus suis*: ita iste sincerissimè prorsùs conspirat, dùm ait hujusmodi sapientes: *laborando nihil egisse, nisi ut evanescerent in cogitationibus suis, qui ad cognoscendam veritatem semetipsis ducibus utebantur.* Item & illud: *quàm vanescit in ipsis?*

5. Denique qui sic *relabuntur & decidunt, à luce in tenebras, nihilque in*

se habent, quo ad vitam provehantur æternam, nonne germanè per hos designantur sapientiâ imbutos : *quæ præceps decidit in multas religiones, dùm vanescit in bonis, quæ ad veram non poßunt perducere vitam?* In quibus omnibus prorsùs idem sensus, idem styli character, idem singularium vocum & locutionum usus, utrinque semper coëunt, semper enitent, semper consequuntur.

Porrò nec alia deerunt in excerptorum adductorum serie, quæ alias similitudinum lineas referant, ut rem otiosiùs expendenti planum erit. Nunc, quia nobis crescunt spatia, epigramma 80. per partes datum, integrum subjicimus, unde major sensuum cohærentia patebit.

Quamvis multa homini post vulnera prima supersint,
Quæ vitam hanc faciant laudis habere decus:
Si tamen ingenio claro & probitatis amori
Fons desit fidei, subdita corda rigans;
Cunctarum frugum marcescit inutile germen,
Nec fruitur vero lumine falsus honor.
Ignoratus enim Deus, & non credita virtus
Quæ vera ad summum provehit arte bonum,
Non sinit eniti regna ad cælestia mentem,
Obstructam vanis occiduisque gravem.
Perque omnes calles errat sapientia mundi,
Et tenebris addit, quæ sine luce gerit.

Ex Cap. 7. lib. 1. de Vocat.

VI. Conſpectus 3. Tabulæ.

1. Heic tractandum videtur utrum, cùm bonæ voluntatis eſſe homo incipit, eadem quæ in ipſo erat corrigatur voluntas, an alia ei, quam non habebat, & quæ priori repugnet, detur: quod ut evidenter appareat . . . . .

2. Omnes homines in *primo homine* ſine vitio conditi ſumus, & omnes naturæ noſtræ incolumitatem *ejuſdem* hominis *prævaricatione perdidimus.*

3. *Inde* tracta mortalitas: *inde* multiplex corporis animique corruptio: *inde* ignorantia & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, ſacrilegi errores, timor vanus, amor noxius.

4. His ergò atque aliis malis in naturam humanam irruentibus, *fide perditâ*, ſpe derelictâ, intelligentiâ obcæcatâ, voluntate captivâ, nemo in ſe unde repararetur invenit.

Ex aliis Proſperian *excerpt.*

1. Non periculum liberi arbitrii ex gratia Dei, nec voluntas aufertur, cùm in ea bene velle generatur. c. *Collat.* c. 11.

1. Quia virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur ut non ſint, ſed ut ex malis bonæ, ex infidelibus fideles, &c. *ibid.* c. 15.

2. Rectum atque omni *vitio* carentem creatum eſſe *hominum primum*, in quo omnium concreata eſt natura ... in quàm profundum malum natura demerſa ſit *illius prævaricatione* in quo omnes peccaverunt, & quidquid ille *perdidit perdiderunt. ibid.* c. 18. & 19.

3. *Inde* . . . . labitur memoria, errat judicio, nutat inceſſu, neque ullo modo idoneus eſt ad . . . . . . *ibid.*

3. *At poſtquam rupta mandati lege &c.*
Corruimus, tranſcurrit viroſa per omnes
Peccati ebrietas . . .
Hinc *animi vigor obtuſus caligine tetrâ*
Induitur. (De *Ing.* c. 27.)

4. *Perdidit* autem primitùs *fidem*, perdidit continentiam, perdidit caritatem, ſpoliatus eſt ſapientiâ & intellectu, caruit conſilio & fortitudine. *ibid.* c. *Collat.* c. 19.

E ſerie ejuſd. cap. 7.

5. Quia etſi fuit qui naturali intellectu conatus ſit vitiis reluctari, hujus tantùm temporis vitam ſteriliter ornavit, ad veras autem virtutes æternamque beatitudinem non profecit, *ſine cultu enim Dei*, etiam quod virtus videtur eſſe, peccatum eſt.

6. Qui vero *Deo* non placet, cui niſi ſibi & *Diabolo* placet? à quo cùm homo *ſpoliaretur non voluntate*, *ſed* voluntatis ſanitate privatus eſt: quia nec detrudi ab innocentiæ ſtatu poſſet, niſi voluntate peccaret.

7. Quæ ergo natura bona, qualitate facta eſt mala, & ille animi *motus*, qui nunquam poteſt eſſe *ſine aliquo amore*, hoc eſt ſine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, ſed mutavit affectum.

8. Cum igitur homo ad pietatem redit de quo ideò dictum eſt: *ſpiritus vadens & non rediens*, quia niſi Deus illum converteret non rediret: cùm fit *novum figmentum*, *novaque creatura*, *non* alia in eo creatur *ſubſtantia*, *ſed* eadem quæ fuerat labefactata reparatur, nec aliud ab eo aufertur, quàm vitium, quod natura non habuit.

Ex aliis Proſperian. *excerpt.*

5. Quæ tamen etiamſi cunctis mortalium eruditionum polleat diſciplinis juſtificari ex ſe non poteſt, quia ſuis bonis male utitur, in quibus *ſine cultu* veri *Dei*, unde ſe defendi exiſtimat, accuſatur.

5. Ac ſic vitium eſt, quod putatur eſſe virtus (*Ibid.* c. 29.)

6. Homo deſerens *Deum* & ſequens *diabolum*..... naturæ enim humanæ in illa univerſalis prævaricationis ruinâ, nec ſubſtantia erepta eſt, *nec voluntas*; *ſed* lumen decuſque virtutum, quibus fraude inimici *exuta* eſt. *ibid.*

7. .... *Hinc arbitrium per devia lapſum*
Claudicat, & cæcis conatibus inque ligatis
Motus *ineſt, non error abeſt, manet ergo voluntas*
Semper amans aliquid, *quò ſe ferat & labyrintho*
Fallitur, ambages dubiarum ingreſſa viarum.
(De *Ing.* ſupra.)

8. Manens enim liberum arbitrium, quod utique cum ipſo homine Deus condidit, à vanitatibus ſuis .... *Pſ. 77. 39.*
non à ſe ipſo *ſed* à Creatore mutatur: cujus ſumus *nova creatura novumque figmentum creati in* &c. c. *Collat.* c. 26. *Epheſ. 2.*

8. Mittitur in illos ſpiritus Dei, ut fiant nova creatura: deficiente malitiâ, non pereunte *ſubſtantiâ*. Exp. *Pſal.* 103. v. penul.

VII. Observationes.

Dum capitis hujus septimi doctrinam primoribus labiis tantùm degustare proponeremus, tam suavem concinnamque deprehendimus, ut totam sensim non ebibere fas non fuerit. Integrum itaque caput exscriptum est, in quo quidem notabilis quæstio instituitur, atque resolvitur, an scilicet *cùm bonæ voluntatis esse homo incipit, eadem quæ in ipso erat, corrigatur voluntas, an alia ei quam non habebat, & quæ priori repugnet detur?* Quæ quidem quæstio ab *Anonymo* postremùm mota *Prosperi* disputationum frequens argumentum fuit, & in qua disertè extricanda non semel operam studiumque locavit. Quomodo autem ejus omnem seriem in contentioso libro tractatam variè variis operibus & occasionibus persecutus ipse sit, egregiè ostendunt selecta ejus excerpta, in quibus ita sincerè occupat redditque, quidquid expressiùs singulariusque habetur in altero, ut nisi ea menti altiùs infixa habuisse & hæc præcessisse ostendissemus, alia præ oculis manibusque, ad omnem referendam imitationem, gestasse credendum induceretur. Quod ne in quibus circumscribimur, limites transgrediamur, his paucis retractare præstat.

Aut *Prosper* hoc caput digessit, aut alius autor *Prosperum* præ oculis, manibusque habuit, dum illud exscripsit.

1 Igitur ad præfati capitis normam supponit *Prosper* voluntatem homini propriam, esse nec de novo creatam: quia *virtus gratiæ*, inquit, non hoc in voluntatibus operatur ut non sint, sed ut ex malis bonæ, &c.

2. Adæ prævaricationem iisdem penè verbis & locutionibus exprimit. Atque hinc primum hominem sine *vitio* conditum; inde: *primum hominem* omni *vitio* carentem. Tum: incolumitatem ejusdem *prævaricatione perdidimus*: Et: quidquid illius *prævaricatione perdiderunt.*

3. Mala inde subsecuta describit, & seu metrico, seu pedestri stylo mentem suam explicans, sui nunquam immemor suas in familiares voces erumpit. Ista omnium vice sit: *Inde*, quâ sicut utitur Autor: *inde* tracta mortalitas: Iste pariter *inde* labitur, &c. quæ aliaque istiusmodi creberrima nisi eandem venam referunt, incognoscibilis est quæcumque styli similitudo.

4. Hanc naturæ infirmitatem itidem pluribus persequitur ubi: *perdidit* primitus *fidem*: & *fide perditâ*, &c. quæ jactura primo utrobique loco etiam ponitur.

5. Inanes naturæ conatus & mercede vacuos iterum agnoscit, & quod notabilissimum, quia *sine cultû Dei, unde se defendi existimat accusatur*, & rursùs: *vitium est, quod putatur esse virtus*, c. 29. cont. *collat.* ubi sicut & præcedenti hoc argumentum resumitur, in quorum relectione alia plurima similitudinum vestigia deprehendet, studiosus quisque, qualia censebuntur ista c. 28. mox citati: *Reformabilis enim est natura humana formatori suo, & eorum bonorum quæ habuit capax est. Remansit ei rationalis animus, qui non virtus, sed virtutis habitaculum est. Ex participatione enim justitiæ & misericordiæ: non justitia, neque misericordia, sed justi & misericordes sumus. Quæ bona, quamvis rationale nostrum vitiis occupatum sit, & prævaricantibus nobis Dei templum spiritus immundus invaserit, possunt tamen rursus in ipsum rationale confluere per eum* qui mundi principem mittit foras ...... *Puto autem* ISTUM *verisimilitudine decipi & in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis existimat reperiri: ideò scilicet, quia multi eorum sint justitiæ, temperantiæ, continentiæ & benevolentiæ sectatores: quæ omnia non frustra quidem, neque inutiliter habent,*

multùmque

multùmque ex eis in hac vita honoris & gloriæ consequuntur. Sed quia in his studiis non Deo, sed diabolo serviunt, licet habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. &c. quæ non modò selecti schematis, sed totius etiam capitis doctrinam explent. Quò etiam referri possunt quædam Epig. 46. carmina, quorum hæc est inscriptio: *de fidelium culpis & infidelium bonis*, habent enim:

Ut quædam tenues maculæ in splendore piorum,
Major virtutum quas vacuat numerus,
Æternæ donis nequeunt obsistere vitæ,
Nec merita obscurat grandia culpa levis:
Sic aliquid plerumque boni pars impia gestat,
Magni mole mali, quod facilè obruitur.
Nec prodest quiddam recti sapuisse malignis
Si verum & summum non coluere Deum
Una fides igitur, spes una est, atque amor unus,
Quo fiat justus, sitque beatus homo.
Nam bona quæ pravis naturæ ex dote supersunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

7. Naturæ in deterius mutationem & perpetuum *illum* voluntatis *motum* vivis adumbrat coloribus: & quinam, quæso, hoc splendidior? *motus inest: manet ergo voluntas semper amans aliquid* &c. quibus sanè verbis, *quasi* profundissimis lineamentis, illud oppositum germanè repræsentatur: *ille animi motus, qui nunquam potest esse sine aliquo amore.* splendidissima convenientiæ linea

8. Ejus in meliora conversionem, progressusque eundem ordinem, eâdem Apostoli autoritate enucleat; quo in principio frequens est *Prosper*, unde & alibi consignasse notavimus: *mittitur in illos spiritus Dei, ut fiant nova creatura, deficiente malitiâ, non pereunte substantiâ*, quæ satis genuinè hæc adversi Capitis verba referunt: *non creatur substantia, nec aliud aufertur, quàm vitium, &c.* Hinc & c. 14. carm. de *Ing.* in hunc sensum scripserat:

Gratia sed mutans intus mentem, atque reformans,
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.
. . . . *sed unus*
Quod fecit reficit, &c.

Ex cap. 9. lib. 1. de Vocat.

Conspectus 4. tabulæ

1. Quod Scriptura sive de bonis, sive de malis loquatur, sive de electis, sive de reprobis, ita meminit unius *partis*, quasi neminem hominum prætermittat.

Ierem. 31.

2. Dat *enim leges suas in sensu ipsorum easque in cordibus eorum digito suo scribit*, ut agnitionem Dei non doctrinæ humanæ opere, sed magisterio summi eruditoris accipiant.

3. Omnes hi à pusillo usque ad magnum cognoscunt Deum, quia ..... qui prius ad confitendum Deum os non aperiebant, & velut muta atque irrationabilia *animalia* in feritatem transierunt *bestiarum*, divinorum eloquiorum fontibus mundati benedicant & laudent Dominum.

Ex aliis Prosperian. *excerptis.*

1. Ascendisse dicuntur ad æternam Hierusalem tribus, id est populi per suas familias distributi, sed de toto *pars* intelligenda est, quia in omni genere hominum, alii justi, alii inveniuntur injusti. Exp. v. 4. *Psal* 121.

2. Si, inquam, de his Apostolus loquitur, in *quorum cordibus digito suo Deus*, id est Spiritus sanctus *scribit* novum Testamentum, ut legis plenitudinem & opera caritatis naturaliter exequatur, renovata scilicet natura....... contra *Collat.* c. 22.

3. Vidimus hoc etiam in ista creatura bestias sylvæ bibere de fontibus, sed quia per hæc quæ omnibus nota sunt, quædam significantur abscondita, ... *bestias* sylvæ Gentes intelligimus, quoniam sæpè inveniuntur in scripturis SS. Gentes indicatæ nomine *bestiarum*. Exp. *Psal.* 103. v. 12.

3. Sunt enim aquæ istæ ita sufficientes, ut & parva & magna *animalia* quantùm ex eis desideraverint hauriant: quia sive parvuli, sive magni habent unde alantur. *ibid.* per totum.

Ex serie ejusdem cap. 9.

4. Manet prorsus & quotidie impletur, quod Dominus *Abrahæ* sine conditione *promisit* ..... Et illi quidem qui audito Evangelio credere noluerunt inexcusabiliores facti sunt..... sed certum est eos apud præscientiam Dei *Abrahæ* filios non fuisse, nec in illorum sorte numeratos, de quibus dictum est: *benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ &c.*

5. Credituros enim *promisit* qui dixit: *Et non* &c. obedituros promisit.......perseveraturos promisit..... heic si dicamus non fieri, quod Dominus juravit esse faciendum, falsitatem Deo, quod absit, & mendacium adscribimus. Si autem Dei verba non excidunt. &c.

6. Habet ergo populus Dei *plenitudinem* suam, & quamvis magna pars hominum salvantis gratiam aut repellat, aut negligat, in electis tamen & præscitis, atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur universitas, ut *de toto mundo totus mundus* liberatus, *& de omnibus hominibus omnes homines* videantur *assumpti*.

Ex aliis Prosperian. *excerpt.*

4. Audiamus quoque ad *Abraham promissionem* Dei dicentis: *in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ*.. ..Et si filii promissionis simus non hesitemus diffidentiâ, sed cum patre nostro *Abraham* demus gloriam Deo & plenissimè credamus: *quoniam quod promisit*: &c. Resp. ad obj. 8. *Gallor.* *Genes. 26. 5. 1*

5. Quæ *promissiones* quia verissimæ sunt, nec possunt ex ulla parte mutari, in his implentur, qui salvi fiunt per universos fines terræ: *quoniam quod promisit* &c. *ibid.*

6. Hæc ergo est illa totius humani generis assumptio, hæc fidelium Dei adoptatio, hæc Gentium *plenitudo*, præseita &c. *ibid.*

6. Voluntatis suæ propositum implet in eis, quos *præscitos* prædestinavit..... nihil amittens de *plenitudine* Gentium, & de omni semine Israel....... Ex *toto* enim *mundo totus mundus* eligitur, *& ex omnibus hominibus omnes homines* adoptantur. sen. sup. 8. *Gall.*

6. Quia spiritalis Jacob *ex omni* Gente *assumitur*, *&c.* Exp. v. 14, *Psal.* 134.

IX. Obſervationes.

Inſignis quæſtio heic iterùm elucidanda proponitur, è cujus utique ſana explicatione, magna ad Scripturarum intelligentiam lux affundi poteſt. Si enim quandoque ſeu de bonis, ſeu de malis loquatur divinus ſermo, ita meminit unius partis, quaſi neminem hominum prætermittat; jam minùs obſcura erunt teſtimonia, quibus omnia gratiæ arcana comprehenduntur, & heic mirabiliter prorſùs explicantur. Quàm autem ſit hæc genuina ſinceriſſimaque *Proſperi* doctrina? ex triplici opere, unde concinentes ſenſus venati ſumus, ultrò colligetur. Ac 1. Ad inſertæ capiti inſcriptionis amuſſin declarat & ipſe *de toto partem intelligendam* eſſe. 2. De legibus *in corde* fidelium *digito Dei ſcriptis* familiaris eſt itidem *Proſpero* loquendi formula 3. ut meliùs pateret hanc *Gentium Vocationem* nomine *animalium*, atque *beſtiarum* figuratam, ipſum eſſe genuinum *Aquitani* noſtri principium, pluribus docet, in Scripturis gentes, *beſtiarum* nomine, indicatas. Porrò & curſim adverto etiam in exp. v. 7. *Pſal.* 131. dixiſſe *feritates* mentium, ut heic dicit: *feritates* beſtiarum; nam & plura perſtringimus.

Exquiſita principia utrique ſcripto communia

Ad 4. & 5. promiſſiones *Abrahæ* factæ eodem ratiocinii decurſu enuntiantur, & eadem pariter autoritate communiuntur. Et quemadmodum hæc *Abrahæ* data ſpes firmitatem habere debet, quia *verba* Dei *non excidunt*: ita ſimiliter: *promiſſiones veriſſimæ* aſſeruntur, quæ *nec poſſunt ex ulla parte mutari*. Porrò & hi quos *obedituros*, *perſeveraturos* &c. promiſit Deus, quinam alii ſunt ab iis, qui *ſalvi fiunt per univerſos fines terræ?* quoniam *quod promiſit, &c.*

6. Niſi nobiſmetipſis oculos eruere placeat, admirandarum ſpecierum pleno copia cornu, ſe in his ſchematis ſplendiſſimè repræſentat: utrinque enim eodem ſenſu determinatur, quæ ſit illa *populi Dei plenitudo*, vel totius *humani generis* aſſumptio, item & *gentium plenitudo*; ne una vocis proprietate, ab altero diſcreparet *Proſper*. At nec uno loco hujus myſterii arcana ſic explicando, quod decebat, velare duxit: nam in collectione ſententiarum quas reſponſionibus ad *Gallorum* objectiones ſuppoſuit, in quibus vel reſumendum, vel elucidandum ſibi proponit, quidquid in ſuperioribus attigerat, hoc thema iterum obverſat, & ad amuſſin omnino eorum, quæ in hoc de *Vocatione Gentium* capite ſic protracta erant: *in electis & præſcitis atque ab omnium generalitate diſcretis ſpecialis quædam cenſetur univerſitas* &c. nam ita ille ſcripſit, ſeu meliùs ſcripſerat: *voluntatis ſuæ propoſitum implet in eis, quos præſcitos prædeſtinavit, nihil amittens de plenitudine Gentium, & de omni ſemine Iſrael.* Quæ in idem conſpirant, cùm *ſpecialis* illa *univerſitas in præſcitis & ab omnium generalitate diſcretis*, non ſit alia, quàm: *gentium plenitudo & omne ſemen Iſraël, in quibus implet propoſitum voluntatis, quos præſcitos prædeſtinavit.* Sed & in clauſula arctiùs etiam ſe formulæ complectuntur, ut enim hic: ut *de toto mundo totus mundus*, & *de omnibus hominibus omnes homines videantur* aſſumpti: ita, uſquequaque ille: *ex toto* enim *mundo totus mundus* eligitur, & *ex omnibus hominibus omnes homines*, adoptantur. Quænam autem illorum, appoſitum inſcriptioni capitis λῆμμα magis enucleent? alii decernant. Sed & neque iſta: *toto mundo*, *totus mundus*, *de*, vel: *ex: omnibus hominibus*, *omnes homines*, *electus*, vel, *liberatus* & alia hujuſmodi invicem comparare ſatagimus, ne ſplendidiſſimæ luci, lucem admovere paranres caliginem potius obduceremus: hæc enim per ſe ſatis clamant & unum reclamant,

copioſa ſpecierum admirandarum ſeges.

Quandoquidem & istheic intercedit hiatus, instantque Operæ, hunc festinanter supplemus, ex primùm occurrente *Psalmorum* expositione: nam multa suppeditat explicatio *Psal.* 104. & 105. quæ egregiè in hunc *Anonymi* sensum conspirant. Similia his sunt, quæ proponit Autor in tres primos *Psal.* 113. versus, ubi habet: *Præteritorum gestorum recoli videtur historia, & quemadmodum populus Israel, qui est domus Jacob de jugo Ægyptiæ dominationis eductus sit, in memoriam revocari. Sed per Propheticum eloquium magis futura indicantur, quàm præterita retexuntur. Et ideo quædam aliter heic dicuntur, quam ibi acta sunt, ut vigilanter intelligatur Prophetia, ubi non constat historia &c.* tum post aliqua: *quia ergo populus Christianus verus est Israel, & Ægyptus sæpe in figura totius sæculi ponitur . . . . . . Quicumque ergò sunt Israelitæ domus Jacob & Abrahæ secundum promissionem hæredes &c.* Sed & insignis est ejusdem conceptus in expositione 1. v. *Psal.* 116. in quo superioris sensum resumens ait: *in fine superioris Psalmi, ne in Hierusalem Judei gloriarentur, & hanc dignitatem sibi Israel etiam carnalis adsumeret, qui sint Israelitæ, & in quibus sit Hierusalem, Psami hujus principio demonstratur:* OMNES *scilicet Gentes, qui per imitationem fidei, facti sunt filii Abraham, & spiritale semen Israel*

Porrò & si quid expressius videre juverit, dabit illud liberaliter sequentis *Psalmi* explicatio, in cujus 2 & 3. versiculum: *dicat nunc domus Israel: dicat nunc domus Aaron* ita commentatur: *domus Israel & domus Aaron, ipsi sunt* OMNES *qui timent Dominum: pusilli scilicet, atque majores, Ex quibus sive Judæis, sive Gentibus* UNUS *factus est* POPULUS, *concurrens in* UNUM *gregem, ad* UNUM *Pastorem* J. C. In quibus omnibus ad vivum repræsentatur *specialis* illa *universitas*, quâ: *de toto mundo totus mundus liberatus* vel *electus, & ex omnibus hominibus omnes homines videntur assumpti*, vel *adoptantur.* Quemadmodum sibi, ex condicto, respondent jam notata hinc inde schemata.



X. Conspectus 5. tabulæ.

Ex cap. 10. *lib.* 1. de Vocat.

1. Plebs ergo præscita, plebs non repulsa, hi sunt, qui in Christo justificati sunt, & quod de omni Israele dici videtur, in his tantùm, quos sibi gratiæ electio reliquos fecit, ostenditur...... Non ergo omnis *Israel* reprobatus, nec omnis electus est, sed partem cæcitas voluntaria avertit: partem sibi illuminatio gratuita reservavit.

Rom. 11. 25. 2. Sed hanc caliginem Apostolus detersit, dicendo: quia *cæcitas ex parte in Israel contigit, ut unum* genus *in duas* species *intelligeremus* esse *divisum*, & omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Israelem non semper ad universitatem, sed plerumque ad partem esse referendum.

Ex aliis Prosperian. *excerptis.*

1. Excæcati sunt superbi, excæcati sunt humiles & in hoc uno populo, qui Jacob & Israel generaliter appellatur: una enim persona est domus *Israel*, una gens, una *plebs*, hanc invitat & hanc dimittit, mites à ferocibus, credentes ab infidelibus separando. Exp. v. 14. *Psal.* 134.

2. Tu, inquit, fili David in medio paganorum in medio &c. dominare, quod fieri quotidie videmus, donec impleantur tempora gentium: *cæcitas enim ex parte in Israel facta* est. Exp. v. 3. *Psal.* 109.

2. Unde & secundum Apostolum *in duo* genera *dividitur unum* semen Abraham, & alii sunt pertinentes ad Ismaël filium ancillæ...... *ut intelligantur* non esse in lumine, qui non sunt in hæreditate. Exp. v. penul. *Psal.* 119.

XI. Observationes.

Hæc præcedentis capitis appendix, seu quædam præliminaria placita, quibus vir in divinæ gratiæ, & electionis arcanorum doctrina versatissimus viam sibi munit, vadumque parat, ut inoffenso pede rapidissimos undarum fluctus 12. capite mox sequenti occurrentes trajiciat. Tantò alioquin periculosiores illos, quantò ex Apostolicæ doctrinæ fluentis dolosè & importunè ab adversariis commovebantur, ut sub eorum profunditate imparatos, vel inexpertos suffocarent. At obverso licet jam illis fluctibus aggere potentissimo, insidias omnes satis prævverterit, attamen & istheic stationem aliunde tutam magis ac magis communire satagit.

Primò autem id statuere pergit: quòd *plebs præscita, plebs non repulsa, illi sunt, qui in Christo justificati sunt* &c. seu quod aliàs: *una gens & una plebs est domus Jacob & domus Israel*. Tum sub *Anonymi* specie pugnans ait: quod *partem cæcitas voluntaria avertit, partem sibi illuminatio gratuita reservavit*, &c. Quibus omnino concors est dum pro cognito haberi volens dixit: *hanc invitat & hanc dimittit*, plebem scilicet, vel ejus partem; Et spirituallis *Jacob ex omni gente* assumitur, &c. ut supra. Accersitæ quasi ex condicto explicationes

2. Ut autem ex his omnem, quantùm fas est, caliginem detergat, hoc rursus constabilit fundamentum: quòd quia *cæcitas ex parte in Israel contigit, unum genus in duas species intelligatur esse divisum* &c. seu: *in duo genera dividatur unum semen Abraham*. Quod verbum, *dividere* utrobique insumptum, non adeo eandem loquelam sapit, quàm quæ sequuntur: *ut intelligeremus*, &c. Et *ut intelligantur*, ubi eadem locutionis formula ad idem argumentum tractandum adhibita unum apertè os prodit. Nimirum adeo Tractatori momentosa videbatur hæc utriusque populi, seu unius in duos distinctio, quâ utique omnes adversantium machinæ immaniter collidebantur, ut has libenter retractare locutiones studuerit, *ut plenius intelligerentur* & inculcarentur earum sensa: exploratumque maneret hoc adjectum: *omnes, omne*, etsi sæpe, *non* tamen *semper* ad universitatem, *sed plerunque ad partem* referendum esse. In hoc enim ultra modum urgendo peccabant *Massilienses*, & quia vocum illarum non satis eisdem concocti sensus, occasio erant, ut varia intemperanter effunderent; è re erat ut indefessus gratiæ defensor *Prosper* talia præverteret, & ex recta multorum Scripturæ locorum interpretatione convinceret, quâ sobrietate in reliquis incedendum esset. Imò quia in istis & similibus nimii erant adversarii, & ab inde alios in graviores errores abducebantur, ut hanc eorum frænaret impotentiam *Aquitanus*, ita quandoque in oppositum distracta apparent istius dogmata, ut asserere videatur, quòd multorum hominum nulla *sit Deo cura*, & aliqui inveniantur, *quos* aut *Evangelica prædicatio*: aut *legis testificatio*: aut *ipsa etiam natura non conveniat*. Quæ ex adverso tamen quàm fixa inconcussaque sint *Prospero* satis ostendimus hujus *Disser*. 3. p. 1. num. 14. & 17. sed nec satis ista revocari possunt, ne ad extrema fiat illapsus.

Jam ad ipsius 12. tam jactati capitis exhibitionem transeundum est.

Ex cap. 12. *lib.* 1. de Vocat.

XII. Conspectus 6. tabulæ.

1. Sed cùm hæc legerint vel audierint, qui amant calumniosa certamina, dicent nos per hujusmodi disputationes Apostolo contradicere definienti: quod *Deus omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* (1. *Tim.* 2. 4.)

2. De hac ergo doctrinæ Apostolicæ regula, quâ *Ecclesia* universalis imbuitur, ne in diversum intellectum nostro evagemur arbitrio, quid *ipsa universalis Ecclesia* sentiat requiramus.... *Præcepit* itaque *Apostolus*... fieri obsecrationes & postulationes *pro omnibus hominibus*, &c. (1. *Tim.* 2. 1.)

3. Quod quia ipsi sibi præstare nequeunt *malæ consuetudinis pondere* oppressi.

Ex aliis Prospetian. *excerptis.*

1. Et ubi est illud quod nobis quasi contrarium à non intelligentibus semper opponitur: *Quod Deus omnes homines velit salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Epist. ad *Ruffin.*

2. Sincerissimè credendum, atque profitendum est, Deum *velle ut omnes homines*, &c. Siquidem *Apostolus* cujus ista sententia est, solicitissimè *præcipit*, quod *in omnibus Ecclesiis* piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur. Resp. ad object. 2. *Vincent.*

3. Sunt enim qui scelera sua nolunt sibimet imputari, & *pondera malæ consuetudinis* ad necessitatem retorquent naturæ. Exp. *Psal.* 140. vers. 4.

XIII. Observationes.

His sensim ac sine sensu complanatis viis, ventum est tandem ad *Paulinæ* explicationem sententiæ, quâ 1. ad *Timot.* 2. illud ab omnibus suscipiendum & complectendum edocet: quod *Deus omnes homines velit salvos fieri, &c.* Et istud ipsum effatum est, toties, & tam diù à *Massiliensibus* in *Prosperum* sequacesque tortum, & ab eodem validiùs retortum. Illi enim hoc loco insigniter abusi propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi, æqualiter in omnes effusam contendebant: perindeque Deum ita indiscriminatim velle omnium hominum salutem, ut non efficaciùs fidelibus & prædestinatis, quàm aliis, Redemptionis suæ fructum applicaret: nam illi ideo Evangelium non audierant, quia non fuerant recepturi. Quod cùm ad con-

flandam

flandam invidiam, & imperitam multitudinem suas ad partes trahendam variis argutiis ac circuitionibus implicarent; iste *Noster* cujus & partibus, ex adverso contra omnes stare, pro gloria sua, & Catholicæ fidei integritate cesserat; hanc quidem sententiam: quòd *Deus omnes homines salvos fieri vellet*, toto animo suscipiebat & SINCERISSIME', ut ait, *credendam* esse prædicabat, sed ejus nimis diffluentem interpretationem præcedentibus, subjectisque ejusdem loci sensibus cohibendam rectè demonstrabat. Unde post varias ex Scripturis adductas Catholicas expositiones admirandâ facultate, concentûque, per totum tractatum dispositas, quibus effectus gratiæ planè mirabiles reseraret, ac pro dignitate extolleret, hoc quasi epiphonemate concludit: quòd Deus ita verè sincerèque intelligatur *omnes homines salvos fieri velle*, ut ad integram consensionem ac cohærentiam alterius Apostolicæ sententiæ, priori in eadem epistola subjectæ, *sit salvator* OMNIUM *hominum*, & MAXIME *fidelium*. *Quæ sententia*, inquit, *subtilissimæ brevitatis, ac validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitû, totam hanc de qua agimus controversiam dirimit. Dicendo enim* qui est salvator OMNIUM hominum, *confirmavit bonitatem Dei super omnes homines esse generalem : adjiciendo autem* : MAXIME fidelium, *ostendit partem esse generis humani, quæ merito fidei divinitùs inspiratæ, ad summam, atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.* At ut hanc *Prosperianam* esse loquelam planè innotescat, retractanda est ipsius ad octavam *Gallorum* Object. *quod Deus nolit omnes homines salvos fieri*, consentiens responsio, ubi siquidem ad hanc normam ineptorum conflictus sic reprimit: *remoto*, inquit, *obscurarum turbine quæstionum, ad revelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus, dicamusque cum Apostolo : quomodo* Deus vult omnes homines salvos fieri, &c. *Et iterum dicamus cum Apostolo :* qui est salvator omnium, MAXIME fidelium. Ubi ad oculum perspicitur, quomodò, ex condicto, una sententia per alteram explicari, hinc & inde curatur. Unde & utrinque certum erit, quòd *Prosper* seu per se loquens, seu *Anonymi* personam sustinens sinceré cognovit & edocuit: & *integrè*, ut ait, *plenéque* suscepit: *Deum velle omnes homines salvos fieri.* Sed ut id Catholicum sensit: hanc Dei generalem voluntatem, ut *omnes salvi fiant*, sinceram esse; ita non minùs istud uti *Semipelagianum* viriliter insectatus est: Deum hanc ita velle omnium salutem, ut in fideles ac prædestinatos non uberiores Redemptionis suæ regereret effusiones, quàm in alios. Quod utique tam adversabatur Apostolo definienti: *salvator omnium hominum* & MAXIME *fidelium*. *Quæ tranquillo, consideranda intuitû*, meritò commonet Autor, ut omnis controversia dirimatur; nam plura mittimus.

I. *Tim.* 2. 4.

Sententiarum Scripturæ aderanda consensio.

I. *Tim.* 4 10.

c. 31. *lib.* 2.

Et heic quoque eadem loquela *Prosperum* manifestat.

2. Ad ejusdem sententiæ irrefragabilem confirmationem, rectumque intellectum, *Paulus* ipse semper reducitur, & cum iisdem verborum formulis allegatur, ut ipse sibimetipsi interpretationem faciat. Ubi post alia, notanda venit eadem locutio: *præcipit Apostolus*: *præcepit Apostolus*, &c.

3. Hæc communis formula: *pondere malæ consuetudinis*, &c. quoddam, & illud maximum, autoritatis *pondus* comparationibus nostris imprimit, ut & ista similis v. 2. *Psal.* 129. expositionis locutio: *mole* MALÆ CONSUETUDINIS *peccator* OPPRESSUS.

Ex cap. 13. *lib.* I. de Vocat.

XIV. Conſpectus 7. tabulæ.

1. Quod ſi aliquos, ſicut videmus accidere, ſalvantis gratia *præterierit*, & pro eis oratio Eccleſiæ recepta non fuerit, ad *occulta* divinæ juſtitiæ *judicia* - *ferendum*, & agnoſcendum ſecreti hujus profunditatem in hac vita patere non poſſe.

2. Nec ſapientiores aut ſcientiores beatiſſimo Apoſtolo ſumus, qui cùm de gratiæ potentia diſputaret, magnorum myſteriorum ingreſſus arcanum, iis quæ *impoſſibile* erat enarrare ſuccubuit........ cùm ergo hæc *divinorum operum myſteria* ſupra menſuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis ſuæ profudiſſet exceſſu, totam expoſitionis rationem tranſtulit in ſtuporem & dixit:

Rom. 11. 33. *O altitudo*, &c. *quàm incomprehenſibilia ſunt judicia & inveſtigabiles viæ*, *&c.*

3. Præmiſſa enim docentis aſſertio locum dabat multimodæ quæſtioni: cur ſcilicet *anterioribus ſæculis dimiſſæ eſſent omnes gentes ingredi vias ſuas*, *uno tantum Iſraele*, &c.

Act. 14. 15.

Ex aliis Proſperian. *excerpt.*

1. Si circa univerſitatem generis humani ſalvandam ita indifferens per omnia ſæcula aſſerenda eſt voluntas Dei, ut uſquequaque neminem hominem *prætermiſiſſe* monſtretur, impenetrabilis *judiciorum* Dei altitudo pulſatur. Reſp. ad object. 8. *Gall.*

1. Quòd autem illos non eo tempore, quo in fide recta erant, ab hac vita abſtulit, *ad occulta* ejus *judicia*, quæ tamen nunquam ſunt injuſta, *referendum* eſt. *Ibid.* ad 3.

2. Et quare quod quærebat Iſrael hoc non eſt conſecutus, electio autem conſecuta eſt, ceteri autem excæcati ſunt, *impoſſibile* eſt comprehendere, & periculoſæ curioſitatis eſt quærere...... cauſas verò *operum* & *myſteriorum Dei*, qui ex toto ad humanas voluntates & actiones refert, profitetur ſibi ſcrutabilia *judicia* & *veſtigabiles vias* ejus. Et quod Doctor gentium Paulus non audebat attingere, hic ſe exiſtimat reſeratum poſſe vulgare. *Ibid.* ad 8.

3. Quare enim *in præteritis ſæculis dimiſerit Deus omnes ingredi vias ſuas: quando Jacob elegit ſibi Dominus. Ibid.*

3. Quia & *in anterioribus ſæculis*, quando de unius gentis populo dicebatur. *Notus in Judæa Deus.* ad *Ruff.*

Ex ſerie ejuſd. cap. 13.

4. Aut quomodo omnis Iſraël, ſublatâ obcœcatione, ſalvandus ſit, cujus *innumerabilis* multitudo in ſua infidelitate *deficiens*, ad tempora ſalvandis promiſſa non pervenit : vel quomodo ipſarum gentium, quarum priùs non eſt facta vocatio, dicatur nunc ingredi plenitudo ; cùm tot promiſcuæ ætatis & conditionis *multa hominum millia* in omnibus nationibus quæ ſub cælo ſunt *ſine* Chriſti juſtificatione *moriantur*.

5. Sed horum myſteriorum judiciorumque *cauſas* pius & doctus magiſter maluit ad altitudinem divitiarum ſapientiæ Dei, ſcientiæque *ſuſpendere*, quàm juſtiſſimæ veritatis & miſericordiſſimæ bonitatis ſubtractum ab humana cognitione ſecretum temerariâ inquiſitione diſcutere : nihil omittens de his quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de his, quæ non licet ſciri.

Ex aliis operibus Proſperi.

4. Non omnes vocari ad gratiam, non rectè dicitur . . . . . . niſi ad eos reſpicitur, quibus nondum ſacramentum crucis Chriſti innotuit. ad 4. *Gallor.*

4. Si autem aliquo modo inveniuntur homines, quibus Evangelium non fuerit prædicatum, non poteſt dici ſine judicio Dei factum, quod nefas eſt ideo reprehendi, quia non poteſt comprehendi. *Ibid.* ad 10.

4. Neque enim remotum eſt ab inſpectione communi, quot ſæculis quàm *innumerabilia hominum millia* erroribus ſuis impietatibuſque dimiſſa, *ſine* ulla veri Dei cognitione, *defecerint*. *Epiſt.* ad *Ruffin.*

4. *Multis*, Evangelii mora, *ſine* regenerationis ſacramento *morituris*. *Ibid.* infra.

5. *Non ergo inſtamus clauſis, nec operta procaci.*
Urgemus curâ. Satis eſt opera Omnipotentis
Cernere, & autorem cunctorum noſſe bonorum.
Quo ſine nil rectum mens inchoat, audeat amens
Impietas tumido arbitrio ſubnectere cauſas
Divinorum operum : *nos cum manifeſta videmus*
Dona Dei...
Cum Paulo tremuiſſe juvat, ſtupidumque *modeſtè*
Invictum ad ſolium Chriſti ſuſpendere *nutum*,
Cujus judicium ſic inſcrutabile & altum
Dicimus, ut verax prorſus fateamur & æquum.
(De Ing. c. 36.)

XV. Observationes.

1. Hujus capitis doctrina tota prorsus exprimitur ex responso ad *Gallorum* objectiones, nam ne pilus quidem in uno habetur, qui in altero egregiè non reperiatur. Etenim si in priore investigatur ratio: *cur salvantis gratia aliquos* præterierit? respondeturque, id *ad occulta divinæ justitiæ judicia referendum*: Ita prorsus si ex alia parte: *quòd ita sit indifferens voluntas Dei, ut neminem usquequaque* prætermisisse monstretur; *impenetrabilem judiciorum Dei altitudinem pulsari*, allegatur. Quod mysterium utrobique hoc vocabulo *præterire*, vel *prætermittere* expressum esse, observatione vacare non debet. At & id notabilius, quòd in eodem tractatu simile argumentum attingens *Prosper*, conceptis verbis edocet negotium, *ad occulta Dei judicia* referendum esse. Quæ certè non solùm spendidissimæ convenientiæ, sed convenientissimæ identitatis existunt.

Eximia verborum conceptuumque reciproca commensuratio per totum.

2. Si ab hac periculosa curiositate ut prohibeat autor *de Vocatione*, Apostoli confessionem & *stuporem* recenset, & *succubuisse* ait his, quæ *impossibile erat enarrare*: *Noster* itidem idipsum asserit: *impossibile comprehendere*: Et quæ uni, *magnorum mysteriorum arcanum* & *divinorum operum mysteria*, alteri *causæ operum & mysteriorum Dei* habentur. Inde Apostoli verba in confirmationem adducuntur: hinc sensus in orationem cum præcipuis ejusdem locutionibus transfertur.

3. In eadem argumenti serie quæstio utrobique proponitur: cur in *anterioribus*, seu, *præteritis sæculis dimissæ essent gentes ingredi vias suas*: cujus vocis: *anterioribus*, usum itidem esse *Prosperum* notavimus, cùm in citandis aut adhibendis Scripturæ autoritatibus non sibi usquequaque fuisse concordem asseruimus; nam & hanc alibi sæpiùs varièque adhibet, uti & cap. 11. *de Vocatione*, quæ diversa vocum usurpatione refertur.

4. Alterum quæstionis consectarium attingitur, de his qui *in infidelitate deficientes ad promissa tempora non pervenerunt*: seu: *quibus sacramentum crucis Christi non innotuit*. Hoc autem hinc & inde per hanc vocem: *deficere*, explicatur: *in infidelitate* deficiens, & *sine cognitione Dei* defecerint: & postea: *sine Christi justificatione moriantur*; quibus hæc etiam egregiè respondent: *sine regenerationis sacramento morituris*. Illi porrò *innumerabilis multitudo*, &c. *multa hominum millia*, in alio similiter *innumerabilia hominum millia* esse memorantur: neve quid uspiam in his schematis utrinque convenientissimum non appareret, quemadmodum addiderat unus: *in omnibus nationibus quæ sub cælo sunt*: ita omnino in hanc locutionem conspirat alter, dùm resp. ad object. 4. habet: *in omnibus nationibus & finibus terræ*.

Ex carmine totus *Prosper* rursus apparet in opposita prosa.

5. Quod jam ratiocinium num. 2. huic pene simile solutâ oratione reddidimus, nunc ex ejusdem metrica vena depromptum exhibemus. Et certò ad illud 2. schema hæ *Prosperiani* carminis locutiones referri possent: *divinorum operum causas*, &c. quæ quidem *ad divinorum operum* mysteria alludunt. Sed splendidior Poëtæ elocutio, quæ cum alia superioris membri affinitatem prodit, hæc est: *cum* Paulo *tremuisse juvat*, stupidumque *modestè*, &c. Quam in vocem *stupidum*, manifestè videtur Orator intendisse, qui de eadem *Paulina* visione sermonem texens habet: *rationem transtulit* in stuporem, &c. At & in istis postremis schematis aliæ similitudines illucescunt, nam utrobique commendatur Dei misericordia. Tùm: *subtractum* illud *ab humana cognitione secretum*, appositè ad: *judicium inscrutabile & altum* refertur. Denique, ut alia

omittamus, hæc loquendi formula: *Doctus magister maluit ad altitudinem divitiarum Dei suspendere judiciorum causas*, &c. ejusdem venæ prorsus esse perhibetur ac ista: *cum Paulo .... ad solium Christi suspendere nutum*, &c. ubi magnam vim & significationem affundit hoc verbum, *suspendere*. Jam quandoquidem, aut non licet, aut non libet Operis hæc scholia nostra intra unam paginam excipere, alia ex epigrammatis decerpta carmina his satis respondentia subjungere visum fuit, ne vacua remaneret altera. Est autem epigramma 85. cujus titulus præfert: *de causis incognitis*, argumentum autem ex *Augustini* sententiis ex more defloratum habet: *in incognitis causis* operum divinorum *non nihil novimus*, *cùm scimus non sine ratione Omnipotentem facere*, *unde infirmus humanus animus rationem non potest reddere*. Tum sequuntur ista:

Divinorum operum secretas noscere causas
Humanis non est possibile ingeniis
Nec nullo tamen intuitu speculatur operta,
Qui multa ut lateant, scit placuisse Deo.
In quo mens imbuta fide semel omnia discit,
Perque operum speciem suscipit artificem.
Fingentem rebus formas, loca, tempora, motus.
Mensuris, numeris, ponderibusque suis.
Scrutari nec cura procax obstrusa laboret,
Cui cuncta in Christo nosse & habere datur:

Etsi autem heic idem per omnia argumentum non assumatur, habentur tamen ad alterius similitudinem: *Divinorum operum causæ secretæ : non est possibile*, & alia his affinia.

Ex cap. 14. *lib.* 1. de Vocatione.

XVI. Conspectus 8. tabulæ.

1. Multa enim sunt in dispensatione *divinorum operum*, quorum *causis* latentibus soli monstrantur effectus, *ut cùm pateat* quod geritur, non pateat cur geratur, negotio in medium deducto & in occultum ratione *subducta*. Si enim nescio cur, &c.

2. Turbarent antem nos & in diversum distraherent multæ vaniloquorum opiniones, qui de incognoscibilibus definire inconvenientia præsumpserunt, & has originales inæqualitates. . . . .

3. Quæ utique opera Dei humanæ intelligentiæ non subtraherentur, si innotescere debuissent.

Ex aliis Prosperian. *excerpt.*

1. . . . . causas
Divinorum operum . . . . .
Si terrenum igitur figmentum, addictaque morti
Progenies, ita dissimili producitur ortu.
Ut cùm *operis species* pateat, *tamen edita non sit*
Norma voluntatis, de qua venit hic modus impar.
Quid mirum si consilii super omnia magni
Arcanum latet, & placito subducitur *alto.*

2. *His & mille modis semen variantibus unum*
Impariles subeant distincta exordia formas
Nec tamen hac inter tam compugnantia quisquam
Arguit autorem, &c.

3. *Non cognoscendum texit Deus, utiliusque*
Duxit ad examen quadam velare piorum
(*De* Ing. *c.* 36.

Hujus ratiocinationis seriem iterum persequitur, & imitatur *Prosper*, cum patentissimis plenæ consensionis indiciis. Nam 1. Quod illeic dicitur: *dispensatio divinorum operum*, heic ab *Aquitano* nuncupantur: *causæ divinorum operum.* Moxque idem hanc pedestris styli locutionem: *ut cùm* pateat *quod geritur*, *non* pateat *cur geratur*, hac metricâ, sed simillimâ vertit, *ut cùm operis species* pateat, *tamen edita non sit norma voluntatis.* Quibus nihil magis invicem commensuratum reperiri potest: adeo ut unum alterius verba mente oculisque versasse scribendo, censendum sit, quique omnia ex integro retulisset, si eadem fuisset sermonis ratio. Nam hæ particulæ: *ut cum*, utrinque usurpatæ contexturam quandam exhibent, quæ unum & eundem calamum repræsentat; nec observatione carere debet hoc vocabulum *pateat*, *ut cum pateat*, &c. cetera sensu conspirant: *non pateat cur geratur*; atque: *edita non sit norma voluntatis.* Atsupra hæc omnia fortè alicujus mentem magis feriet & determinabit hæc dictionis proprietas: *ratione subductâ*, ac: *placito subducitur*; quæ ad divinæ dispensationis operationes explicandas, utrobique assumpta dicendi formula fundatissimas certè novæ similitudinis species reducit.

XVII. Observationes.

Anonymi prosaica, *Prosperiana* denuò perhibentur ex versibus.

2. *Originales* illæ *inæqualitates* aptissimè, meo judicio, figuranrur & exprimuntur per *impariles formas*, &, *his & mille modis semen variantibus unum*: quæ profectò continentissimum alterni sermonis tramitem aliunde faciunt.

3. Et sermo utrobique eâdem clausulâ terminatur, nam quæ *intelligentiæ humanæ subtrahuntur*, quia *innotescere* non *debent*; hæc sunt: quæ *non cognoscenda texit Deus*, *utiliusque velare duxit*, Alia non pauca occurrent hujusmodi affiinitatum indicia horum capitum seriem versantibus.

XVIII. Conspectus 9. tabulæ.

Ex cap. 15. *lib.* 1. de Vocat.

1. Liberatur pars hominum parte pereunte, & si hoc voluntatum meritis voluerimus adscribere, ut malos neglexisse gratia, bonos autem elegisse videatur, resistet nobis *innumerabilium* caussa populorum, quibus, per tot sæcula, nulla cælestis doctrinæ annuntiatio coruscavit.....

2. Non ergò meritis minorum tribuitur, quod non meruere *majores*. Par enim impietas patres accusabat & filios, eademque ignorantiæ cæcitas, omnes simul in eosdem mergebat errores.

3. Sed cur illorum non misertus, horum sit misertus Deus, quæ scientia comprehendere, quæ potest investigare sapientia? latet *discretionis istius ratio*, sed non latet ipsa discretio. Non intelligimus judicantem, sed videmus operantem.

Ex aliis Prosperian. *excerpt.*

1. De his enim loquor, qui mox ut nati sunt, renascuntur, & erepti ab hac vita æternæ beatitudini deputantur: cùm tamen *innumerabilis* multitudo ejusdem naturæ, ejusdem conditionis infantium sine regeneratione decedat, &c. *Tum*: nunquid non sunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus usque in hoc tempus sine Dei cognitione perierunt?

2. Et si *majoribus* natû, quod non rectè dicitur, mala opera quæ libero arbitrio commiserant obfuerunt, quasi boni, non mali gratiâ liberentur, inter salvatos parvulos, quæ meritorum potuit esse discretio?.. Equidem si meritum consideres, non una pars salvari meruit, sed utraque damnari. Quia omnibus in Adæ prævaricatione postratis, &c.

3. Quæ autem sit *discretionis istius* in secreto Dei consilio causa, vel *ratio*, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur & sine fidei diminutione nescitur.

4. Quid

4. Quid calumniamur justitiæ occultæ, qui gratias debemus *misericordiæ* manifestæ? laudemus, & veneremur quod agitur, quia tutum est nescire quod tegitur.

4. Confiteamur igitur opera Domini & glorificemus *misericordias* ejus. Nec impatienter feramus, quòd quæ aut quanta sint electionis vasa non novimus.., si enim hoc consilium vocationis suæ Dominus abscondit, sanctisque ejus ignorantia ista non nocuit, cur spei nostræ obesse credimus, &c. Epist. ad *Ruffin.*

Quia istiusmodi quæstiones præ aliis agitabantur, ideo sæpiùs ad earum eliminandas difficultates recurrit *Anonymus*, quas sanè proprio nomine ad *Ruffinum* initio scribens eventilasse, confecisseque nobis perhibetur, ex respondentibus epistolæ schematis, in quibus continenti tenore totam hujus capitis doctrinam delineavit. Namque 1. ibidem locutus est prolixè de Gentibus, quæ nondùm Evangelium audierunt, quo eodem argumento vicissim probatur gratuita esse gratiæ munera, per quæ *pars hominum liberatur, parte peruntе*, &c. Heic opponitur: *innumerabilium caussa populorum*, alibi: *innumerabilis multitudo.* XIX. Observationes.

2. Statuitur hinc & inde par impietatis & ignorantiæ cæcitas, *omnes simul in eosdem errores mergens*, &c. seu aliàs: *omnes Adæ prævaricatione prostrati*, in quibus adeoque *si meritum consideretur, non una pars salvari meruit, sed utraque damnari.* Sed splendida est consensio: *quod non meruere majores:* Et: *majoribus natû mala opera obfuerunt.*

3. Ad rationem autem hujus discretionis ut perventum est, quasi, dato signo, ad silentium & stuporem confugitur. *Quæ potest*, inquit uno loco, *investigare sapientia? latet discretionis istius ratio*, &c. Et in alio ait: *Quæ sit discretionis istius causa vel ratio?*

4. Denique circa hæc stupenda judiciorum Dei arcana eodem concentû divina collaudatur misericordia. *Gratias debemus misericordiæ manifestæ: laudemus & veneremur quod agitur*, &c. Et: *confiteamur igitur opera Domini & glorificemus misericordias ejus*, &c. Sunt & alia quæ prætermittimus, ut moneamus tractatorem utrumque, seu veriùs unicum, ex hac pari consensu facta discussione, continenter transire ad celebertimam ex parvulorum quæstione motam disputationem, in cujus etiam comparationes pro more cohærenter delabimur. In tractandis quæstionibus utriusque scriptoris, seu scripti eadem series & ordo

Ex cap. 16. lib. 1. de Vocat.

XX. Conſpectus 10. tabulæ.

1. *Reſpice* autem ad univerſalem *multitudinem parvulorum, in quibus, excepto* illo, quo *in damnationem naſcitur* humanum genus, delicto, nec præterita poſſunt merita nec futura cenſeri: omnes enim de quibus nunc loquimur *ante* ullum intelligentiæ uſum, *ante* liberum voluntatis arbitrium, *alii* ad *æternam beatitudinem* tranſeunt regenerati, *alii* ad æternam miſeriam tranſeunt non renati.

2. *Si* originalem culpam fateris, omnis numerus in reatu eſt, *ſi* moralem innocentiam

Ex aliis Proſperian. *excerptis.*

1. Cùmque inter hæc innumerabilium illis *multitudo* objicitur *parvulorum*, qui utique, *excepto* originali peccato, ſub quo omnes homines ſimiliter in primi hominis *damnatione naſcuntur*, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones; non ſine Dei judicio ſecernuntur, ut *ante* diſcretionem boni ac mali, de uſu vitæ iſtius auferendi, *alii* per regenerationem, inter cæleſtis regni aſſumantur hæredes, *alii* ſine baptiſmo, inter mortis perpetuæ tranſeant debitores. Epiſt. ad *Aug.*

1. *Reſpiciantur* etiam inter Chriſtianos populos tot millia parvulorum, qui ab hac vita ſine baptiſmo tranſierunt. Reſp. ad 4. *Gallor.*

1. Siquidem multa millia infantium in regnum Dei aſſumptorum, aut à regno Dei extraneorum, ſine ullius ſuæ voluntatis arbitrio gratiam Dei aut accipiant aut amittant. c. 30. con. *Collat.*

1. Effuderunt ſe divitiæ bonitatis Dei in ipſa quorundam primordia *parvulorum*, in quibus nec præcedens eligitur, nec ſecutura deuotio, non obedientia, non diſcretio, non voluntas. De his enim loquor qui mox ut nati ſunt renaſcuntur, & rapti ab hac vita *æternæ beatitudini* deputantur. Cùm tamen innumerabilis *multitudo*, &c. Epiſt. ad *Ruffin.*

2. Inter ſalvatos parvulos & non ſalvatos parvulos quæ meritorum potuit eſſe diſcretio? Equidem *ſi* meritum conſideres non una pars ſalvari me-

quæris, omnis summa sine vitio est. Non invenit quod *discernat* humana justitia, sed habet quod eligat inenarrabilis gratia Dei. In abscondito est consilium......

ruit, sed utraque damnari... Quæ autem sit *discretionis* istius in secreto consilio Dei causa, vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & sine fidei diminutione nescitur. *Ibid.*

Ad abstrusissimam quæstionem electionis parvulorum eodem iterùm rectissimo tramite utrinque decurritur, sed & ubique eædem locutiones, idem sermonis contextus & nitor occurrunt. In hoc autem magis *Prosperi* stylus agnoscendus est, quòd pro certo exploratoque sit, saltem epistolam ad *Augustinum*, è qua schema nostrum depromptum est, libros *de Vocatione* longo satis intervallo præcessisse; quæ utique initio disputationum exscripta fuit: In ea autem ita occupatum est quidquid exhibet adversa periodus, ut vel ex hoc *Prosperianam* asserendi sufficientissima ratio dictaret. Et membra quidem illius eodem ordine numeroque inter se commensurari possunt. Jam si ad locutionis formulas, quænam magis eandem venam saperent? universalis *multitudo parvulorum*: vel: innumerabilium *multitudo parvulorum*, Et: tot millia *parvulorum*. Tùm: *excepto* illo, quo *in damnationem nascitur* humanum genus, delicto: & istud: *excepto* originali peccato, sub quo omnes homines *in damnatione nascuntur*; in quibus sanè hæc dictio: *excepto*, quid singularius & significantius in rem sonat, quàm aliæ consequentes: *in damnatione, ad damnationem nascitur*, &c. Hinc *in quibus nec præterita merita, nec futura censeri*: inde: *nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones*, quod alibi ad literam magis exprimit: *in quibus nec præcedens eligitur, nec secutura devotio.* Mox subnectitur: *ante* ullum intelligentiæ usum, *ante liberum voluntatis arbitrium*: quibus succinitur: *ante* discretionem boni ac mali, & infra: *sine suæ voluntatis arbitrio.* Postremò: *alii ad æternam beatitudinem transeunt regenerati, alii ad æternam miseriam transeunt non renati*; quæ magis commensurato concentû, quàm per ista, quorsum redderentur? *alii per regenerationem, inter cælestis regni assumuntur hæredes, alii sine baptismo, inter mortis perpetuæ transeunt debitores*: ubi profectò vel hæc vox: *alii*, iteratò utrobique ad easdem commissuras assumpta, quid nescio, prodit, atque ingeminat, quod eundem artificem etiam incogitanter objiciat. Nam & si minutatim aliæ voces & particulæ recensendæ essent, invicem reductæ atque oppositæ omnium absolutissimam consensionem magis ac magis repræsentarent. Sed id etsi satis per se conspicuum est, attamen ut ex omni parte splendidiùs res appareat, alias *Prosperi* de eodem argumento locutiones subjunximus, quas, si vacat cum priore, singulasque invicem conferre, non tantas profectò inter se, indubia *Aquitani* fragmenta similitudinis lineas referent, quàm sibi vicissim suppeditant, quæ mox comparavimus: adeo ut si alter extraneus tandem, nec ipse *Aquitanus* operis *Anonymi* autor esset, hic sanè magis extraneo, quam sibimetipsi similis concorsque censendus foret. Sed & heic carm. de *Ing.* c. 30. & 31. adducere prætermisimus, in quo frequentiores forsan istiusmodi species occurrent.

XXI. Observationes.

Prosper Prospero non tàm similis quàm Anonymo.

2. In hoc secundo membro non pauca annotanda venirent, sed quia jam limitem transilimus, simillimæ allocutionis formulam duntaxat desloramus: *si moralem innocentiam quæris*: ac: *si meritum consideres.*

XXII. Conspectus II. Tabulæ.

Excerpta ex Cap. 17. *lib.* 1. de Vocatione.

1. Quòd si & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitiis & sceleribus ætatem sacramento baptismatis Christi, *in ipso* vitæ *fine* renovantur, & sine ullo suffragio boni operis in regni cœlestis consortium transferuntur; quo intellectû judicium Dei comprehendes? nisi ut meritò agnoscas gratuita esse Dei numera, &c.

2. Vilesceret enim redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogativa succumberet, *si* justificatio, quæ fit per *gratiam meritis* præcedentibus *deberetur.*

Ex aliis Prosperianis *excerptis.*

1. Denique ne quisquam ex morum splendore putetur
Censeri . . . . . .
recole innumerabile vulgus
Retro senum & juvenum qui cæca turpiter usi
Libertate animi, per cultus dæmoniorũ, &c.
Et tamen incumbente obitu, jam limite in ipso
Extremi flatus, miserantem nocte remotâ
Cognovere Deum, purgatorisque lavacri
Munere
Exempti mundo mutarunt tartara cœlo
Quæ merita heic numeres? (De Ing. *c.* 18.)

1. Et plerosque utentes quidem libero arbitrio, sed aversos à vero Deo, vitamque in flagitiis exigentes, liberatrix regeneratio, *in ipso* exhalandi spiritus *fine*, sanctificet. Epist. ad *Ruffin.*

2. Atque hoc modo *gratia* non sit gratia, quia *si meritis redditur* & non ipsa est bonorum creatrix, frustrà gratia nominatur. *Ibid.*

1 Duobus in locis perinſignibus conſignavit *Proſper* hanc preſentis capitis obſervationem: de his quibus ineffabilis Dei gratia in ipſo vitæ exitu mirabiliter opitulatur; quod eſt alterum factum gratuitæ Dei gratiæ miracula probans & illuſtrans, quæ in parvulorum electione prænotata ſunt. Quodnam autem ex adductis fragmentis adverſi ſenſa plenius ebibat? non admodum facilè erit ſecernere: quæ verò primùm conſignata ſunt carmina ſi comparemus, reperietur illud: *recole innumerabile vulgus*, &c. ad hæc egregiè alludere: *ſi ad illos dirigas mentis intuitum*, quod etiam inſtitutus utrinque in ſecunda perſona ſermo clariùs indicat. Hi porro qui *cacâ libertate turpiter uſi, per cultus dæmoniorum, per magicas artes, per ſtupra*, &c deſignantur alibi eorum nuncupatione: *qui longam egerunt in flagitiis & ſceleribus ætatem:* quibus quid eſſe convenientius poſſit, non video. Et qui *incumbente obitû, limiteque extremi flatus, purgatoriſque lavacri munere cognovere Deum & tartara cælo mutarunt*, hi prorſus ſunt, qui alio ſtylo: *ſacramento baptiſmatis Chriſti in ipſo vitæ fine renovantur, & in regni cæleſtis conſortium transferuntur*: quæ locutiones ſemper inter ſynonyma verſantur. Sed ut magis colluceat genius *Proſperi*, non illud poſtremum prætermittendum eſt, per admirantis exclamationem dictum: *quæ merita heic numeres?* nam & ſimili fine clauditur reſpondens illi periodus: *quo intellectu judicium Dei comprehendes?*

XXXIII. Obſervationes.

Et heic quoque *Anonymus* nonniſi *Proſperum* reddit ac demonſtrat.

At ſequens ſchema uti eodem ſtylo pedeſtri ſelectum, ita ſelectas habet oppoſiti capitis elocutiones: & quæ alia quidem, huic per omnia ſimilior reperiatur? *pleroſque vitam* in flagitiis *exigentes*, &: *qui longam agentes* in flagitiis *ætatem*? ne quid de ſequenti attingam: *in ipſo vitæ fine*; atque: *in ipſo exhalandi ſpiritus fine:* nam illud: *in ipſo* majus ſonat, quàm quod tam brevi ſpatio explicari poſſet.

2. Sexcentis locis has adverſæ periodi locutiones occupat *Proſper*, nos ex eadem epiſtola, illam quæ ſe primùm exhibuit, exſcripſimus, per ſe ſatis aptandam.

XXIV. Conspectus 12. Tabulæ.

Ex cap. 18. *lib.* 1. de Vocat.

1. Omnibus ergò *hominibus* cujuslibet gentis & generis, cujuslibet conditionis & ætatis causa percipiendæ gratiæ voluntas Dei est, apud quem ratio electionis *abscondita* est; ab ea gratia incipientibus meritis, quam accepere sine meritis.

Ex aliis Prosperian. *excerptis.*

1. Quia *omnibus* in Adæ prævaricatione postratis, nisi quosdam assumeret misericors gratia, maneret super universos inculpata justitia. Quæ autem sit discretionis istius in secreto consilio Dei causa, vel *ratio*, supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur... modò confiteamur, neminem immeritò perdi, neminem meritò liberari, &c. si enim hoc consilium vocationis suæ Dominus *abscondit*, &c. Ep. ad *Ruff.*

2. Origo itaque veræ vitæ veræque justitiæ in regenerationis est posita sacramento, ut ubi homo renascitur, ibi etiam ipsarum *virtutum veritas* oriatur, & incipiant ad perpetuam gloriam incipere per fidem, quæ vix ad *temporalem vanæ laudis* poterant pervenire *mercedem.*

2. Puto autem istum in specie falsarum errare *virtutum*, dùm ea quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis existimat posse reperiri......... quæ omnia non frustra habent, multumque ex eis in hac vita honoris & gloriæ consequuntur. Sed quia in his studiis non Deo sed diabolo serviunt, licet habeant *temporalem* de *vana laude mercedem*, ad illam tamen beatarum *virtutum* non pertinent *veritatem*, &c. con. *Collat.* c. 28.

3. Sive enim Judæus legis scientiâ tumens, sive Græcus studio sapientiæ naturalis inflatus, priusquam justificetur

3. *ipsa* est *ira* quam Adam meruit, & in qua omnes nati sumus, secundum quam dicit *Apostolus: eramus filii iræ sicut &*

per fidem Christi, conclusus est sub peccato, & si in infidelitate perstiterit, ira Dei manet super eum, *illa* scilicet in Adæ prævaricatione concepta, de qua *Apostolus* loquitur dicens: Et *vos cùm essetis mortui delictis*, &c. Et, *eramus filii iræ sicut & ceteri*... Et iterum: *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

ceteri... Et ideo natura filii iræ dicimur, quia ita ipsis principiis nostris insedit, & ab illo præter D. N. J. C. nullius hominis natura fit libera, &c. Antea autem dixerat: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, ut & solitudo gentilis acciperet notitiam veritatis, & judæis suâ prævaricatione ruinosis lux & stabilitas præstaretur: dùm ille qui tenebrarum illuminator est dicit: *fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino*, &c. Exp. *Psal.* 101. Ephes. 2. 8. Ephes. 5. 8.

XXV. Observationes.

1. Ad inscutabilem judiciorum Dei profunditatem circa rationem electionis stabiliendam, eodem animo, iisdemque locutionibus conspiratur. Ut enim *ratio electionis apud Deum abscondita* esse dicitur: ita & ex alio: *discretionis ejus causa* vel ratio *in secreto consilio Dei* posita esse *& abscondi* pronuntiatur. Unde & *si omnibus hominibus causa percipiendæ gratiæ voluntas Dei est*, &c. necessariò consequitur, *ut nisi quosdam assumeret misericors Dei gratia, maneret super universos inculpata justitia.*

2. Uti in *Cassiano* Massiliensium coryphæo revincendo multus fuerat *Prosper*, ut probaret, quòd nulla vera virtus haberi potest, nisi ex Dei munere; non mirum est, si eundem illis sæpiùs moventibus lapidem, iterùm removere curet sagax inspector. Unde quemadmodum ibi ait: *ipsarum virtutum veritas*, ita antea dixerat: *beatarum virtutum veritas*, & *falsarum virtutum species*: quæ quidem egregiè in sensu & in verbis conveniunt. Tùm notat has *ad perpetuam gloriam incipere per fidem*, quas, citra hanc, fatetur ex adverso, *multum honoris & gloriæ. sed in hac vita solùm consequi, quia in his studiis non Deo, sed Diabolo servitur.* Inde adeòque illa *habent temporalem de vana laude mercedem*; seu: *ad temporalem vanæ laudis mercedem*, &c. Ubi hæc etiam characteristica locutionis formula.

3. Quod instituit ratiocinium *Anonymus*, sic egregiè jam occupaverat *Psalmorum* expositionem aggrediens, ubi & satis utrobique notabilis est hæc transitio sic reduplicans: *illa scilicet ira*, &c. Et: *ipsa est ira*, &c. Eædem autem Scripturarum autoritates quâdam conspiratione adducuntur in serie, quòd quia aliàs notavimus, heic magis non exaggeramus: quia ut pote eidem genio innatum atque proclive, ut principiis semel assumptis pertinaciter inhærens, ad ea tuenda in easdem autoritates nolens etiam relabatur, quas ad hoc ipsum aliàs usurpaverat.

Ex Cap. 20. lib. 1. de Vocat.

XXVI. Conspectus 13. tabulæ.

1. Hæc autem viscera misericordiæ Dominus non ad unius tantùm populi redemptionem, sed ad omnium nationum impendit salutem *dicente Evangelista*: quia Jesus moriturus erat pro gente & non tantùm pro gente, sed etiam, ut filios Dei dispersos congregaret in unum. (Iohan. 11. 52.)

2. Igitur quantùm attinet ad humani generis cæcitatem, longâ ignorantiæ & superbiæ nocte contractam, venit in hunc mundum Creator mundi, & *mundus eum non cognovit*, lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. (Iohan. 1. 5.)

3. Sed quia non frustrà Deus Dei filius venit in mundum, & dedit semetipsum pro omnibus & mortuus est, *non tantùm pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum*: .... & servato sibi incognoscibilis electionis arbitrio, dat sui, Patrisque notitiam quibus eam voluerit revelare, &c. (Iohan. 11.52.)

Ex aliis Prosperian. *excerpt.*

1. Cùm itaque rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus. ... *dicit* enim *Evangelista*, quia Jesus moriturus erat pro gente, Et non tantùm pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum. Resp. ad object. 9. *Gallor.*

2. In sua enim venit & sui eum non receperunt; quotquot autem, &c. Diversa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dicitur: *mundus eum non cognovit*. ... mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt *Ibid*

3. Ipse verò Dominus Jesus qui dixit se venisse quærere & salvare quod perierat: *non veni*, inquit, *nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*. In istis ergò sunt illi, de quibus dictum suprà jam memoravimus: quia *Jesus moriturus erat pro gente & non pro gente tantùm*, &c. *Ibid.*

Ex serie

Ex serie. cap. 20.

4. Omnes *filii* lucis, *filii promissionis*, filii Abrahæ, filii Dei, præcogniti, & præordinati, in regnum Dei (qui eos vocavit *non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus*) testimonium ejus qui de cælo venit accipiunt, signantes quia Deus verax est: id est expressè significantes in sui salvatione, quoniam Deus verax est, implens & perficiens quod promisit Abrahæ omnium gentium patri, qui pollicente Deo, quòd hæres futurus esset mundi, *non hæsitavit diffidentiâ.....quoniam quod promisit potens est & facere.* Quis enim tam alienus est à fide Abrahæ.... qui promissionem Dei aut non impleri, aut ab alio præter eum, qui promisit dicat impleri?

Ex aliis Prosperian. *excerptis.*

4. Quia *non solùm ex Judæis, sed etiam ex gentibus* per eum qui vocat quæ non sunt, tanquam quæ sunt, & qui dispersos Israël congregat, *filii* Dei, *filii promissionis* in una Ecclesia congregantur; ut impleatur quod promissum est Abrahæ, cui dictum est: *quòd in semine ejus*, &c.

4. Si *filii promissionis* sumus *non hæsitemus diffidentiâ*, sed cum patre nostro Abraham.... *quoniam quod promisit potens est facere*... Quæ promissiones quia verissimæ sunt, nec possunt ex ulla parte mutari, in his implentur, qui salvi fiunt per universos fines terræ: *quoniam quod promisit*, &c. Hæc ergo est illa totius humani generis assumptio, hæc filiorum Dei adoptatio, hæc gentium plenitudo præscita & prædestinata, &c. De his lapidibus nihil ejicitur, nihil minuitur. Resp. ad 8. *Gallor.*

Rom. 4. 20.

XXVII. Observationes.

Idem ratiocinii tenor, eademque autoritatum series.

Caput istud 20. quod pene exscripsimus, ex adverso integrum reddimus in serie non interrupta alterius *Prosperianæ* lucubrationis, ubi ratiocinationes eædem similiter adhibentur, autoritates eædem pariter ducuntur & reducuntur. Et prima quidem *Johan.* 11. hâc cum ejus laudatione ultrò, citròque consignatur: *dicente Evangelista:* Et: *dicit Evangelista.* Reliquæ autoritates 2. & 3. numero prolatæ satis per se conspicuæ sunt, & retractatæ sufficienter rationes, ob quas eodem ordine, tenoreque ita cohærent, & copulantur.

4. Heic primâ facie irradiant hæ utriusque schematis formulæ: *Filii Dei, Filii promissionis*, &c. ut *impleatur:* atque: *implens & perficiens*, &c. Porrò ut omnes *filii Dei, promissionis, lucis, præcogniti & præordinati in regnum Dei non solùm ex Judæis, sed etiam ex Gentibus*, &c. ita & est: *hæc illa totius humani generis assumptio, hæc filiorum Dei adoptatio prædestinata*, &c. Et pariter *vocantur Filii Dei, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus*, &c.

Ex cap. 23. lib. 1. de Vocat.

XXVIII. Conſpectus 14. tabulæ.

1. Quòd ſi omnia divinorum eloquiorum teſtimonia ſermoni noſtro velimus annectere modus non erit diſſerendi. Quæ tamen, ſi ſe recordationi noſtræ offerunt, non omittentur; ut, quantùm ſatis eſt, manifeſtetur omne hominis *bonum* meritum *ab initio* fidei uſque ad perſeverantiæ conſummationem, donum atque opus eſſe divinum.

2. Igitur fides quæ bonæ voluntatis, & juſtæ actionis eſt genitrix, quo ipſa fonte naſcatur, *Apoſtolus* Paulus exponat, qui pro *Romanorum fide Deo gratias agit dicens*: Primùm quidem gratias ago Deo meo, per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo. (Rom. 1. 8.)

3. *Ad* Epheſios *quoque ſcribens*: propterea *inquit*, auditâ fide veſtrâ quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectione in omnes ſanctos. (Epheſ. 1. 16.)

4. De fide quoque Lydiæ, cujus *inter* alias *mulieres*, *quæ* Evangelium pariter audiebant, Dominus cor aperuit, ita in eadem narratur hiſtoria: *die autum ſabbatorum egreſſi ſumus extra portam*. (Act. 16. 13.)

Ex aliis Proſperian. *excerptis.*

1. Ut manifeſtiſſimè noverimus nec illam eos habere laudem, nec *meritum*, in quibus non inveniuntur, quæ niſi Dominus dederit non habentur. c. 36. con. *Collat.*

1. Quid virtutis ac pietatis exceptum eſt, quod non ex gratiæ fonte profluerit, ubi *ab initio uſque ad* finem & inchoatio, & perfectio *boni* operis Domino reputatur. *Ibid.*

2. Putaſti de teſtimonio laudatæ fidei præjudicium donis gratiæ poſſe generari, quaſi fides ubi oſtenderetur laudata, non doceretur eſſe donata. Laudat *Apoſtolus Romanorum fidem*, & pro hoc bono *agit gratias Deo dicens*: primùm quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.

3. Ad Corinthios *quoque* ſimile ſcribit, &c. De Epheſiorum etiam fide, quid ſentiat audiamus: propterea, *inquit*, & ego audita fide veſtrâ, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes ſanctos. *Ibid.*

4. Sed nec illud in eiſdem actum eſt quod de Lydia civitatis Thyatirorum purpuraria, quæ *inter mulieres*, *quibus* illic Apoſtolus prædicabat, ſola tunc oſtenditur crediddiſſe: *cujus*, inquit, *cor aperuit Dominus ut intenderet his, quæ à* Paulo *dicebantur*. c. 30.

Ex serie cap. 23.

5. Ipsius enim sumus *figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Proprium ergò hoc habet nova creatura per gratiam, ut qui figmentum Dei sunt, qui nativitate cœlesti conduntur in Christo, non otio *torpeant*, nec desidiâ *resolvantur*, *sed de virtute in virtutem* per viam bonorum operum *ambulando* proficiant.

6. Hoc est enim fingi, hoc de veteri creatura novam fieri, hoc de imagine terreni hominis ad imaginem cœlestis hominis reformari. Quod totum sive palam per cooperatores gratiæ, sive occultè per subministrationem *spiritus* ille inchoat, ille auget, & perficit, cujus agricultura cujus ædificatio & *cujus figmentum sumus.*

Ex aliis Prosperian. *excerpt.*

5. Non à se ipso sed à Creatore mutatur... cujus *sumus nova creatura novumque figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Ibid.* c. 26. *Ephes.* 2. 4.

5. Non autem hoc curam minui studiumque *resolvi Virtutum*, aut opus ingenii *torpere.* De *Ing.* c. 45.

5. *Ambulantem de virtute in virtutem* gratia Dei glorificet. Epist. ad *Aug.* in fine.

5. Ergò intelligendum est Dei servos & electos filiòs promissionis, se propterea ista bona terrena sumere à Domino, ut non in eis securitate *torpescant*, *sed* ideo habeant... Exp. v. ult. *Psal.* 104.

6. *Emitte spiritum tuum*, &c. *ipsius enim sumus figmentum*, dicit Apostolus, *creati in operibus bonis quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Ab spiritu Dei accipimus gratiam, ut justitiæ vivamus. Deus enim justificat impium, & renovat faciem terræ, condens in toto mundo novam creaturam per spiritum gratiæ, ut deposito vetere homine, in novitate vitæ ambulemus. Tum : Deo ergo sit gloria, Deus lætetur in operibus suis, quia si quid laudandum, si quid lætandum ab homine agitur, opus Dei est & munus *gratiæ* ejus, qui aufert spiritum superbum, & dat *spiritum sanctum.* Exp. v. 30. *Psal.* 103.

XXIX. Observationes.

Ne in tanta similitudinum collationumque densitate hucusque conjecta suspicetur quis me aliquid majus præstitisse, quàm quod res est; sub hujus libri scholiorum finem, ingenuè fatebor, me in illius initio, primaque delibatione in istiusmodi similitudinum ramentis colligendis, improbo quidem, ingratoque interdùm labore, desudasse: at in decursu serò tandem advertisse, quod Metallicorum scrutatores pro certo tradunt; ut scilicet una adinventâ venâ, aliam paullò post offendant illi contiguam. Unde & μέταλλον quasi ἄλλη μέτ ἄλλον seu aliud post aliud adinventum, significantissimam nuncupationem obtinuit. Sic ego prorsùs, unâ fibrâ in *Prosperi* libris observatâ, quæ contentiosis opusculis aptari posset, manuducebat infallibiliter, vel tùm, vel non multò post, ad alia omnia eruenda, quæ integrum sensuum, verborumque & elocutionum conspiratum in utrisque tractatibus nativè repræsentarent. Quod etsi in præviis tabulis splendidè secernere facile sit, in hac etiam hujus libri postrema, egregiè manifestabitur.

Quanta in istiusmodi collationibus ordinandis deprehensa tandem facultas!

Et 1. certè idem assumptum utrinque propositum ex professo probandum rursùs assumitur, scilicet, ut manifestetur omne operis boni meritum ab initio fidei usque ad perseverantiæ consummationem, donum atque opus esse divinum: quod dogma ut manifestissimè nosceretur, cùm tandiu laborasset *Prosper*, in eo magis ac magis constabiliendo, contra *Cassianum* ultimò disputans non minùs viriliter agonisat. Jam enim ab initio ad Magistrum *Augustinum* scribens, in istis ipsis non *mediocris virulentiæ fibram nutriri* satis prænuntiaverat. At contemplemur quomodo pedetentim *Cassianum* insequatur, dùm nunc iisdem telis eùm personatus impetit, quibus nuper elato vexillo cum ipso conflixerat. Et quidem non admodum difficile valentissimo pugili nobiles palmas jamdudùm consecuto eadem arma resumere, per quæ tam insigniter adversarium superaverat omnium famosissimum; namque ejus recordationi faciliùs ea se offerre debuerunt *divinorum eloquiorum testimonia*, quæ jam usurpasse non erat immemor. Et certè nulla alia procliviùs adhibet, quàm quæ assumpta legimus in opere contra *Collatorem*, quòd utique menti ejus altiùs infixa essent. Sunt enim ea ipsa omnino continuatâ serie usque ad numerum 5. prolata.

Cassianus oppositis olim autoritatibus rursùs perstringitur.

2. Sed & quàm in eis citandis & referendis sibi invicem tractatus concordant? nam ut habet unus num. 2. *Apostolus Paulus qui pro Romanorum fide Deo gratias agit dicens*, primùm quidem, &c. ita alter: *laudat Apostolus Romanorum fidem, & pro hoc bono agit gratias Deo dicens:* primùm quidem, &c. ubi non modo citandi formula utrique communis observanda est, sed etiam maximè hic usus particulæ utrobique adhibitus; *pro Romanorum fide*, atque: *pro hoc bono.* Taceo locum illum, ne immutato apice, similiter datum.

3. Antecedenti animadversioni lucem & autoritatem maximam confert consequens ista laudationis species: *ad Ephesios quoque scribens*: & nec non: *ad Corinthios quoque scribit*, &c. in quibus quidem unius & ejusdem genii mirabiliter clarescit, diuturnâ consuetudine, contractus habitus: tum & illud subsequens rem cumulatiùs probat: *propterea, inquit, & ego*, &c. nam & ex adverso rursùs: *propterea, inquit, & ergo*, &c.

4. Refertur & heic quoque, & eodem verborum apparatû Lydiæ Purpurariæ extollitur insignis vocatio. Sed insuper in istis penè characteristicam alius dixerit utramque membri istius contexturam: *cujus inter* alias *mulieres quæ* Evangelium audiebant, &c. nec non: *quæ inter mulieres quibus* Apostolus prædicabat. &c.

5. Et in serie rursùs persequitur ac involvit *Anonymus*, quæ adversùs *Collatorem* sparsim jacta erant. Sed ex hoc testimonio divi *Pauli* ad Ephesios id utrobique constabiliri studetur, quòd nova illa creatura per gratiam facta, labori ac operationi instet, &c. id enim etiam suadet *Aquitanus*, dùm quidquid in libero arbitrio melius reficitur, ait, *non esse sine illo qui sanatur*, &c. quæ quidem arbitrii cooperationem inculcant. At alias hujus schematis locutiones splendidiùs reddit in residuis adversis membris, &c. siquidem hæc: *ut non otio torpeant, neque desidiâ* resolvantur, &c. nunquid hâc metrica prorsùs ebibitur: *non autem hoc curam minui studiumque* resolvi . . . *aut opus ingenii torpere* putandum, &c. ubi hæc satis singularia vocabula: *torpere*, & *resolvi* eodem significatû sumuntur. Sic & penultima sententia ex Psalmi expositione ducta hunc etiam sensum exprimit; at in his particulis: *non, ut, sed*, magis enitet idem Oratoris character: *non ut* securitate torpescant, *sed* ideo habeant, &c. quibus quidem adversa integrè commensurantur: *non ut* otio torpeant, *sed* de virtute in virtutem per viam bonorum operum ambulando proficiant. At nec porrò posteriores istæ loquendi formulæ respondentibus usquequaque lineamentis destituuntur; nam & ista: *de virtute in virtutem*, ad hoc carmen etsi satis concinnè referri possit: *virtutem virtus*, de lumine lumen, &c. residuas tamen ejus partes omnes insigniùs complectitur hæc consequens: *ambulantem de virtute in virtutem* gratia glorificet. Quæ profectò locutio: *Ambulare de virtute in virtutem*, quid tam proprium habet, quid tam consonum ingerit, quid tam conforme sonat, ut ad unius ejusdemque styli venam agnoscendam invictè invitum etiam determinet.

Prosperianæ species illustres ac genuinæ.

6. Sed nec minùs validè premunt hæc postrema: nam ut resumit *Prosper* in *Psalm.* expositione locum eundem *Pauli* ad *Ephes.* epistolæ, ita ratiocinium adversi schematis superioris exprimit, eorumque locutiones eximiè frequentat. Nam utrobique nova creatura veteri opponitur, maximèque id inculcari hinc & inde curatur, quòd Deus *inchoat perficitque* quæ in nobis existunt enitentque bona, quod totum, *sive palam per cooperatores gratiæ, sive occultè per subministrationem spiritus ille inchoat, ille auget & perficit, cujus figmentum sumus*, ait *Anonymus*. At & qui ab eo nuspiam diversus est *Prosper*, quia in prioris versiculi explicatione, totum illud argumentum nondum complexus erat, cumulatè redhibet in sequenti: *lætetur Deus in operibus suis*, quia *si quid laudandum, si quid lætandum ab homine agitur, opus Dei est & munus gratiæ ejus, qui dat spiritum sanctum*, &c. in quibus postremis vocibus hoc membrum præsertim redditur, *sive per subministrationem spiritus*, &c. sed & eadem innumeris refricat *Prosper*, quæ notare non vacat.

Nec porrò reliqua duo capita, per tabulas saltem, conferre morabimur, etsi illa ad c. 24. transitio omninò *Prosperiana* nobis videatur: Abundè, quantum ARBITROR, DEMONSTRATUM EST, nam in peroratione tractatus con. *Collat.* ubi similiter de confecta agebatur opera, ait: sufficienter, ut ARBITROR DEMONSTRATUM EST. Quæ etsi brevia, non tamen gravia non censeri debent. Sic & istud sequens membrum: *Fides ad hoc donatur, ut principium possit esse meritorum*. Huic *Aquitani* nostri satis congruit: *si de fide gratiæ, ex qua est omnium bonorum origo, perseverantiaque* MERITORUM, in Resp. ad Dub. 10. *Genuen.* Ab inde nonnisi Scripturæ loca congeruntur ab *Anonymo, quibus*, inquit, c. 25. sequenti, *plenissimè declaratur omnia quæ ad promerendam vitam æternam pertinent sine gratia Dei, nec inchoari posse, nec augeri nec perfici: & contra omnem elationem de libero arbitrio gloriantem, illam invictissimè reniti sententiam dicentis Apostoli:*
1. Cor. 4. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis? igitur profunditas, &c. Quæ etiam ad hæc primum occurrentia ex c. 29. c. *Collat.* satis alludunt: *propter quod*, infit, & B. Paulus; quid enim habes, inquit, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis. *Ergo* OMNIA *quæ ad* VITAM PERTINENT, *non per naturam, quæ vitiata est, habemus*, sed PER GRATIAM, quâ natura reparatur, accepimus. Unde & continenter *Anonymus* in hunc sensum ait: *quod contraxit natura per culpam, hoc recipit natura*, PER GRATIAM.

Porrò ut jam monuimus ad c. 12. istius libri, quia post relatam celebrem *Pauli* 1. *Tim.* 4. 10. sententiam, varias ex Scripturâ Catholica expositiones congerere studuit; ut divinæ gratiæ effectus mirificos explicaret, ideò heic veritus, ne ex istis hujus stabilitati præjudicium inferendi occasionem arriperent adversarii, ad hanc solidandam, & ab invidiosis concertationibus sequestrandam se comparat; ait enim: *verumtamen ne illa pars fidei, quâ piè credimus: Deum* velle ut omnes homines veritatis agnitione salventur, *per hoc quod de effectibus gratiæ evidenter ostenditur*, INFIRMATA *videatur, annitendum est, auxiliante Christo, ut nobis stabilitas hujus definitionis appareat*, &c. Unde & ad solitas comparationes nostras ordinandas, postulat instituti ratio ut nos accingamus.

Sed antequam rem ipsam satis prolixam aggrediamur, in quandam veluti animi remissionem & tractationis varietatem, adducendum est *Jo. Latii* judicium, qui postquam lib. 2. de Pelag. & Semip. c. 3. *stylum libb.* de Vocat. *à stylo* Prosperi *abludere* ex aliis potius forsan, quàm ex se recitavit, id magis palmare è suo probabiliter adjicit, quod scilicet: *rerum tractatio dissimilis est.* Quod quidem suam in his trutinandis incuriam prodit, cùm è contra autor iste *de Vocat.* trita in aliis tractatibus vestigia adlambere studiis omnibus satagat, nullumque statuat *Aquitanus* argumentum, quod idem ipse, aliâ licet promicans specie, suos in commentarios non deducat; atque adeò ubicumque è sua cisterna aquam bibat. Quæ etiam splendidiùs in secundi libri decursu demonstrabuntur.

Disgressiuncula circa *Latii* perfunctorium in istis examen.



Ex primo cap. lib. 2. de Vocat.

XXX. Conspectus 15. tabulæ

1. *Remotis* abdicatisque omnibus *concertationibus*, quas intemperantium disputationum gignit animositas, tria esse perspicuum est, quibus in hac quæstione, de qua secundum volumen incipimus, debeat inhæreri.

1. Tim. 2. 4. 2. Unum quo profitendum est *Deum velle omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*; Alterum quo dubitandum non est ad ipsam agnitionem veritatis & perceptionem salutis non suis quemquam meritis, sed ope atque opere divinæ *gratiæ* pervenire; Tertium quo confitendum est, *altitudinem judiciorum Dei* humanæ intelligentiæ *penetrabilem* esse non posse.

3. *Et cur* non omnes homines salvet qui omnes homines vult salvos fieri, non oportere disquiri: quoniam si quod cognosci non potest, non *quæratur*, inter primam & secundam definitionem non remanebit causa certaminis.

Ex aliiss Prosperia. *Excerptis.*

1. *Remoto* ergo obscurarum turbine quæstionum, ad revelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus: dicamusque

1. *At si* dimotâ certandi *nube serenis*
Quæ sunt vera oculis, intueare modestis
(De Ing. c. 14.)

2. Dicamusque quomodo *vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*....... Fidem autem hominum donum Dei esse fateamur, sine cujus *gratia* nemo currit ad gratiam, &c. Resp. ad Object. 8. *Gallor.*

2. *Impenetrabilis judiciorum Dei altitudo* pulsatur *ibid.*

3. *Quare* enim in *præteritis sæculis dimiserit*, &c. *Et quare*: *quod quærebat Israël non sit consecutus, electio autem consecuta est; ceteri verò excæcati sunt?* impossibile est comprehendere & periculosæ curiositatis est *quærere*: cùm tamen

Ex serie

Ex serie ejusdem I. cap.

4. Deus quippe *apud* quem *non est iniquitas*, & cujus *universæ viæ misericordia & veritas*, omniũ hominũ bonus conditor, justus est ordinator, *neminem indebitè* damnans, *neminem debitè* liberans; nostra plectens cùm punit noxios, sua retribuens cùm facit justos: *ut obstruatur os loquentium iniqua, & justificetur Deus in sermonibus suis & vincat cùm judicatur.*

Ex serie Prosperianorum *excerptor.*

4. Cùm tamen quòd nulla *sit apud Deum iniquitas* nemini liceat ignorare, &c. *ibid.*

4. *Non est* enim *iniquitas apud Deum*..... Quare autem non omnes, aut quare illos potiùs, quàm hos liberet, &c. cùm scire sufficiat, quòd nec misericordia justitiam, nec justitia auferat misericordiam Resp. ad dub. 8. *Genuen.* 2. *Paral.* 19. 7.

4. Confiteamur *neminem immeritò* perdi, *neminem meritò* liberari. Epis. ad *Ruffin.*

4. Psalmus iste I. versu de toto intelligendus est corpore, & confitendum Deo, quoniam *universæ viæ* ejus *misericordia & veritas*: ut quælibet se nostris cogitationibus de rerum veritate ingerant causæ, non in aliquam moveamur querelam, sed misericordiam & judiciũ Domino piâ confessione cantemus. Ad resolvendas enim universas quæstiones, quas contra Providentiam Dei exercere audet mũdi hujus stulta sapientia, INVICTISSIMA est ratio, per quam intelligitur inter præsentis vitæ inæqualitates, nec à justitia Dei misericordiam, nec à misericordia abesse justitiam, donec peractis temporalibus fiant utraque perpetua, &c. *Exp.* v. I. *Psal.* 100. (Item *Psal.* 113. v. *super miseric. tua*, &c.) In Scripturis SS. duo *hæc*, *misericordia & veritas* penè semper junctæ inveniuntur; in sua *Psal.* 50. quippe misericordia Deus vocavit impios, & in veritate judicavit eos, qui venire noluerunt. (Item *Psal.* 137. v. *Et cantent in viis Dom.*) In quibus viis nisi de quibus dicitur: *universæ viæ Domini misericordia & veritas*: ut dum omnia opera Dei in his consummantur, nemo nisi in ipsius gloria glorietur. (Et antea Psal. 118. v. *omnes viæ tuæ veritas.*) Sed quæri potest, inquit, quomodo hoc dictum sit, cùm in alio Psalmo legatur: *universæ viæ Domini*, &c. Si ergò omnes homines consideremus, quorum alii misericordiâ *liberantur*, alii à veritate *damnantur*: *universæ viæ Domini*, &c. (Et in præced. versic. *Memor fui judiciorum*, &c.) Probavi quòd omnes viæ tuæ *misericordia & veritas*, &c. Alia innumera prætermittimus, quæ complecti non potest pagella.

XXXI. Observationes.

Operæ distributio tota *Prosperiana* est.

In hac nova operæ partitione æquum rursùs arbitrum & si placet *amicum* exhibet se *Prosper*, qui genio suo pariter ubique velificatus disputationes omnes ad certa principia à cunctis admissa, vel admittenda contrahit, & egregiè ab his quæ non sunt investiganda secernit. In priori numero sunt: quòd *Deus vult omnes homines salvos fieri.* &c. Et: quòd ad perceptionem salutis *non suis quisquam meritis, sed ope divinæ gratiæ pervenit*: in altero ordine seponitur inscrutabilis quæstio: *cur Deus non omnes homines salvet, qui omnes vult salvos fieri?* hanc judicat non oportere disquiri: *quia*, inquit, *si quod cognosci non potest, non quæratur, inter primam & secundam definitionem, non remanebit causa certaminis.* Consentanea in omnem partem methodus ad eos fines producere, & inter eos limites controversias circumscribere, ut pugnarum amputetur occasio: congruentissima, inquam, methodus, cuique fortè, si magis in scholarum curriculis inhæreretur, nec suo vacua compendio rediret opera. Nam & tot retrò sæculorum experientia satis firmavit, quòd huic tertio non nimis disquirendo dogmati, quoties otiosiùs curiosiùsque immoratum est, aut error, aut erroris periculum persæpè prodierit: inde genita *intemperantium disputationum animositas*; quam omnimodis antevertere, quantùm est lucrum, omnes agnoscunt, sed non omnes æmulantur.

Quæstionum summa sapiensque discretio.

Intermicantes ubique *Prosperi* species.

1. Felicibus, si uspiam, auspiciis, schemata nostra prodeunt, non solùm quia eadem dictione:*remoto*, Et: *remotis*, *Prospero* tam familiari tractandam ipse inchoat *Anonymi* quæstionem; sed quia eodem prorsùs sensuum locutionumque tenore eam persequitur. Utrobique enim inquiritur quomodo: *vult Deus omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* Et ad id ritè exequendum, uterque vel *remotas abdicatasque omnes concertationes*, quas intemperantium &c. esse cupit: vel *remotum obscurarum turbinem quæstionum*. &c.

2. Ut *Anonymus* huic primæ quæstioni seu regulæ hanc illigat: *ad agnitionem veritatis non suis quempiam meritis, sed ope divinæ gratiæ pervenire*: ita *Noster*, exacto primo argumento, ad alterum continenter transit, & quasi, dato signo concinit: *fidem hominum donum Dei esse, sine cujus gratia* &c. Tum ubi in 3. placito dicitur: *altitudinem judiciorum Dei penetrabilem* esse non posse: inde alter, veluti repercussâ echo, respondet: *impenetrabilis judiciorum Dei altitudo* pulsatur.

3. Multa heic otiosiùs conferenda venirent, & annotanda præcipuè in similitudine locutionum & eadem autoritatis assumptione, quâ, non investiganda quæstio, *cur Deus non omnes salvet* &c. utrinque, per Apostoli sententiam utique, resolvitur: *quia non est iniquitas apud Deum.* Sed quia alia majora suum & heic locum præstolantur, præscripti limitis excessum veriti hæc & alia plura silentio obvolvimus.

Solenne *Anonymi* principium, *Prospero* ratio invictissima.

4. Namque in hoc 4. membro venam omnium copiosissimam offendisse nobis videmur, unde patentissimis rursùs indiciis ad *Anonymi* contuitum perveniamus. Quemadmodum enim iste omnem abstrusæ difficultatem quæstionis eliminare proponit hâc selectissimâ vèrsic 11 Psalmi. 24. autoritate: *universæ viæ Domini misericordia & veritas*: quam initio tractatus in terminis adhibitam, & in sensu per totum decursum variè exaggeratam iterùm expressè resumit cap. 29. quasi hoc veluti signaculo utramque operæ partem communire consecrareque voluisset: Quemadmodum, inquam, hic est ejus scopus intra certos illos limites quæstionem conscribere: ita omninò *Nostri* ejusdem finis est, intra hæc ipsa repagula sistere: *ad resolvendas universas illas quæstiones, quas contra Providentiam Dei exercere audet mundi hujus stulta sapientia*, seu ut ex alio respondet; *ut obstruatur os loquentium iniqua.* Quibus certè & iidem hostes & non diversus actor indigitantur. Porrò infinitum esset per singula loca excurrere, in quibus hanc adhibuit autoritatem *Prosper*, quantò laboriosius autem omnia invicem conferre? Et heic notasse sufficiat hanc ei pro INVICTISSIMA RATIONE semper habitam fuisse: quam adeòque nullus alius tam frequenter alibi, tam feliciter suis aptare potuisset argumentis. Quòd si & ex alio penitiùs posset *Aquitanus* noster internosci, hoc haud dubiè consequens membrum ultrò eum manifestaret: *confitendum est.... Neminem indebitè* damnans *neminem debitè* liberans, &c. Quod haud dubiè ad istud alludit & cum eo convertitur: *confiteamur neminem immeritò* perdi, *neminem meritò* liberari. Ubi *debitè*, & *indebitè*: *meritò* &, *immeritò* sibi ad miraculum concinunt. Qua ex epistola ad *Ruffinum* alia schematum tabula istis capitis descripti primitiis planè respondens facilè suppeditari potuisset.

At quoniam hucusque delibata ex pedestri stilo deflorata sunt, ex Metrico subjicimus epigramma 28. cujus titulus habet. *De duplici opere Dei*, argumentum autem sic præfert: *Si omnes homines simul consideremus, quorum alii misericordiâ salvi fiunt, alii vertate damnantur*: universæ viæ Domini, *id est*, „misericordia & veritas suo fine distinctæ sunt. Si autem solos Sanctos intuea„mur, non discernuntur hæ viæ Domini; individua enim est, & à misericor„dia veritas, & à veritate misericordia: quia beatitudo SS. & de munere gra„tiæ est & de retributione justitiæ.

Omnibus in rebus geminum est opus Omnipotentis
Totum justitia est quod gerit, aut pietas.
Quæ simul in terris descendunt lucis ab arce,
Ne cuiquam parti desit utrumque bonum,
Et quoniam cuncti auxilio miserantis egemus,
Præcedit semper gratia justitiam.
Damnantem elatos, salvantem justificatos,
Quos Deus & donis auxerit & meritis.

Ex cap. 3. *lib.* 2. de Vocat.

XXXII. Conspectus 16. tabulæ.

1. Magni autem & inenarrabilis sacramenti mysterium est, quòd prædicatoribus quibus dictum est: *ite in orbem universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ*, iisdem priùs dictum fuerat: *in viam Gentium ne abieritis & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potiùs ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* Quamvis

Marc. 16, 15.

Mat. 10. 5.

2. Quamvis enim ad omnium hominum vocationem *Evangelium* dirigeretur, omnesque Dominus salvos fieri & in agnitionem veritatis vellet venire; non tamen sibi dispensationum suarum abstulerat potestatem, ut aliter quàm *occulto* justoque *judicio* statuerat, consilii sui ordo decurreret.

3. Unde locum non habent contumacium murmura querelarum, quia *quod Deus fieri voluit*, constat, non aliter fieri debuisse quam voluit.

4. Posteriori verò tempore cùm jam Dominus Jesus in Dei Patris gloria consideret, & prædicatores verbi suscepto negotio deservirent, volentes Apostoli prædicare verbum in Asia vetiti sunt ab spiritu sancto, & disponentes *ire in Bithyniam prohibiti sunt à spiritu Jesu*: non utique negatâ illis populis gratiâ, sed retardatâ, Nam postmodum etiam apud ipsos fides Christiana convaluit.

Act. 16.

Ex aliis Prosperian. *excerptis.*

1. Dominus Apostolis suis præcepit dicens: *euntes ite & docete omnes Gentes baptizantes*, &c. Quod cùm Apostoli audirent sine dubio non verba nuda per corporales sonos exterioribus tantùm auribus acceperunt. Sed virtute jubentis verbi accensa est in cordibus eorum inextinguibilis flamma caritatis, quâ ardentissimè vellent Evangelium Christi omnibus gentibus prædicare.

2. Sed cùm vetiti sunt loqui verbum in Asia,.. nunquid non ex Deo hanc voluntatem habebant, qui etiam optabant istorum corda convertere, quos *occulto judicio*, Deus *Evangelium* tunc nolebat audire. c. *Collat.* c. 25.

3. Quod ut exemplis magis lucescat requiramus, ubi *fieri Deus noluerit*, quod homines facere, Deo nolente, voluerunt. Dominus Apostolis, &c. *ut supra.*

3. Insanum omninò & contra rationem est dicere, voluntatem Dei, ex Dei voluntate non fieri. Resp. ad 4. *Vincent.*

4. Dominus Apostolis suis præcepit.... sed cùm vetiti sunt loqui verbum in Asia, & cùm tentarent *ire in Bithyniam prohibiti sunt à spiritu Jesu*, nunquid non ex Deo hanc voluntatem habebant? *ut supra.*

Ex serie ejusdem cap. 3.

5. Quæ autem fuerit differendæ vocationis causa non claret? Et tamen rei gestæ docemur exemplo, quòd inter generalia, vel promissa, vel *opera*, vel præcepta quædam Deus à communibus excepta causis occultiore novit ordinare ratione. Credo ut, interpositis quibusdam obumbrationibus, ea quæ secretiùs micant, *mirabiliùs* innotescant; ne negligentior fiat acies de facilitate cernendi, & quodammodo dormitet *assuetis*, si non *excitetur insolitis*.

6. Has autem incognoscibiles illuminationum dilationes, inter quas....

7. Et quis inter hæc querulis, aut curiosis notum faciet, cur adhuc sol justitiæ quibusdam gentibus non oriatur?... cur corrigendi tandiu sinantur errare? cur.... cùm tamen Deo, qui initiorum fidei, incrementique largitor est, secundùm ipsius præceptum quotidie *pro omnibus* supplicetur: ut & si

8. Ut & si exaudit, nota sit gratia miserationis; & si non exaudit, intelligatur *judicium veritatis*.

Ex eorundum excerptorum Prosperian. *serie*.

5. Scrutare, exquire, vestiga, si potes, omnes voluntates Domini, in omnibus semper magna *opera* ejus invenies. Nulla enim voluntas potentior est ipsius voluntate, contra quam cùm aliquid fieri sinit, misericordiam suam justitiamque demonstrat..... Mirabilia Dei & quotidiana & magna sunt, sed quia parùm ea consuetudo *miratur*, quædam Dominus signa certis temporibus promenda disposuit, ut per *inusitata* & nova, humana *excitaretur* intentio, & nutriretur in ea de *insolitis* utilis timor, &c. Exp. v. 2. & 4. *Psal.* 110.

6. Causas verò operum & judiciorum Dei qui ex toto ad humanas voluntates refert.... profitetur sibi vestigabiles vias ejus, &c. Resp. ad obj. 8. *Gallor.*

7. Aut quòd Ecclesia quotidie pro inimicis suis orat, id est pro his qui nondum crediderunt, nunquid non spiritû Dei hoc facit? quis hoc dixerit, nisi qui hoc non facit, aut qui putat fidem non esse donum Dei? Et tamen quod *pro omnibus*, non pro omnibus obtinetur. c. *Collat.* c. 25.

8. In sua quippe misericordia Deus vocavit impios, & in *veritate judicavit* eos, qui venire noluerunt. Exp. v. 9. *Psal,* 113.

8. Deus non deceptionis malignitate seducit, sed *judicii veritate* discernit. Exp. v. 40. *Psal.* 116.

XXXIII. Observationes.

1. Ad Evangelii annuntiationis mysterium explicandum, nunc decurrit sermo, & hujus dispensationis rationes expenduntur; quæ omnes intra potentissimam præsentissimamque Dei voluntatem conclusa sunt: utque primò ac præcipuè mentem ferit Dominicum illud præceptum, quo jubens Deus *prædicare Evangelium omni creaturæ*, prohibuerat antea, ne *in viam Gentium abirent*, & inde *prohibiti sunt ire in Bithyniam* à spiritu, ideò hæ autoritates invicem pugnare visæ primò adducuntur & conciliantur.

2. Inde tamen quia, extante illo generali prædicationis Evangelicæ præcepto, nihilosecius sibi Deus reservaverat *dispensationum suarum potestatem*, vel eam *sibi non abstulerat*, ideò subjungitur: *ut aliter quàm occulto* justoque *judicio* statuerat, &c. Quibus hæc planè conformantur: Apostoli optabant iterùm corda convertere, quos hoc *eodem occulto judicio* Deus Evangelium nolebat audire. Ubi quidem *occulto* illi *judicio*, ratio, modus, atque tempus ejus dispensationis utrinque assignantur. Ceterùm & de gratia illa Evangelica carm. *de Ing.* c. 11. jam cecinerat:

Massilienses notantur & arguuntur.

Nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris jam certum est insinuatum
Christi Evangelium *: en dicam exordia doni,*
Non potuisse simul toto decurrere mundo.
Illa quidem ad CUNCTOS *ferri sunt* JUSSA, *sed uno*
Tempore non agitur, quod tempore dicitur uno.
Dumque suis aditus, Domino pandente, ministris
Crescunt primitiæ, fuerint omnino necesse est,
Quædam terrarum partes, ubi gratia nondum
Corda hominum tenebris absolverat impietatis.
Et dirâ inumeri demersi nocte peribant,
Cùm multæ accepto fulgerent lumine mentes.

3. *Massilienses* heic satis designati, atque increpiti, quibus *contumacium* illarum *murmura querelarum* alibi imputata notavimus, quæ ut consopiat, ait, *quia, quod Deus fieri voluit, constat non aliter fieri debuisse quàm voluit. Contumaces* autem eas querelas meritò dixit *Anonymus*, haudquaquàm immemor, eas à se nuper contra *Castanium* ac *Vincentium* disputante sic exertè depulsas esse: *requiramus, ubi fieri Deus voluerit, quod homines facere, Deo nolente, voluerunt*, &c. Et: *insanum dicere voluntatem Dei, ex Dei voluntate, non fieri.* Quibus ex formulis & aliis per omnia similibus satis patet, quantus in hoc stabiliendo, exemplisque firmando dogmate fuerit *Prosper*, ut inde magis ac magis eundem hæc querelarum *contumacia* validè pulsasse perhibeatur.

4. Sed & idem assumptum eodem utrinque facto ex cap. 16. *Actor.* eruto continuatur.

5. Si cui ex frequenti consuetudine mediocre, videri posset, quòd in iisdem quæstionibus pertractandis, eædem autoritates, rationesque & interdùm voces & locutiones ipsissimæ usurpentur: ecce unde *insolitis excitatus* resispiscat; unam enim eandemque venam in diversis scriptis & argumentis sic reperiet. Investigat autem ex una parte *Anonymus*: quæ *fuerit differendæ aliquorum populorum vocationis causa*? Et ex altera non alius à primo *Prosper* explicationem *Psal.* 110. persequitur, qui circa generalem Creatoris laudem versatur. Priorem quæstionem resolvit tractator dicendo: *quòd inter generalia, vel promissa vel opera, quædam Deus à communibus excepta causis occultiore voluit ordinare ratione.* Cur autem id præstet? *ut scilicet interpositis quibusdam obumbrationibus, ea quæ secretiùs micant, mirabiliùs innotescant, ne negligentior fiat acies cernendi, si non excitatur insolitis.* Sed ad hanc normam penitùs *Psalmi* sui interpretationem aptaverat, neve quid ex notatis intactum relinquatur, enucleavit circa voluntatem Dei, quidquid supra delibavimus: *nulla enim voluntas*, inquit, *potentior est ipsius voluntate, &c.* Tum quia *Dei mirabilia & quotidiana & magna* esse dicit, *ne parùm ea consuetudo miretur, quædam Dominus signa, certis* promenda temporibus, *disposuisse* ait; ut *per insitata ac nova, humana excitaretur intentio, & de insolitis nutriretur*, &c. Ubi idem genus, idemque character, si jam in sensibus ultrò, in expressionibus non minùs irradiant. Nam ut heic dixit: *generalia præcepta, vel opera*, &c. istheic: opera *mirabilia quotidiana & magna.* Illa, *quibusdam obumbrationibus ordinata:* hæc *certis temporibus disposita.* Tum: *ut hæc* mirabiliùs *innotescant:* vel: *ne parùm ea consuetudo* miretur. Inde *excitatur insolitis*, hinc *per invsitata excitatur*, & *de insolitis*, &c. Quæ unum ex alio deprompturn esse convincunt.

Ex insolitis ducta consensio studium excitat.

6. Heic *incognoscibiles*, vel non *vestigabiles* viæ, &c.

7. Argumentum ex Ecclesiæ precibus petitum satis comparavimus & expedivimus: sed & de eo iterùm dicemus in decursu, nam neque præteriri debet, cur *Semipelagiani* dogmatis impugnatores tam frequenter inculcabant gratiæ ad initia fidei necessitatem, si hanc illarum partium studiosi admittebant.

8 Sed non expressiori similitudine signatæ formulæ huic respondentes occurrere poterant: gratia miserationis & *judicium veritatis*, &c. Atque: *misericordia vocans & veritas* in qua *judicatur*, tum *judicii veritas.*

Ex eodem cap. 3. *lib.* 2. de Vocat.

XXXIV. Conspectus 17. tabulæ. Magni autem & inenarrabilis sacramenti mysterium est...... Quamvis enim ad omnium hominum vocationem *Evangelium* dirigeretur, omnesque Dominus *salvos fieri & in agnitionem veritatis vellet venire*; non tamen sibi dispensationum suarum abstulerat potestatem, ut aliter, quàm occulto justoque judicio statuerat, consilii sui ordo decurreret. Unde locum non habent contumacium murmura querelarum, quia quod Deus fieri voluit, constat non aliter fieri debuisse quàm voluit. *Posteriore verò tempore*, cùm jam Dominus Jesus in Dei Patris gloria consideret, & prædicatores verbi suscepto negotio deservirent, volentes Apostoli *evangelizare verbum in Asia, vetiti sunt à spiritu sancto, & disponentes ire in Bithyniam prohibiti sunt à spiritu Iesu*: non utique negatâ illis populis gratiâ, sed, quantùm apparuit, *retardatâ*. Nam postmodùm etiam apud ipsos fides Christiana convaluit. *Quæ autem fuerit* differendæ vocationis *causa*, non claret?

1. Tim. 2. 4.

Act. 16. 6. 7.

Ex aliis Prosperian. *excerptis.*

Quæ autem sit discretionis istius in secreto consilio Dei *causa* vel ratio & supra facultatem...... modò confiteamur omnipotentissimam Dei bonitatem *omnes salvare & omnes ad agnitionem*, &c.

Quia etsi indifferenter omnibus hominibus jubentur prædicare doctores, & semen verbi ubique disserere, tamen neque qui plantat, &c. unde cùm Apostoli Gentibus Evangelium prædicare cepissent, de parte quadam eorum qui audierant, Scriptura commemorat dicens.... *crediderunt quotquot erant prærdinati.*

Et rursum eo ipso tempore, quo ad omnes Gentes prædicatio Evangelii mittebatur, quædam loca Apostolis adire prohibebatur, ab eo qui vult omnes homines, &c. multis utique in illa *retardatis* atque aversis, Evangelii morâ, sine agnitione veritatis & sine regenerationis consecratione morituris. Dicat autem Scriptura quid gestum est: *transeuntes*, inquit, &c. *vetiti sunt à S. spiritu loqui verbum in Asia; cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit illos spiritus Iesu.* Quid autem mirum si inter ipsa Evang. prædicationis exordia non poterant ire Apostoli, nisi quò eos spiritus Dei ire voluisset, cùm videamus plerasque gentes, modò primùm Christianæ gratiæ fieri cœpisse participes; alias autem nullum adhuc odorem boni istius attigisse? An dicendum est voluntati Dei humanas obsistere voluntates? Epist. ad *Ruffin.*

Magni

Magni profectò inenarrabilisque sacramenti mysterium istud est, cur Deus aliquibus populis Evangelii notitiam retardavit? In eo autem quia gratuitæ gratiæ dona spendidiùs enitebant, ideò in illâ pensiculatiùs explicandâ doctrinâ totus fuit *Prosper*; & tantus profectò, ut cùm omnes ejus sensus in unam contrahere tabulam fas non fuerit, alteram substituere coegerit non ingrata necessitas, quæ totum rursùs *Prosperum* exhibebit. Reducimus itaque eamdem capitis 3. partem, continentemque illam opponimus fragmento epistolæ ad *Ruffinum*, ut penitiùs dispiciatur, si ritè ad istius amussin ordinata sit *Anonymi* ratiocinatio, aut alius tandem sit utriusque scripti conceptus? Rem itaque singillatim expendamus.

XXXV. Observationes.

Capitis ejusdem doctrina ex aliis *Prosperianis* iteratò reddita & ad purum expressa.

1. Itaque recognoscendum est quæstionem istam utrobique institui, quasi consectarium alterius immediatè antea tractatæ: quòd *Deus velit omnes homines salvos fieri*. &c. quæ & autoritas in utroque schemate retractatur.

2. Pari consensu datum Apostolis mandatum proponitur omnibus prædicandi. Et uti heic: *quamvis* enim ad *omnium hominum* vocationem Evangelium dirigeretur, &c. sic ex adverso: quia *etsi* indifferenter *omnibus hominibus* jubentur prædicare doctores, &c.

3. Hoc etiam mandato non prohibente, dicitur & declaratur, cur Deus omnes homines salvare volens *dispensationum tamen suarum sibi non abstulerit potestatem: ut aliter, quàm statuerat, consilii sui ordo decurreret*, &c. Quod alio modo sic traditur: *Quædam loca Apostolis adire prohibebatur, ab illo, qui vult omnes homines salvos fieri*, &c. ubi hinc & inde ejusdem autoritatis pondus rursùs assumitur & revolvitur. Tum: *secretum Domini consilium occulto* huic *judicio*, seu consilio opponitur.

4. Adducuntur itidem eadem Scripturæ loca, quibus post generalem missionem vetiti sunt *Apostoli evangelizare verbum in Asia*, & quomodo non *permisit eos spiritus ire in Bithyniam*, &c. utque ibi, *Posteriore vero tempore*.... sic & modò: Et rursùm *eo ipso tempore*, quo, &c. Quæ quidem epoches eadem locutione signata, quid aliud signat expressiùs.

5. Inculcari similiter ubique curatur gratiam populis illis tantummodò *retardatam* fuisse.

6. Et heic iteratò recurrit apud *Prosperum* hæc de voluntate Dei exceptio: *an dicendum voluntati Dei humanas obsistere voluntates?* de quâ suprà.

7. Nec inobservata præteriri debet hæc utrique schemati communis transitionis formula, *Quæ autem* fuerit differendæ vocationis *causa*, &c atque: *Quæ autem* sit discretionis *causa*?

XXXVI. Conspectus 18. Tabulæ.

Ex cap. 6. lib. 2. de Vocat.

1. Quamvis enim per ministros verbi, & gratiæ Dei eadem cunctis veritas prædicetur, Dei tamen agricultura est, Dei ædificatio est, cujus virtus invisibiliter agit, ut incremento *proficiat* quod ædificatur.... Agriculturæ ergò hujus atque ædificationis in tantum quisque adjutor, operarius, ac minister est, in quantum unicuique Dominus dederit....

2. Et hi qui *ministrorum* labore excoluntur ad eum proficiunt modum, ad quem illos incrementi autor evexerit. In agro enim Domini non uniformis, nec una plantatio est.

3. Et quamvis in unum *decorem* totius *templi structura conveniat*, non idem tamen locus est, nec idem usus omnium *lapidum*, sicut in uno corpore non omnia membra eundem actum habent.

Ex aliis Prosperian. *excerptis.*

1. Gratias agentes Deo præsidentes de omnibus *profectibus* suis illum exaltant & ad ipsum referunt, quod ei placere noverunt. Exp. v. 6. *Psal.* 144.

1. Omnis sancti ædificii status sicut Deo cooperante *proficit*, ita Deo custodiente consistit, quia utilis præpositorum cura est, cùm spiritus Dei populo suo præsidet. Exp. v. 2. *Psal.* 126.

2. Quidquid per *ministros* auxilii venit, illius est, qui operatur omnia in omnibus. Exp. v. 2. *Psal.* 124. item & v. 6. *Psal.* 144.

3. Crescit quotidie Ecclesia in *templum* Dei.... hæc est ædificatio Sion & *structura* ejus, sic vivi *lapides* instruuntur, quia ad compagem *decoris* ejus non pervenitur.... Exp. *Psal.* 144

3. Ut ab aquis *tota* æterni *templi structura* consurgat. v. 6. & 7. *Psal.* 135.

3. *Dum* lapides *vivi pacis* compage *ligantur*,
Inque pares numeros convenit *una domus*.
Claret opus Domini, qui totam construit aulam
Effectumque piis dat studiis hominum:
Quorum perpetui decoris structura *manebit*,
Si perfectè autor protegat, atque regat.
(Epig. 36. *de* ædific. dom. Dei.)

1. Gratiæ divinæ ad omnes bonos actus etiam incipiendos constabilitâ tot rationibus & argumentis necessitate, isto etiam probationes suas cumulare parat *Anonymus*, quod ex verbi Dei ministrorum cohortationibus & laboribus urget Apostolus. Istis *enim incrementum* dare cùm solius Dei sit, nec qui plantat aliquid, &c. consequens est, ut ad Deum etiam, non ad humanam industriam hæ omnes gratiæ & conversionis ad Deum operationes sincerè referantur. At sibimetipsi semper similis *Prosper* idipsum etiam, quâlibet datâ occasione, refricare curaverat. Quemadmodùm enim in isto 6. capite dictum, quòd, *quamvis per ministros verbi eadem cunctis veritas prædicetur, Dei tamen agricultura Dei ædificatio, est cujus virtus*, &c. sic aliàs omninò scripserat ex ejusdem ædificationis, vel sententiæ *Paulinæ* laudatione, sumpto dicendi argumento: *quòd omnis sancti ædificii status, sicut Deo cooperante proficit, ita Deo custodiente consistit*, subjungens etiam, *utilem esse præpositorum curam, cùm spiritus Dei populo suo præsidet*. Quod quid aliud est, quàm istud ex adversi schematis serie: *in tantum quisque*, &c. Porrò & in prima comparationum tabula epistolæ ad *Demetriadem* satis prælocuti sumus de *cœlesti agricola, qui dat incrementum, &c.* XXXVII. Observationes.

2. Prædicatores *ministrorum* nomine utrinque designati, sed & hi quos excolunt *ad eum proficiunt modum, ad quem incrementi autor evexerit*; seu: *quidquid auxilii super eos venit, illius est qui operatur omnia in omnibus*.

3. Quot porrò quantumve simillimis dicendi formulis redditur hoc membrum: Et quamvis *in* unum *decorem* totius *templi structura conveniat*... nec *idem usus lapidum*, &c. nam ex altero in eundem sensum primò habemus: de *Ecclesia* in *templum* Dei similiter crescente, quæ & est ædificatio Sion & *structura* ejus, tum: *lapides* qui ad idem opus instruuntur: Et quod his omnibus expressius est hoc vocabulum: *decor*, ad compagem *decoris*... in unum *decorem*, &c. Quæ eandem venam magis referunt. Sic & alibi ad ista alludens ait: ab aquis tota *templi structura consurgat*, &c. unde mutuatum omninò: *totius templi structura conveniat*. Quam & dictionem, *convenit*, usurpavit in carmine: inque pares numeros *convenit* una domus. Ubi de eodem argumento tractat, adeò ut epigramma tertio tantum schemati aptatum reliquis etiam respondere censendum sit, quæ similiter repræsentat, atque consequitur; neque enim in eo omittitur: *perpetui decoris structura*, ne singularissimæ proprietas formulæ vel vocis in uno sit, quæ non reperiatur in altero. Nam si id plus nunc *Prosper* impertit, *ad compagem*, &c. id repræsentatur cap. 14. seq. ubi eandem quæstionem resumens habet: *in illius ædificationis erat coaptatura compagem*. Porrò & heic aliqua è septimo capite delibata conferre cum aliis statueramus, ut sunt hæc satis propria: *plantatoribus & rigatoribus præmium*, &c. queis opponere visum illa Resp. ad cap. 4. *Gallor.* ubi: *nec plantator, nec rigator subvenire*, &c. Sed hæc, aliaque hujusmodi alibi convenientiùs locabimus.

Cumulatæ similitudinum formulæ.

Ex Cap. 15. *lib.* 2. de Vocat.

XXXVIII. Conſpectus 19. tabulæ.

1. Adhibita enim ſemper eſt univerſis hominibus *quædam* supernæ *menſura* doctrinæ, quæ etſi parcioris occultioriſque gratiæ fuit, ſufficit tamen quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.

2. *An* forte, ut plerique garriunt, meliora quàm veterum ingenia noſtris ſæculis orta ſunt, & *aptiores divinis donis* animas tempora extrema pepererunt? Quod etiamſi ita eſſet, ad *bonitatem* id referendum eſſet autoris, qui *vocandis* ad vitam æternam populis, ea, quæ non reniterentur, corda finxiſſet. *Sed* nil prorſus novatum eſt in generatione carnali, nec.....

Ex aliis Proſperian. *excerpt.*

1. Quæritur quomodò omnes peccatores terræ prævaricatores debeant exiſtimari?... Omnem hominem teneri lege naturæ... Et quem non damnat litera, arguit conſcientia... Propterea *dilexi teſtimonia tua*... quoniam lex ſive in paradiſo data, ſive naturaliter inſita.... prævaricatores fecit omnes, &c. Exp. v. 119. *Pſal.* 118.

1. *Quædam menſura* formidinis, intra quam, &c. v. 9. *Pſal.* 103.

2. An bonitas *divina quidem non deſtitit omnes*
Velle vocare *homines? Sed non ſimul* apta *fuerunt*
Corda, quibus poſſet conferre dona ſalutis.
&c. (De Ing. *c.* 12.

2. Cùm utique ſi vel naturalis intelligentia, vel uſus beneficiorum Dei ad capeſſendam vitam æternam *ſufficere* potuiſſet, noſtro etiam tempore, rationalis nos contemplatio, & temperies aëris, & fructuum copia ſalvaret: quia ſcilicet meliùs natura utentes Creatorem noſtrum propter quotidiana ipſius dona coleremus. *Sed* abſit ab animis piorum ſtulta perſuaſio. Naturam humanam non liberat extra unum mediatorem..... ſicut ipſe fecit nos, & non ipſi nos, ita ipſe reficit nos. Epiſt. ad *Ruff.*

Ex serie cap. 15.

Probavit hoc Judaici furoris impietas, & quàm apta Evangelio Christi fuerit illa generatio, non solum populi, sed etiam Scribarum & Principum ac Sacerdotum corda docuerunt. Quibus parùm fuit in Agnum Dei tollentem peccatum mundi.... sæviisse, nisi etiam testes resurrectionis eâdem *persequerentur* insaniâ. Quam *Apostoli* ostenderunt.... dicentes: *Domine tu es qui fecisti... Quare fremuerunt Gentes?.... Convenerunt enim verè in civitate ista adversùs S. Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis facere, quæ manus tua & consilium* decreverunt *fieri*. Igitur ad manifestandam gratiam Dei, quæ ex æterno ejus incommutabilique consilio in salutem omnium Gentium disponebatur, non priora quasi incapacia destinata sunt tempora; sed ista electa quæ tales populos ediderunt, quorum ferox iniquitas non consulendi affectû, sed intentione sæviendi persisteret facere, *quæ manus Dei & consilium*, &c. ut mirabilior esset *gratia Dei*, quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus fecit sibi populum fidelem, subditum, sanctum, &c.

Ex serie Prosperian. *excerptorum.*

3. Quòd si quæritur an de istis quos à vera religione impius error avertit, aliquid boni profectibus SS. incrementis Ecclesiæ providentia divina contulerit? inspiciatur primùm ipsa crux Christi, in qua, magno scelere Judæorum, misericors voluntas Dei, ut pro redemptione nostra unicus filius ejus occideretur, impleta est. Inspiciatur *Apostolorum* gloriosa tolerantia inter *persequentium* *Act. 4. 24.*
fremitus, hâc animi voce, ad *Psal. 2, 4.*
Deum clamantium: *convenerunt* ergò *verè in civitate ista adversùs sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel, ut facerent quæ manus tua & consilium tuum prædestinavit fieri*.... De illis quoque erroribus consulens nobis Dei bonitas sentiatur, quos Deus in Ecclesia, contra Ecclesiam permisit exurgere... Quis autem respiciens ad tenebras impiorum & ad illuminationem filiorum, non, ad *gratias* agendas *Deo*, ex ipsa fiat collatione ferventior. Resp. ad c. 13. *Gallor.*

XXXIX. Observationes.

Incidimus in maxima numerosissimaque similitudinum ramenta, quæ cum isto capite conferamus. At in primo membro præcipuè sistendum est, quod utique seligit eruditus *Norisius* c. 14. lib. 2. *Hist. Pelag.* pro una ex his sententiis, dogmatibusque, quæ *Prosperum* ab *Anonymo* secernendum dare debent, quia nempè *Prosper* cap. 32. carm. de *Ingratis*, declarat, quosdam *esse exortes divini muneris, & quos gratia neglexit*, &c. quæ istis repugnant: quòd *adhibita semper est universis hominibus supernæ quædam mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, &c.* in quibus certè, cur vix sagax hæserit, eò major incessit admiratio, quòd hæc *supernæ quædam mensura doctrinæ parcioris occultiorisque gratiæ universis hominibus adhibita*, etsi etiam interior, nam & *corda pulsat*, non tamen sit abundantior Christi gratia, cujus quosdam *exortes* esse canit *Prosper*, sed hæc communis generalisque Dei gratia, quam ad omnes homines universim impensam ex ipsius *Prosperi* sensibus ac placitis evicimus *Dissert.* istius 1. p. n. 14. & 17, ad *Anonymi* principia planè consentaneam. At illa quorsùm *quibusdam ad remedium* sufficere dicitur? Quando maximè, sicut Dominus judicavit, eam ipsam mensuram *parcioris* gratiæ, pleniore consequenti, ad quam hæc disponit, roborat, cumulatque. Quem genuinum esse cohærentemque Autoris sensum, etsi plura jam delibata conficiant, hæc, quæ in antecessum ex cap. 19. ejusdem lib. 2. depromimus, invictè demonstrant, ubi hanc sibi quæstionem movens: *Et cur hâc manifestatione, quâ nunc universis nationibus innotescit, ditissima, potentissima, benignissimaque gratia, antea revelata non fuerit? nullam scientiam posse comprehendere* respondet: *cùm tamen*, inquit, *illud quod de bonitate Dei piissimè creditur*, quâ omnes homines velit salvos fieri, *non oporteat nisi perpetuùm, æternùmque sentiri, secundùm eas mensuras, quibus* DEUS DONA GENERALIA SPECIALIBUS *novit* CUMULARE MUNERIBUS, *ut qui* EXORTES GRATIÆ *fuerint, de sua nequitia redarguantur*, &c. Potuit ne hunc sensum suum clariùs explicare Noster *Anonymus*, illumque ad priora sua itidem in carmine *de Ing.* mox citato occupata coaptare. Porrò & quæ omnibus ad testimonium sufficere dicitur, ibidem illa *supernæ mensura doctrinæ*, satis etiam indicabat, de qua gratia loqueretur Autor, hæc enim *doctrinæ* dictio magis determinat, vel documenta per legem data, vel ea ad quæ visibilium contemplatio erudit, vel ea tandem quæ naturaliter insita sunt; ea quippe propriè *omnibus ad testimonium sufficere* dici possunt & prævaricantes constituere omnes peccatores terræ, quia, ut habet idem *Aquitanus* in expositione versic. *Prævaricatores existimavi omnes peccatores terræ*, ex *Psal.* 118. quod jam notavimus: *Omnis homo tenetur lege naturæ. Et quamvis multò ampliùs prævaricator sit, qui non solùm naturalis, sed etiam Divinæ transgressor est legis, nullus tamen nisi transgressione peccator est, quia etiam quem non condemnat litera*, ARGUIT CONSCIENTIA. Ergo & istis ipsis, quid ejus *supernæ doctrinæ mensuræ*, atque *parcioris occultiorisque gratiæ* adhibitum, ad *Anonymi* mentem censuit *Prosper*, quem & exinde deinceps agniturus erit *Norisius*, & alius quisque. Quorsùm enim, nisi *arguente conscientia*, prævaricatores evasissent?

Prosper ab *Anonymo* discrepare visus, non minùs illi quàm sibimetipsi concinere demonstratur.

Gratiam generalem inter & specialem distinctio.

2. *An fortè, ut plerique garriunt, meliora quàm veterum ingenia*, &c.

Ecce ipsissimam adversariorum *Augustini* querelam, quæ ut olim, ab ejus discipulo variis occasionibus repulsa fuerat, ita nunc refricatur & confutatur; sed ad hanc omninò *Prosperiani* carminis normam & consonantiam, quæ vel hâc communi ad transitionem assumptâ formulâ satis resplendet: *an* bonitas divina quidem, &c. tùm: *apta*, &, *aptiores*: *divina dona*, atque: *dona salutis*: *bonitas* autotis, ac: *bonitas* divina, non ad consensionem modò, sed ad identitatem usque se se delineant, ac repræsentant. Noster.

Prosper rursus cum *Anonymo*, ut cum semetipso conciliatus.

Ast in istis quidquam dissimilitudinis interesse pulsabit alicujus mentem suspicio; nam quod habet *Anonymus*: *An fortè, ut plerique garriunt, meliora quàm veterum ingenia nostris sæculis orta sunt, & aptiores divinis donis animas tempora extrema pepererunt*, &. Id inquam, nonne istis *Prosperianis* adversari videtur: *cùm utique si vel naturalis intelligentia.... ad capessendam uitam æternam sufficere potuisset, nostro etiam tempore, rationalis nos contemplatio salvaret; quia scilicet meliùs naturâ utentes Creatorem nostrum, propter quotidiana ipsius dona, coleremus*, &c. At hæc inter se nequaquàm pugnant, aut in verborum sono fortè, sed in sensu plenè conveniunt; non enim suis istis innuit *Prosper*, quòd *meliora quàm veterum ingenia nostris sæculis orta sunt*, &c. quibus reluctatur *Anonymus*; sed asserit ingenia illa meliùs nunc excoli, quia scilicet *meliùs naturâ utuntur*, tum hâc rationali contemplatione, tum propter artes & disciplinas quibus ut nunc magis imbuta illa esse, ita & magis sapivisse satis ex eodem persecuti sumus *tab.* 2. hujus Disser. At quid hæc contrarietatis exhibent? Quidni & in illud probationes utrinque deinceps collimant, ut æquè inculcetur futiles omnes illas esse rationes, hisque pariter eliminatis, quæ *plerique garriunt*, seu: *stultâ persuasione* rejectâ, recognoscatur, omnia perindè *ad bonitatem Dei referenda* esse, &c. vel *naturam humanam nonnisi unum mediatorem liberare*. Tum in idem recidunt sequentes locutiones: *qui corda finxisset*, &c. atque: *sicut fecit nos, ita reficit nos*, Quæ & citato carmine viriliter cecinit *Noster*.

3. Ut in hoc delibati capitis nostri membro probetur hanc generationem etiam per Judaici furoris impietatem, & ferocem iniquitatem, Christi Evangelio, & aliis Deis operibus subservisse, refertur insignis *Actor*. 24. locus, ubi idipsum Apostoli à *Davide* prænuntiatum, suâ ad Dominum directâ oratione profitentur: *Domine tu es*, &c. .. *Convenerunt enim verè*, & sequentia, quæ exscripsimus. Sed in eundem prorsùs finem hunc locum aptaverat ipsemet *Aquitanus*, cum 13. *Gallorum* objectione postulatus: quòd *homines quidem non ad hoc à Deo creati sunt, ut vitam adispicerentur æternam, sed ut habitum tantummodò sæculi præsentis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum*: respondet omninò omnia SS. profectibus esse deputata, *magnumque* itidem *Judæorum scelus* ex hac superna dispositione permissum; additque: *misericors voluntas Dei, ut pro redemptione nostra unicus ejus filius occideretur, impleta est*. Ad quæ profectò hæc *Anonymi* studiosè commensatura sunt: *electa sunt tempora, quæ tales populos ediderunt, quorum iniquitas persisteret facere, quæ manus Dei & consilium*, &c. ubi hinc & inde ad Dei voluntatem & consilium recurritur. Sed utrumque tandem ratiocinium probat illud accidere, ut gratia Dei magis ac magis manifestetur & collaudetur: *ad manifestandam gratiam Dei*, &c. *ut mirabilior esset gratia Dei*, &c. seu: *Quis autem non, ad gratias agendas Deo, fiat ferventior*, &c.

XL. Conspectus 20. tabulæ.

Ex Serie cap. 15. *lib.* 2. de Vocat.

4. Fremebant Gentes, irascebantur populi, sæviebant Reges, & potestates contradicebant, superstitiones & totius mundi reluctabantur errores; sed de resistentibus, furentibus, persequentibus *populum* suum *Christus augebat*, & per vincula ac supplicia, mortesque SS. roborabatur fides, vincebat veritas, perque universum mundum Dominicæ *segetis multiplicabatur ubertas*.

Ex aliis Prosperianis *excerpt*.

4. Extinguendum Dei *populum* persecutores arbitrantur, sed *aucta* est Ecclesia & ubique *Christus* Martyrum gloria est, in quorum passionibus Domini opera prædicantur. Exp. v. 16. *Psal.* 117.

4. Factum est sanguine Martyrum & gemitibus compeditorum, ut exauditis illis, qui erant in gemitibus & pressura... & regna quæ *persequebantur* Christianos jugo *Christi* subjecta sint. Exp. v. 23 *Psalm.* 101.

4. Evangelium veritatis nullâ tentatione superabitur. Cedent impii, cedent loquaces, & ingenia adversantium discipulos Christi facient doctores, non eos exilia, non damna, non crux ipsa terrebit, & passionibus Martyrum *multiplicabitur* gloriâ triumphorum, mortibus Martyrum, & sanguine occisorum, sanctorum quorum ossa dispersa sunt, incrassata est terra, & sicut agri de stercore vires *ubertatis* accipiunt, ita, cruore cæsorum testium Christi, totus fœcundatus est mundus, ut ubique *seges* Martyrum cresceret, & insererentur cælo, qui deputabantur inferno. Exp. v. 27. *Psal.* 140.

4. Hæc

Ex serie ejusdem cap. 15.

5. Tanta enim desuper præbebatur constantia fidei, fiducia spei, *fortitudo* tolerantiæ, ut ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium *Spiritus sanctus* accenderat, nullomodo ab opprimentibus posset extingui. Cùm & qui cruciabantur vehementiùs inardescerent, & qui *sæviebant* eandem quam *persequebantur flammam* sæpe conciperent, quâ B. *Paulus* ignitus fidenter ferventerque *dicebat*: justificati igitur ex fide, &c.

6. Hæc caritas diffusa per Spiritum S. fecit, ut mundus fidelium mundum vinceret impiorum. Hæc Neronis crudelitatem.. Principum rabiem glorioso, *innumerabilium Martyrum* fine confudit: donante Christo imitatoribus suis de persecutionibus Regum æternarum stemmata *coronarum*.

Ex serie Prosperianor. *excerpt*.

5a. Contra *sævitiam persequentium*, vox ad Dominum emittitur in tribulatione positorum, ne fidei *fortitudinem* superet atrocicitas passionum. Petitur igitur *tolerantia*, ut validior sit dilectio Dei, quàm magnitudo supplicii. *Ibid.*

5b. Custodes plurimi admirati patientiam martyrum, in eum in quem *sævierant* crediderunt. *Psal.* 118. v. 3.

5. Prospiciente in terram Deo, hoc est misericordiam suam hominibus tribuente, tam fortia facta sunt vincula caritatis, ut ea non potuerit vincere violentia persecutionis, per timorem mundi. Qui labor perseverantiæ transiit in libertatem gloriæ, ut gemitus verterentur in gaudia, & compedes in coronas. Solvuntur autem etiam filii mortificatorum, id est Martyrum, qui eadem *inflammati* fide liberati possunt *dicere*: *dirupisti*, &c. Exp. v. 20. & 21. *Psal.* 101.

5d. Qui mittit crystallum suum sicut frusta panis, &c. nives antiquitus obduratæ convertentur in crystalla, quo significantur lapidea corda infidelium, quæ gelu nimiæ vetustatis obstructa nullum calorem S. *Spiritus* receperunt. Sed tam potens est gratia Dei ut tam annosam glaciem faciat superno igne fervescere.. Ut etiam ipsi qui vitæ cibum nesciebant, panem verbi, incipiant ministrare: sicut in *B. Paulo* factum est, qui cùm esset credentium persecutor factus est Evangelii prædicator, &c. tum: flante autem spiritu calor caritatis emittitur. Exp. v. 6. & 7. *Psal.* 147. *Rom* 5.

6. Ecclesia nullis *persecutionibus* superata... *coronis Martyrum* gloriata est. *Ibid.*

6. Inspiciantur denique *innumerabilium Martyrum* palmæ, quibus, de crudelissima infidelium sævitia, felix est collata victoria. Ad 13. *Gallor.*

6. Et passionibus *Martyrum* multiplicabitur gloria triumphorum. *Psal.* 140. v. 6. Vide & *Psal.* 128. v. 1.

XLI. Observationes.

4. Hæc omnia quò pleniùs roboret *Anonymus*, & iniquitatem gratiæ Dei famulatam esse egregiè demonstret, adductis quibusdam Scripturæ locis, inflictam Ecclesiæ persecutionem graphicè describit, sed quia hanc satis luxuriantem narrationem *Prosper* itidem in eadem responsionis serie, sed paucioribus verbis, comprehenderat, ut ex 2. columnæ num. 6. satis perspicitur, ex alio ejusdem mercis filo telæ residuum texuimus, ut adversam æqualitate consequeretur. Unde sicut *frementes populi: contradicentes*, & de *resistentibus, furentibus, persequentibus, populus Christi auctus: per mortes sanctorum roborata fides & per universum mundum Dominicæ segetis ubertas multiplicata* luculentur ostenditur: ita prorsus, *loquaces* & *ingenia adversantium discipulis Christi* cedere: *regna quæ persequebantur Christianos jugo Christi subjecta, aucta Ecclesia*. Et iisdem *mortibus sanctorum incrassata terra* & *totus* pariter *mundus fœcundatus*, ejusdem *ubertatis* vires accipit, ut & *seges* ipsa *ubique cresceret*, tandemque *multiplicaretur gloria triumphorum*. Quot voces, quot verba, quot formulæ se invicem reddunr & consequuntur?

Mira verborum conceptuumque similium *seges* & *ubertas*.

5[a]. Stramen alteri commensurandum, quod heic intersectum esse putaveram, sub ejusdem *Psalmi* 140. continenti serie reperi, non satis, primo conspectû, advertens Paraphrasten sui autoris sensus, versiculosque consequi, atque explicare coactum, in expositione Vers. *Quoniam ad te Domine oculi mei*, &c. conceptum, ut par erat, paullulùm vertisse, ut congruentiùs hæc verba elucidaret; cùm ex adverso *Anonymus* narrationem suam latiùs describens, ad alia delapsus est. Sed & heic: *sævitia persequentium, fortitudo, tolerantia*, &c.

5[b]. Porrò & horum insigne fragmentum occupat *Prosper* in his verbis: custodes plurimi admirati constantiam Martyrum in *eum* in *quem sævierant* crediderunt, &c. per quæ manifestè redduntur ista: & qui *sæviebant, eandem, quam* persequebantur, flammam sæpè conciperent.

5[c]. Sed insperatò aliam copiosiorem ditioremque venam nunc nanciscimur in eadem *Psalmorum* expositione, nam sic persecutionum istarum turbo graphicè rursus describitur hoc *Psalmo*. 101. ubi & eâdem sermonis contexturâ exprimitur, quòd Deo misericordiam suam hominibus tribuente, *tam fortia facta sunt vincula caritatis, ut ea vincere non potuerit violentia persecutionis*, &c. quibus hæc apertè redduntur: *tanta desuper præbebatur constantia, ut ignis ille dilectionis nullomodo ab opprimentibus posset extingui*, &c. Sed habent & ista peculiarem speciei lineam: *solvuntur filii mortificatorum*, qui *eadem* inflammati *fide*, &c. habent, inquam, hæc maximam cum adversis istis affinitatem: *qui sæviebant eandem quam persequebantur flammam sæpè conciperent*. Ubi quidem illa *eadem flamma* & illi *eâdem fide inflammati* ad eundem fontem manum intendere conducunt. Ceterùm & vox ista: *ignitus*, omninò *Prosperiana* est: nam in exposit v. 4. *Psal*. 119. legitur *ignita* purgatio.

Ad primigenios conceptus incredibilis *Aquitani* proclivitas.

5[d]. At fortè mirabilius illud occurrit, quòd in exposit *Psalm*. 147. postquam testatus est *Psalmum* ita ad universalem Ecclesiam pertinere, ut *omnes oves & filii Ecclesiæ in hac se vincti captivitate cognoscant*, &c. in hac explicatione parùm moratus illico ad *vocationis Gentium* mysterium convolat: indeque non tam ferente quidem sermonis serie, quàm ipso ejus in pri-

migenia conceptuum semina sese proripiente spiritû, lapidea infidelium corda conversa memorat, ut B. *Pauli* mirabilem mutationem extollat, *qui cùm esset credentium persecutor factus est Evangelii prædicator, flante spiritu & calore caritatis*, &c. quæ tam appositè huic *de vocat.* cap. 15. implantata sunt ubi: B. *Paulus ignitus fidenter ferventerque* dicere memoratur *justificati*, &c. Et hanc quidem doctrinam omnem ab *Augustino* decerptam non diffitemur, sed ab eodem artifice nostro utrobique retractatam.

6. Heic pro glorioso *innumerabilium Martyrum* fine, redhibentur, *innumerabilium Martyrum* palmæ, moxque: *æternarum stemmata coronarum.* In iisdem *coronis Martyrum*: in *felice* eorum *victoria*: *in gloria multiplicata, triumphorum* congeminamus.

At nec istis conscribitur *Aquitani* mira facundia limitibus: nam quia altissimè ipsi sui illud insederat *Augustini*, quòd scilicet *justo Dei judicio datur plerumque peccatoribus optata potestas, quâ Sanctos ipsius persequantur, ut qui Spiritu Dei juvantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores*, quia, inquam, hoc ad gratiæ arcana penitiùs rimanda *Nostro* impressum erat Magistri principium, nec satis habens illud inter selectas ejusdem sententias locasse, variisque ac exquisitis pedestris stili locutionibus reduxisse, hoc ipsum metrico sic eleganter exprimit *Epig.* 23. ita habente:

Quòd plerumque mali in Sanctos SÆVIRE *sinuntur*,
Quodque bonis pravi sæpe nocere queunt,
Absque Dei nutû non fit, qui corda suorum
His etiam bellis glorificanda probat.
Crescunt virtutum palmæ, crescuntque CORONÆ
Mutantur mundi prælia, pace Dei.

Etsi autem Epigrammatis sensus, totius *Anonymi* capitis ideam expleat, nec tamen destitit *Prosper* huic etiam numeris adstricto sermoni singularissimas alterius voces ac dictiones inspergere, quas singillatim comparare non vacat.

XLII. Conspectus 21. tabulæ.

Ex cap.19 .lib.2.de Vocat.

1. Et cur hâc manifestatione, quâ nunc universis nationibus *innotescit*, *antea revelata non fuerit*, nullam posse scientiam comprehendere, nullam intelligentiam penetrare: cùm tamen illud quod de bonitate Dei piissimè creditur, quâ omnes homines velit salvos fieri &c. non oporteat, nisi perpetuùm, æternùmque sentiri, secundum eas mensuras, quibus Deus dona generalia specialibus novit cumulare muneribus, ut & qui exortes gratiæ fuerint, de sua *nequitia* redarguantur, & qui ejus lumine enituerint, non in suo merito, sed in Domino glorientur.

1. *Tim.* 1.

*Ex alii*s Prosperianis *excerptis*.

1. Futura, gentium latebat electio & postmodum *innotuit quod revelatum ante non fuerat*..... si enim hoc consilium vocationis suæ Dominus quandiù voluit abscondit ac distulit, & quando voluit revelavit, sanctisque ejus ignorantia ista non nocuit, cur spei nostræ obesse credimus, si in quo numero &c. occulitur. Cùm tamen constet cœlorum regnum omnes ingressuros bonos, hoc eis donante Dei gratiâ, & nullos ingressuros malos, ipsorum *nequitiâ*. Ep. ad *Ruffin.*

Ex cap. 20. *ejus libd.*

2. *In hoc sanè angusto* quidem, sed tamen recto intelligentiæ tramite non parum difficultatis opponit consideratio parvulorum, qui nullo judicio rationis utuntur, ... Et magis stupendum magisque fit mirum, quòd ubi actio non offendit, ubi *arbitrium* non resistit, ubi eadem miseria, *similis* imbecillitas, *causa communis est*, non unum est in tanta *parilitate judicium.*

Ex aliis Prosperianis.

2. *In hoc angusto* limite...

Sed qui judicium arbitrii, *meritumque tueris,*
Infantum discerne animos, & dissere quales
Affectus, qualesque habeant hæc pectora motus?
Nulla tibi arbitrii *respondent signa, nec ullis*
Dissociare pares *meritis potes : omnibus una est*
Natura, & pariter *nequeunt bona vel mala velle.*
Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam.
Eligit, ...
Multis in morte relictis,
Quorum causa *fuit* similis, &c. De Ing. c. 30.

1. Hoc toto cap. 19. recoquuntur, quæ jam ab concertationum initio *Prosper* & ipse ad *Ruffin.* scribens expedierat. Ibi enim similiter: *futura gentium electio latere, & postmodum innotescere, quod revelatum ante non fuerat*, &c. expressum & occupatum habemus. Sed & istud consequens: *hoc consilium Dominus quandiu voluit abscondit & distulit & quando voluit revelavit*, &c. ipsissimis planè verbis redditum est c. 18. lib. 1.

XLIII. Observationes.

Porrò in decursu cohibetur utrinque animus ad hunc divinæ Providentiæ ordinem scrutandum & per illud hinc & inde frænatur hominum inordinata curiositas, si scilicet illis constans sit: *cœlorum regnum omnes ingressuros bonos, hoc eis donante Dei gratiâ.* Seu: *quod exortes gratiæ de sua* eadem nequitia *redarguantur, & qui ejus lumine*, &c. Sed hæc satis singularis locutio: *exortes gratiæ* næ *Prospero* familiaris est. Nam c. 32. de *Ing.* habet: *exortes divini muneris.* Item & *Epig.* 8. Et *Psal.* 103. *Neminem sui dimittit exortem.*

2. Quia in primi libri comparationum tabula 10. ubi de parvulis sine regenerationis lavacro morientibus quæstio primùm movetur, has alterius styli *Prosperianas* species inserere fas non fuit, eas heic commodùm implantamus, splendidas quidem & *Anonymi* lineamentis per omnia consentaneas; non tam profectò, dum se sic referunt locutiones, *in hoc angusto* tramite, atque *in hoc angusto* limite, &c. sed multò magis in consequentibus, hic præfulget conspiratus: nam ut heic habes parvulos seu *infantes* nullo rationis judicio utentes, &c. inde similiter concinitur: *Infantum* discerne animos, & dissere quales affectus habeant, &c. tum: Ubi actio non offendit, ubi *arbitrium* non resistit: inde nulla *arbitrii* respondent signa. At & ista se pressiùs etiam complectuntur: eadem miseria, *similis* imbecillitas, *causa* communis; ad hæc enim apprimè alludunt: omnibus una est natura, *causa similis.* Sed & hoc membrum: in tanta *parilitate* judicium ad istud metricum congruenter referri potest: Dissociare *pares* meritis, &c.

Ceterùm & plura dabit series Carminis.

XLIV. Conſpectus 22. tabulæ.

Ex cap. 21. lib. 2. de Vocat.

1. Verumtamen de hac altitudine *diſcretionis* Dei, non *conturbabitur* cor humilitatis noſtræ, ſi firmâ & ſtabili fide omne *judicium* Dei *juſtum eſſe* credamus, nec appetamus habere cognitum, quod voluit eſſe *ſecretum*; ut ubi inveſtigari non poteſt, quare ita judicet, ſufficiat ſcire quis judicet.

2. Sed nunquam corruptio ita incorruptionis eſt particeps, ut non ſemper *obnoxium* ſit defectioni, *quod debetur* occaſui:

3. Nec eſt ullus abeundi modus qui non intra *univerſitatem* mortalium, in aliquam incidat portionem.

Ex aliis Proſperianis excerptis.

1. Quæ autem ſit *diſcretionis* iſtius in *ſecreto* Dei conſilio cauſa vel ratio, & ſupra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & ſine fidei diminutione neſcitur: modò confiteamur neminem immeritò perdi. Ad *Ruffin.*

1. Remota ergo hac *diſcretione*, quam divina ſcientia intra *ſecretum* juſtitiæ ſuæ continet, &c. Reſp. ad 2 *Vincent.*

1. Nos etiam ſi rationem facti, & ſi profunditatem *judicii* ejus penetrare non poſſumus, manifeſtiſſimè tamen ſcimus & verum eſſe quod dixit & *juſtum eſſe* quod fecit. Ad dub. 8. *Genum.*

2: Non enim *conturbat* nos ſuperbientium injuſta querimonia, &c. c. *Collat.* c. 38.

2. *Cur verò humani generis de germine toto.*
Pars quadam in Chriſto rurſum generanda legatur
Pars pereat.
Non ſatis audemus ſcrutari, nec per opertas
Ire vias.
Multa etenim bene tecta latent, neſcitaque proſunt,
Dum manſueta fides quadam dilata modeſtè
Suſtinet, & nullo ignorat non edita damno.
(De Ing. c. 35.)

2. Et quid tam *obnoxium* paucitati, quàm *quod* eſt *debitum* perditioni? (Exp. v. 30. *Pſal.* 106.

3. Si quod in *univerſitate* vocatorum ſentiendum eſt, id nobis in *portione* concedas c. *Collat.* c. 5.

1. Quot adhibitæ sunt ad illam mirabilem discretionem attingendam, vel adumbrandam formulæ referre longum? omnes certè idem indicant, idem exprimunt eòdem collineant: sed mirabili varietate etiam in consonis sensibus & verbis enitent. Et fortè, quod alibi notavimus, diversitates illæ magis conspicuæ erunt, si ex his quæ in 2. columna consignatæ sunt, una seorsim cum alia conferatur, quàm si earum altera cum unica adversa comparetur. Adeoque verum erit *Prosperum* magis interdum à se cognito & manifestato, quàm à se incognito & *Anonymo* diversum esse. Quàm enim splendidum consensus lineamentum, hæc isti commensurata refert elocutio? *non enim conturbat nos superbientium injusta querimonia*, &c. atque: *non conturbabitur cor humilitatis nostræ*, &c. ubi magnam vim importat hic usus verbi, *conturbat*, & *conturbabitur* ad similem exprimendum conceptum usurpatus. Ceterùm & cap. 10. hujus lib. dictum erat: *patienter* & æquanimiter ignoretur tàm remotum ab humana *cognitione* secretum, &c. sicuti & in epist. ad *Ruffin.* habemus: nec *impatienter* feramus, si quot, &c. non *novimus*

XLV. Observationes.

Prosper facundiâ dives interdum magis à semetipso discedit, quàm ab *Anonymo*.

2. & 3. Si sensuum convenientiam non ita plenam reddunt hæc schemata, tam refertum & superfluentem ejusdem orationis contextus, venæque speciem ingerunt, ut nec gutta guttæ similior esse posse videatur. Luci itaque spendidissimæ, non est cur lucem admoveamus.

Splendidissimæ similium locutionum formulæ.

Porrò quia suum in tabulis locum habere non potuit 21. capitis insignis periodus, hanc nunc subjungimus, quæ sic præfert: cùm enim consideramus, inter Paganos, inter Judeos, inter Hæreticos, interque ipsos Catholicos « Christianos, quàm multiplex pereat numerus parvulorum, quos, quantùm « ad proprias pertinet voluntates, *neque mali* aliquid *neque boni* constat egis- « se, discimus super eos illam manere sententiam, quam humanum genus in « *Adæ* primi parentis *prævaricatione* excepit, cujus sententiæ rigor, dum etiam « circa tales non *resolvitur*, quàm magnum illud peccatum fuerit *demonstratur*. Nam & hæc rigida *Augustini* sententia, tota *Prosperiana* esse perhibetur, vel ex his quæ ipsemet commentatus est in v. 119. *Psal.* 118. *Prævaricatores existimavi omnes peccatores terræ*, habet enim: inter eos etiam parvuli congruè deputantur propter originalis vincula peccati. Quia etiam ipsi in similitudinem præ- « varicatoris *Adæ*, ad illam *prævaricationem* pertinere *monstrantur*, quæ in pa- « radiso prima commissa est, &c. Ubi quidem sensus iidem sunt, nec similes « dictiones desiderantur. Hæc autem metrica, quam superiùs reduximus: *nequeunt* BONA *vel* MALA, *velle*, hanc *Anonymi* pleniùs ebibit: *neque* BONI *aliquid*, *neque* MALI *constat egisse*, Tum & ista: *cujus sententiæ rigor dum etiam circa tales non* RESOLVITUR, &c. ad hanc, pro similis quæstionis indagine, in eodem carmine consignatam respicit: *Hanc igitur legem, quam per se nemo* RESOLVIT. Exquisitæ enim illæ voces loquendique formulæ unum & eundem Autorem per se rursus egregiè delineant, quin necesse sit alios illis commentarios adjungere.

XLVI. Conſpectus 23. tabulæ.

Ex *cap.* 22. *lib.* 2. de Vocat.

1. Cum igitur juſta & *omnipotens* providentia Dei inceſſabiliter univerſa dijudicet, & nemo in hunc mundum veniat, neque ab hoc mundo exeat, niſi eo ordine atque diſceſſu, quem rerum arbiter ſecundùm altiſſimam ſcientiam ſuam ſapientiamque ~~de~~decernit... Quis audeat *cauſas operum* & conſiliorum ejus inquirere?

2. Inſcrutabile enim eſt, valdèque ſecretum, cur tantis differentiis conditio humana *variata* ſit. Illum ab infantia uſque ad *ſenectutem* LONGÆVA carpit infirmitas, nec inter perſeverantes dolores ſtatutæ deficit tempus ætatis. *Illum* integris valentem viribus ANNOSISSIMUS vigor vegetat. *Huic* in pueritia, finis eſt: *illi* impoſſibile eſt, uſque ad loquendi rudimenta grandeſcere.

3. Quas vitæ metas multiformiter inæquales minùs acerbas experiretur caduca *mortalitas*, ſi præſentis tantùm ſæculi detrimenta pateretur; & non in æternas miſerias caderent, qui hinc ſine *lavacro regenerationis* exiſſent.

Ex aliis Proſperian. *Excerptis.*

1. Incognitis cauſis *operum* divinorum nonnihil novimus, cùm ſcimus *omnipotentem* non ſine ratione facere, &c.

Divinorum operum *ſecretas noſcere* cauſas
Humanis non eſt poſſibile ingeniis....
.. *Perque operum ſpeciem ſuſcipit artificem*
Fingentem rebus formas, loca, tempora, motus
Menſuris, numeris, ponderibuſque ſuis
Scrutari nec cura procax, &c. (Epig. 28.

2. Quòd autem eos non in illo tempore, &c. ad occulta ejus judicia referendum eſt. Quis enim neſciat intra unam conditionem *mortalitatis* humanæ ab unius horæ infantia, uſque ad ANNOSISSIMAM ſenectutem exitus morientum impari *ætatis* fine *variari*, neque cujuſquam animã citiùs vel tardiùs, quàm Deus voluerit à corpore quod vivificat abſcedere. Nam LONGÆVITAS non niſi ex Deo eſt, &c. Reſp. ad 3. *Gallor.*

5. *Ipſa quoque humani generis carnalis origo,*
Quâm multas vario *circumfert ordine cauſas.*
Dumque omnes de fermento producat eodem
Una manus... limo procedat ab uno
Diſpar opus, mutat nnmeros per vaſcula fictor.
Ergo eadem natura anima naturaque carnis
Diverſis mundum ſub conditionibus intrat.
Hos *decor & vires validæ, viridiſque* ſenectus
Suſcipit: hos *ſpecies inhonora, & debile corpus.*
His & mille modis *ſemen* variantibus *unum*
Impariles ſubeunt, &c (de *Ing.* c. 36.)

3. Qui etiam non percepto *regenerationis lavacro* moriuntur. (titul *Epig.* 86.

1. Habes heic eodem concentû *causas operum* & consiliorum Dei, *seu divinorum operum causas* non esse inquirendas, nec possibile eas noscere: tum: *mensuras, numerosque, motus, tempora*, &c. quibus artifex fingit rebus formas, quæ omnia illum supremum Providentiæ ordinem complectuntur. XLVII. Observationes.

2. Jam ad differentias, quibus humanæ naturæ conditio variata est, sermo devolvitur. Et satis apparet perinde, quantùm hæc quæstio sit appendix, aut quasi surculus earum, quas *Galli* in objectione 3. moverant, quemque licet *Prosper* tum feliciter succidisset, ad hunc iterum, eadem arte, securim admovet. Nam uti *inscrutabile* illud dicitur, ita & pronuntiatum ante fuerat: dispositionem illam *ad occulta Dei judicia* referendam. Tum *conditio humana*, vel, *mortalitatis humanæ conditio* suis variata differentiis examinatur. Quò loci certè singularissima duarum vocum proprietas utrobique adhibita præteriri sine animadversione non debet, scilicet: LONGEVA, atque: ANNOSISSIMUS, quæ quidem voces an in *Leoninis* sermonibus, vel etiam epistolis extent non satis disquisivi; quòd autem observatæ illæ non fuerint à *Quesnello*, affinitatum illarum, quæ inter *Anonymos* tractatus & *Leonina* opuscula extant, sedulo recensitore, colligo ex illarum formularum dictionumque serie, quam 2. & 3. Dissertationi suæ assuit. Unde & eo jam teste, vel judice, erunt voces propriæ & characteristicæ (si licet nobis hanc vocem Gallicam in re significantissimam latinam reddere, quod & quandoque in aliis ausi, deprecari non meminimus; ad sensus utique, quàm ad verba magis intenti) *Prospero*, *Anonymoque* familiares, quæ à *Leonis* lectione exulabunt. Sed consequitur insuper *Prosperianum* schema contrahitque, quidquid illi respondens eleganter explicat. At neque huic ipsi argumento suam nativam ingerere facundiam oblitus est *Prosper*, cùm brevioris responsi lege solutus, genio suo magis indulsit, quod illi accidit versificanti, ubi prolixiori etiam varietatum illarum enumeratione, quàm in hoc capite facta est, omnes illius elocutiones occupavit: nam ad illarum transitionum normam: *illum, huic*, &c. habet: *hos illos, his & mille modis*, &c. Quod ex carminis serie perspectius fiet, in qua & totum istud caput & præcedens mirè exæquat & conficit.

Singularissimæ voces *Prospero* & *Anonymo* propriæ in *Leone* non deprehensæ.

6. *Regenerationis lavacrum* pro baptismo utrobique exprimitur.

Ex cap. 28. *lib.* 2. de Vocat.

XLVIII. Conspectus 24. tabulæ.

1. Deus ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem, *quæ potest* nolle non auferat. Alioquin nemo unquam fidelium recessisset à fide, neminem concupiscentia, &c. Sed quia hæc *possunt* fieri, & in consensum talium *tentationum* facilis nimiùm proclivisque descensio est, nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare, quâ Apostolis dicitur *vigilate, & orate*, &c. Et cum addidit *& orate*, satis docuit superni futurum muneris, ut eos etiam vigilantes *tentationis procella* non vinceret.

Mat. 26. 41.

2. Tale est illud quod ait *Simon, Simon ecce satanas postulavit, ut vos cribraret velut triticium*, &c. Si ergò *defectura* erat fides tanti Apostoli, *nisi pro eo* Christus oraret, inerat ei proculdubiò mutabilitas, quæ posset in *tentatione* nutare.

Luc. 22. 31.

Ex aliis operibus Prosperi.

1. Superest quarta *tentatio*; & quæ ad præsidentes & subditos pertinet, quoniam cùm gubernator tempestate urgetur omnes qui simul navigant eodem periculo premuntur... Et hi de profundo cordis humani tempestates seditionum, & dissensionum frequenter exortas, *quæ possint* navim perturbare patiuntur; & agnoscunt ideò Deum sinere... ut ipse in pressuris à fidelibus invocetur. Et stetit spiritus *procellæ* & perduravit, ut turbati vehementiùs supplicarent...... Et plerunque talibus scandalis exagitatur Ecclesia, ut præsidentium corda *deficiant*. Et quid restat nisi quod sequitur: *Et clamaverunt ad Dominum*, &c. Exp. *Psal.* 106. per totum.

1. Quia ergò & adversa vitæ istius & secunda non carent *tentatione*: quâ aut elevamur, aut premimur, utrinque fit nox, si desit illa lux, &c. Exp. v. 12. *Psal.* 138.

2. Quoniam & ipsius S. Petri ardentissima fides in tentatione *defecißet, nisi pro eo* Dominus supplicasset, sicut Evangelista manifestat dicens: Dixit autem Jesus Petro: *Simon, Simon ecce satanas postulavit, ut vos cribraret velut triticum*, &c. Et ut probaretur liberum ar-

bitrium nihil posse sine gratiâ, cui dictum fuerat: confirma, &c. Et roga ne intretis in *tentationem*. Epis. ad *Ruffin*.

3. Siquidem tam gravis eum perturbatio etiam post ista concusserit, ut in Caiphæ domo unius ancillæ interrogatione pavefactus, usque ad trinam negationem, ejus, cui commoriturum se spoponderat, constantiâ *deficiente*, perductus sit.

3. Quique respondit utique ex libero arbitrio, *Domine tecum paratus sum*, eidem prædicitur, quòd priusquam gallus cantet, ter Dominum negaturus sit. Quod quid est aliud quàm in fide *defecturus* sit? certè rogaverat pro eo Dominus: nec utique frustrà rogaverat. *Ibid.*

4. Qui ergo tunc *conturbatum* cor Apostoli non humanis sed divinis convenit oculis & ad largos pœnitudinis fletus potenti incitavit *aspectu*, potuit hanc firmitatem animi præcipuo conferre discipulo, ut sicut ipsum Dominum nihil ab explendæ Passionis proposito deterrebat, etiam nec *B. Petrum* ulla tunc formido superaret.

4. Sed ne libero arbitrio videretur stare, qui de se se magna promiserat, permittitur periclitari, ut *conturbatum*, ac deficientem ille respiciat & reficiat, sine quo nemo persistit. *Ibid.*

4. Dies formabuntur hoc est illuminatione illius visionis, quâ *B. Petrum* nimis trepidum, *ad* remedium patientiæ, suo reformavit *aspectû*. Exp. v. 16. *Psal.* 138.

XLIX. Observationes.

Hujus doctrina capitis etsi in variis *Prosperi* contra *Semipelagianos* editis libris conclusa sit, & hanc omnem ejus principia comprehendant, non tamen nisi per partes istheic sparsa, plenâ manu colligi potest in *Psalmorum* expositione, ubi eam ita cumulatè tradidit & prosecutus est, ut ex hoc opusculo, imò & ex solius *Psal.* 138. vel 106. explicatione expressum nemo non dixerit, quidquid postea in hoc capite congestum fuit. Sic pedetentim ad posita à se schemata & exempla regreditur.

1. Tentationis vis & periculum exponuntur, quæ uti, deductâ ex maris procellis metaphorâ, nuper exaggeraverat, ita & nunc *procellam tentationis* expressit. 2. Apostoli utrinque in exemplum adducuntur. 3. Unde commendandæ impensiùs orationis, & supplicationis occasio. 4. Sed & illæ quæ *de profundo cordis humani tempestates seditionum & dissensionum frequenter oriuntur*, nonne *mutabilitatem* ad *velle & nolle*, &c. genuinè repræsentant? cùm & illæ POSSINT *navim perturbare*, & ex *scandalis*, *præsidentium corda* DEFICIANT. Quanta heic porrò annotanda forent, si cum hæreticis confligendum esset, quibus hæc ad *velle & nolle* libertas tam constanter exosa fuit? libertas scilicet, quæ non modò coactionem, sed etiam necessitatem excludat. At adversam doctrinam æterno confixit anathemate Tridentina synodus, quæ clarissimis verbis can. 4. Sess. 6. declaravit, *liberum arbitrium Deo excitanti & vocanti posse dissentire.* & cap. 5. ubi ait: *hominem liberè consentire* divinæ inspirationi, *quippequi possit & illam abjicere.* Quæ in loca insignis est *Guillel. Estii* Duacensis Academiæ Cancellarii commentarius in 2. sent. Dist. 24. §. 1. sic enim egregiè ratiocinatur: *ut autem intelligamus, quàm necessariò tenenda sit hæc doctrina, quâ dicimus ad liberi arbitrii propriam rationem pertinere, ut sit liberum à necessitate naturali, nec sufficere quòd sit liberum à coactione: notandum est quod habetur* in Concil. Trid. Sess. 6. cap. 5. *ibi enim dicitur*: hominem liberè consentire divinæ inspirationi, &c. & can. 4. liberum arbitrium Deo excitanti & vocanti posse consentire & dissentire. *Quare non immeritò* S. Thomas *in disputatis* quæst. 6. de malo *affirmat hæresim esse non solùm apud Theologos, sed etiam apud* P*hilosophos dicere, quòd ad liberam electionem non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: Patet etiam, jure damnatas esse hujusmodi propositiones, & si quæ sunt similes:* sola violentia repugnat libertati hominis naturali, & quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit: Hæc gravis Theologus, qui & antea dist. 7. §. 7. scripserat: *dicendum est arbitrii libertatem quam contra hæreticos veteres & novos defendit Ecclesia consistere in facultate eligendi* UTRUMLIBET OPPOSITORUM: hancque *tradidisse libertatis rationem* Augustinum, esseque tandem *certam ac constantem PP. sententiam atque* INPRIMIS AUGUSTINI, testatur etiam citatis locis. Sed inter SS. Patrum excerpta, vereor ut reperiatur aliud isto *Anonymi* per nos reducto expressius ac splendidius: *Qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam* MUTABILITATEM, *quæ* POTEST NOLLE *non auferat.* ALIOQUIN *nemo unquam fidelium recessisset à fide: neminem concupiscentia vinceret: neminem tristitia elideret: neminem iracundia debellaret: nullius caritas refrigesceret: nullius patientia frangeretur: & collatam sibi gratiam nemo negligeret. Sed quia* HÆC POSSUNT FIERI, &c.

Libertas à necessit. ad *velle* & *nolle* à Philosophis & Theologis æquè asserta.

2. Adducitur *Christi* ad *Petrum* facta, instante passione, allocutio toties à *Prospero* ad gratiæ necessitatem inculcandam ob oculos posita. Selegimus autem schema ex epist. ad *Ruffinum*, tanquam adverso pressiùs respondens. Notavimus autem alibi locum Scripturæ hinc & inde adductum in nullis invicem discrepare. Nunc ista ad pleniorem cohærentiam exhibendam advertenda sunt: si ergò *defectura* erat fides tanti Apostoli, NISI pro eo Christus oraret, &c. quæ his usquequaque concinunt: Quoniam & ipsius S. Petri *fides* in tentatione *defecisset*, NISI *pro eo* Dominus supplicasset, &c. ubi in hâc particulâ, NISI, vivus quidam & clamans ejusdem orationis character intermicat. Sed ne quid in uno reperiatur, quod in altero non extet, quod in primo schemate dictum suprà: *addidit, orate*, ne *liberum extolleretur arbitrium*, &c. idipsum his jam occuparat: Et, ut *probaretur liberum arbitrium nihil posse sine gratia*.

Petri tentatio, lapsus, & conversio iisdem verbis & conceptibus delineantur.

3. Hæc & satis invicem concinunt: cui *commoriturum se spoponderat*: Et, quique respondit: *Domine, tecum paratus sum in mortem ire*.

4. Splendida heic etiam sequuntur consensionis integræ lineamenta: namque ut ex tentatione *conturbatum* cor Apostoli repræsentatur; ita & ex altero *Apostolum conturbatum* & *deficientem* legimus: huncque rursùs adeò miserum, quem ut Dominus *non humanis, sed divinis convenit oculis*, & *ad pœnitudinis fletus potenti incitavit aspectû*, sic omninò: *deficientem Dominus respicit & reficit*. Qui idem est orationis contextus, atque character. At cui non in tantùm insolens videri poterit, ut ex professo deducti ejusdem facti circunstantiæ similibus locutionibus & iisdem etiam vocibus exprimantur: inde ille incunctanter abripietur, si in extraneis argumentis, observaverit, scriptorem in ea identidem regredi, quæ non modò aliam seriem, vel interpretationem sustinere possunt, sed penè requirere videntur. Tam affectatum certè studium apparet in *Prospero*, qui in versiculi istius: *Per diem errabunt*, vel *die formabuntur & nemo in eis*. Psal. 138. expositione; quam altè præconceptam impresserat *Petri* historiam, suis principiis ita consentaneam, his verbis aptando sic refricat: *imperfecti*, inquit, *mei, qui omnes erunt in vita æterna*, per diem errabunt: *hoc est, in me turbabuntur*, & nemo *erit* in eis, *quem non timoris tenebræ ad desperationem usque perducant. Si autem legamus*: die formabuntur, *intelligendum quòd hi, quorum nemo conturbabitur*, die formabuntur: *hoc est illuminatione illius visionis, quâ B.* Petrum, *ad remedium patientiæ, suo reformavit aspectû*, &c. Ex quibus certè hæc 28. cap. deflorata sunt: *ad pœnitudinis fletus potenti incitavit aspectû*: Quam insuper vocem, *pœnitudo*, *Prospero* familiarem, ut: *eruditio pœnitudinis*, &c. notare non moramur.

In primigenios conceptus sponte, vel vi relabitur *Aquitanus*.

Ex serie cap. 28. *lib.* 2. de Vocat.

L. Conspectus 25. tabulæ.

5. Sed hæc stabilitas illius tantummodò propria fuit, qui solus verè potenterque dicebat: *potestatem habeo ponere animam*, &c. In ceteris verò hominibus, , donec caro concupiscit adversùs spiritum, incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri, quoniam *non* hujus, *sed* alterius *vitæ est*, veræ pacis perfecta & secura felicitas.

Iohan. 10.18.

6. In *præsentis* autem *agonis incerto*, ubi tota vita tentatio est & ab insidiantis superbiâ, nec ipsa est tuta victoria, *mutabilitatis* periculo *non caretur*.

Iob. 7.

Ex aliis Prosperian. *excerptis.*

5. Hæc bona *non* temporalis *vitæ* sunt, *sed* æternæ: nec obtinere possunt mortali carne circundati, ut non fleant, non gemant & nulla tentatione pulsentur. Spes ergo SS. qui secundùm id quod spiritû Dei aguntur, jam in *carne* non sunt meritò de his gaudet. ... Non ergo ad plenum Domino placet, qui adhuc est in regione mortalium, nec potest talis esse in *vita* occidua, qualis futurus est in æterna. Exp. postr. vers. *Psal.* 114.

6. Mens memor præsentis conditionis in qua desiderii sui non invenit vires respondit, *laudate Dom.* nunc enim quamvis fide, &c. roboremur, tribulationibus tamen & scandalis & mœroribus *non caremus*. Exp. v. 1. *Psal.* 145.

6. Quia verò & adversa istius vitæ & secunda *non carent tentatione*, utrinque fit nox. Exp. v. 9. *Psal.* 138.

6. Vita præsens multis *tentationibus* impugnatur, ut etiam redempti captivitatis mala metuant.

6. Qui Dei legem diligit, si non ex *mutabilibus* hominum moribus pendit, etiam si bonæ professionis homines propositum suum deserant, justitia legis perseverat. Exp. v. *Pax multa dilig. legem Psal.* 118.

6. *Vivitur & positi expletur certamen* agonis. (De Ing. *c.* 36.)

6. *In incerto* istius vitæ laborantes. Epist. ad *Ruffin.*

7. Et licet innumeris sanctis suis donet virtutem *perseverandi* usque in finem divina protectio, à nullis tamen aufert, quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studiis eorum atque conatibus semper inter se *velle & nolle decertet*.

8. Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis sumpsit & nominis, hoc desiderium semper habuisse, *ut* ei moriendi pro Christo *constantia* donaretur? verumtamen ita inevitabilis erat obluctatio *trepidationis*, ut vir martyrii avidissimus adepturus quidem denuntiaretur *victoriam* passionis, sed non sine tentatione formidinis.

7. Est quædam SS. *hominibus* insuperabilis fortitudo, & invicta patientia, quam in eis occultè finxit Deus & absconditam fecit habentem osseam firmitatem. Tum: in hac substantia fragilis corporis fortitudinem quærit, quæ inter sævas tribulationes etiam carni *perseverantiam* daret. Exp. v. 14. P*sal.* 138.

7. *Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt,*
Et cum quo certet *mens pia semper habet.*
Quæ carnem oblectant sancto sunt noxia cordi,
Contra animi legem prælia corpus habet.
Pulsant exterius diversis motibus hostes,
Intus civile est, & sociale malum.
Epig. 93.

7. *Sed quia jam in nobis* & velle & nolle *creatum est, &c.* (*de* Ing. c. 15)

7. Cùm à bono recedimus omnia nobis è contrario oriuntur ex nobis. c. *Collat.* c. 27.

7. Nemo sanctorum sine laboribus ac molestiis potest præsens tempus exigere, & in quadam captivitate se sentiunt, cùm, manantibus in spiritum carnemque discordiis, non omnia quæ volunt faciunt. Exp. v. 1. P*sal.* 147.

8. De illis ergo in quibus erat patientiæ roboranda *constantiâ*, *ut* ipsi *pro* Domino pati possent, qui in ejus passione titubaverant, dixit ipse: *imperfectum meum viderunt oculi*. Et quia usque ad desperationem expaverant, usque ad *victoriæ coronas* te aspiciente coronati sunt, addidit Et in libro tuo omnes scribentur. Igitur omnibus timidis & de propria infirmitate *trepidantibus* sperandum est supernæ virtutis auxilium. Exp. v. 16. P*sal.* 138.

LI. Observationes.

Cumulata comparationum συλλογὴ cumulatam scholiorum messem non præparare non potest. In utrisque autem ideò prolixiores, quàm in aliis reliquis extitimus, quia hoc præsentis capitis argumentum, quod primo conspectû parciùs à *Prospero* tractatum videbatur, studiosiùs inter ejus opera investigatum, ita continuò liberaliter exhibitum est, ut ab inventis propalandis abstinere non duxerimus; quòd nulla fortè ex adductis schemata majorem invicem affinitatem referant. Et id certè licet ex præcedenti tabula satis pespectum, ex ista non minùs patebit.

5. Quid enim istis congruentius: *felicitas non hujus sed alterius vitæ est*, &c. atque: *hæc bona non temporalis vitæ sunt*, sed *æternæ*, &c. At alia etiam splendidiora consequuntur.

Anonymi conceptus sexies à *Prospero* splendidè occupatus ac redditus.

6. Igitur singularissima inter hæc splendet consonantia: in *præsentis* autem agonis INCERTO, &c. Et: *præsens* vita: *præsens* conditio: *ista vita*, &c. Verùm aliæ per partes locutionum formulæ: hæc posteriùs observata integrè per omnia respondet: *in* INCERTO *istius vitæ* laborantes. Sed & admodùm genuinus ejusdem venæ character internoscendus est, in hoc verbo *carere*: ut mutabilitatis periculo non *caretur*: atque: scandalis ac mœroribus non *caremus*: tentatione non *carent*, &c. utque: *tota vita tentatio* esse refertur: ita & hæc: *multis tentationibus* impugnata. Porrò & hoc *mutabilitatis* periculum per *mutabiles* hominum mores aptè redditur. Quæ omnia in idem conspirant, variisque & multiplicibns modis adversum membrum satis ad vivum repræsentant, quin illis plura aliunde accersita subjungam.

Totius penè capitis doctrinæ aliunde è *Prosperi* fortunis expressæ.

Sed & istis omnibus quid ultrà demùm habemus expressius in resp. ad Dub. 9. *Genuen.* quod quia totam hujus capitis partem in se contrahit, è quo & forsan detracta est, & ipsam seorsim ponimus; habet autem:
„ Et hanc spem tenentes: *servite Domino in timore & exultate ei cum tremore*:
„ quoniam de vita æterna, quam filiis promissionis promisit non mendax
„ Deus, ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi consummata fue-
„ rit ista vita, *quæ tentatio est super terram*, sed faciet perseverare in se us-
„ quead hujus vitæ finem, cui quotidie dicimus: *ne nos inferas in tentationem.*
His certè, quæ ab *Augustino* c. 22. de *don. persev.* decerpta sunt (ut alia sua omnia vel ex istis, vel ex aliis ejusdem Magistri operibus mutuatus est *Prosper*) his, inquam, conscripta sunt, quæ num. 6. 7. 8. & 9. capitis *de Vocat.* diffusa protulimus. Ibi enim Et: *ista vita tentatio super terram*: Et, *timor* & *tremor*; Et, *in finem à Deo perseverantia*: Et eadem *ad Deum* fundenda *oratio* censentur & commendantur.

7. Et

7. Et heic quoque expressissimæ prænotari possunt conspiratus ejusdem lineæ, nam ut innumeris SS. suis donare virtutem *perseverandi usque in finem* collaudatur *divina protectio*, &c. ita & *SS. hominibus* Dei *insuperabilis fortitudo inesse* dicitur, *quam* ideo Deus *occultam finxit*, ut eam utique ignorent. Unde & homo *in hac substantiâ fragilis corporis* fortitudinem quærit, quæ inter tribulationes eandem carni perseverantiam daret. Quæ satis demonstrant ex hac unius *Psalmi* expositione non minùs sensa, quam verba deprompta fuisse. Ceterùm & in versibus, ubi idem argumentum retractatur, hæc locutio, *velle & nolle semper decertet*, ad istam metricam alludere videtur: *cum quo certet mens semper habet*, &c. pressiùsque quadantenus hic versus de *Ing.*. in nobis *& velle & nolle* creatum est, &c. Sed & hæc quàm conspicua sunt ejusdem venæ fluenta? videlicet, quod *ipsis* repugnat *ex ipsis*: atque: cùm *nobis* è contrario oriuntur *ex nobis*, &c. Habetur & in seq. schemate: *Nemo sanctorum: præsens tempus: discordiæ carnis & spiritus: non quod volunt faciunt*, &c. per se satis aptanda & invicem convertenda. Verùm nec omittenda est ista v. 7. *Psal.* 140. paraphrasis, quâ ait: *quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse à peccato, cùm* quotidie caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: *sciatque & suum esse, quòd patitur concupiscentem, & gratiæ esse, quòd superat rebellantem.* Quæ etiam fragmentum *Anonymi* 5. num. locatum retractant: ubi & eadem *Iohan.* 10 assumitur autoritas. Et sanè in istis principiis solidandis totus est *Prosper*, nam & in *Epig.* 18. cujus est titulus: *de carnis cupiditate vincenda*, rursum canit:

Quàm patulæ similitudinum formulæ?

Quàm in his constans principiis noster?

Nulla anima est, quæ non mortali carne gravetur.
Nec quæ corporeâ conditione gemat.
Sed confirmare invalidam, &c.

Quò etiam referri poterit argumentum ejusdem epigrammatis ex *Augustini* sententiis, quas perinde sibi proprias fecit *Prosper*, dum eas, sic iteratò assumpsit: *Nemo est cujus animum corruptibile corpus, & inhabitatio terrena non aggravet. Sed annitendum est, ut cupiditates carnis, spiritus vigore superentur: & interior homo qui sibi semper sentit resisti, semper se divino auxilio expectet adjuvari.*

8. Quæ ex ejusdem explicatione *Psalmi* 138. rursùs hoc in schemate deflorata sint, advertere planum est; quod enim de Apostolis in quibus *erat patientiæ roboranda constantia, ut pro Domino pati possent*, hoc ad Petrum qui *à principali petra communionem virtutis sumpsit, ut ei moriendi pro Christo constantia donaretur*, specialiter trahitur. Sed & ibidem *trepidatio, victoria, victoriæ corona, constantia, tentatio*, & *propria infirmitas* invicem ingeminantur.

Ex eadem serie cap. 28. *lib.* 2.

LII. Conspectus 25. tabulæ.

Mat. 6. 21.

9. Meritò igitur non solùm ab incipientibus, verùm etiam à provectis sanctis uniformiter Domino supplicatur & dicitur: *ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo,*

10. Universis enim qui in fide & dilectione permanent, ab ipso donatur ne in tentatione superentur, ut qui gloriatur in Domino glorietur. Ipsamque victoriam iisdem, quibus eam impertit, adscribit; ut quamvis auxilio Dei steterint, tamen quia in se habebant unde caderent, ipsorum sit meritum, quòd steterunt.

Ex aliis Prosperian. *excerptis.*

9. Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem quotidie corda universorum clamant: *ne inferas nos in tentationem, sed libera nos à malo.* c. *Collat.* c. 35.

10. Quod autem dicis, &c. nonne rectiùs veraciùsque loquereris, si ubi dixisti: tantam Deus tentatori tribuit potestatem, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem: diceres potiùs: quantam & illi resistendi noverat se dedisse virtutem? unius enim verbi correctio totam istam gloriam, quam humanis viribus adsignare voluisti, sobrietate aliquâ temperasset, ut illa mirabilis in tanta afflictione patientia, & Dei adjutorio, & libero hominis adscriberetur arbitrio. *Ibid.*

11. Igitur ſicut qui crediderunt juvantur ut in *fide* maneant, ſic & qui nondum crediderunt, juvantur ut credant.

11. Si ergò *fides* donum Dei non eſt, fruſtra & Eccleſia pro *non credentibus* orat *ut credant*.... Fruſtra etiam Apoſtolus gratias agit Deo pro his qui Evangelium receperunt Reſp. ad. Dub. 5. *Genuen.*

11. Aut quòd Eccleſia quotidie pro inimicis ſuis orat, id eſt pro his qui nondum crediderunt, nunquid non ex ſpiritu Dei facit? Quis hoc dixerit, niſi qui putat fidem non eſſe donum Dei. c. *Collat.* c. 25.

12. Et *quemadmodum* illi in ſua habent poteſtate *ut* exeant, *ita* & iſti in ſua habent poteſtate *ne* veniant. Fitque manifeſtum, quòd diverſis atque *innumeris* modis omnes homines vult Deus ſalvos fieri, &c. ſed qui veniunt Dei axuilio diriguntur, qui non veniunt ſuâ pertinaciâ reluctantur.

12. Si in ſanctitate vivitur... manifeſtum munus eſt Dei... ſi autem ad vitia & peccata tranſitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & receſſurum non deſerit, antequam deſeratur, & facit plerunque *ne* deſerat, aut etiam ſi diſceſſit, *ut* redeat Reſp. ad obj. 14. *Vincent.*

12. Qui enim à fide exciderunt, *ſicut* voluntate prolapſi ſunt, *ita* voluntate non ſurgunt.. . ſi qui autem captivitatem ſuam gemunt.... non ſine ſpiritû divinæ vivificationis hæc faciunt. Hæc enim mutatio dexteræ excelſi, qui *innumeris* lapſis dat penitentiam, ut reſipiſcant, &c. Nemini autem Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni poſſibilitate dipoliat....... Reſp. ad object. 15. *Vincent.*

LIII. Observationes.

9. & 10. Ex sola penè unius *Psalmi* interpretatione ductus hucusque trames heic defecerat, cùm aliud alibi filum arripientibus, ut unum alteri nectere datum fuit, continenti labore finem deinceps attingendi spes nobis & augurium extitit. Sed ut ex opere contra *Collatorem* subministratum nobis stramen reperitur, ita & advertere pronum erit, quantùm genio suo velificatus, principiisque jam positis pertinaciter inhærens *Prosper*, eundem *Cassianum* ac suos dedocere studuerit, etiam quando nec illum nominatim impugnavit, nec ipse proprio nomine confixit. Quia enim contendenti *Collatori* Deum *tantam tentatori dedisse facultatem*, *quantam*, &c. opposuerat *Aquitanus* unius verbi correctione, sobrietatem sententiæ illi indi potuisse, ut tandem illa patientia *& Dei adjutorio & libero hominis adscriberetur arbitrio:* Quia, inquam, hæc in *Collatorem* rejecerat, nunc arbitrum agens, sed sibi semper concinens, ut dona Dei in primis peræquè commendavit, meritum itidem adscribit, & Dei auxilio, & homini, qui *habebat in se unde caderet*, hoc est, *liberum arbitrium.* Observatû autem dignum est hanc eadem ratiocinationem, ex una eademque orationis Dominicæ petitione num. 9. data hinc & inde deductam esse.

Cassiani curatio ingeniosè resumitur.

11. Sexcentis locis hanc doctrinam inculcat *Prosper*, cujus, quod primò offendit, similitudinis excerptum assumpsimus nostris de more tabulis aptandum, & per se satis comparabile cum opposito. In quo quidem id insuper notandnm occurrit *Collatorem* rursus per latera vellicari; namque ut ad ipsum, ejusque dogmata toto in operis decursu conversus fuit *Anonymus*, ita nunc priora sua themata retractatans, atque recolligens, hæc tandam viriliter in illum jaculat*: igitur sicut qui crediderunt juvantur, ut in fide maneant, sic & qui nondum crediderunt juvantur ut credant.* Ut scilicet magis ac magis id præcipuum ingereret tam illam perseverantiam in fide, quàm initia ad illam arbitrio ex se non inesse, sed ex gratia. Quòd *Cassiano* quàm grave esset, inter alia plura, liquidò demonstrat insignis ejus *Collat.* 13. c. 14. locus, ubi Centurionis fidei his verbis à Christo laudatæ*: non inveni tantam fidem in Israel,* initium & originem in arbitrio locare nil pensi ducit, cùm ait: *nullius enim landis esset ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donaverat, prætulisset. Alioquin dixisset? non dedi tantam fidem in Israel.* Quod refellens, *Prosper* asserere ex adverso non moratur: *Exigua conclusione* TOTUM TU PELAGIANUM DOGMA *confirmas.* ut & pluribus demonstrat in serie c. 36. At cum heic *Pelagianum* istud *dogma Cassiano* suorum coryphæo, collatis quasi frontibus, exprobret *Aquitanus*, & antea nempe c. 25. illum rursùs percellens jam dixisset: *Quod Ecclesia quotidie pro inimicis suis orat, id est pro his, qui nondum crediderunt, nunquid non ex Spiritu Dei facit? Quis hoc dixerit, nisi;* QUI *hoc non facit, aut* QUI *putat* FIDEM NON ESSE DONUM DEI? Cùm talia inquam, iteratò contra *Collatorem* ab aperto colluctatore torta essent, nil mirum si ab eodem nunc occulto sic retorquentur. At mirum omnino quorsùm & quo jure tam capitalis objici *Massiliensibus* potuisset ignominia, siquidem illi *etiam ad initium fidei admittebant interioris prævenientis gratiæ necessitatem*? vel enim vehementer aberrarunt, qui ita crediderunt, vel in facto occultus manifestusque calumniator *Prosper*, aut definitionum à se collectarum & excolatarum infidelis interpres & imperitus arbiter, *religiosus vir & Ecclesiæ magister* pronuntiandus erit. At al-

ternanti, ſi quis eſſet, quæ pars ſit potior magis conſtaret, ſi vel ad ea tantiſper regredi duceret, quæ ex epiſt. *Proſperi* ad *Auguſtinum* in 1. præcipuè *Diſſert.* p. reduximus, quibus hæc ex S. Doctoris reſponſo. c. 2. & 4. de *Prædeſt.* SS. ad omnem evidentiam ſubjungi poſſunt, quippequi ait: *Sed nunc* EIS (Maſſilienſibus de quibus ſermo) *reſpondendum eſſe video, qui divina teſtimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus* EX NOBIS *quidem nos habere ipſam fidem, ſed incrementum ejus ex Deo*, tum poſt recenſitum priſtinum errorem ſuum, quo crediderat *fidem non eſſe donum Dei.* : *videtis quid tunc de fide ſentiebam, in qua ſententia* ISTOS FRATRES NOSTROS ESSE *nunc video*, &c. quæ quovis commentario clariora ſunt.

12. Quod ſi ex his porrò res ultro explorata eſt, ex *Anonymi* quæ ſic conſequuntur: *ET quemadmodum illi in* SUA *habent* POTESTATE UT EXEANT: ITA ISTI *habent in* SUA POTESTATE NE VENIANT, ex iſtis, inquam, luce clarius perſpicitur, ſi iidem *Semipelagiani* IN EO demum *erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui* POSSET *voluntas humana reſiſtere.* Nam ſi ita res eſt, alterum propoſitionis iteratò proſcriptæ membrum, ſeu *Proſper*, ſeu alius quivis, ſed tamen ille ipſe *Gelaſii* judicio *Magiſter Eccleſiæ* ſuſcepiſſe & complexus eſſe planè revincitur: adeoque & iſtius talis ac tanti viri *Maſſilienſium* partes deinceps augendæ conſortio, qui venenatum poculum aut præbibit, aut compotavit. Porrò nec in adverſis *Proſperianis* excerptis plura non ſunt, quæ verbis ac ſenſibus egregiè reſpondeant. Quam enim hæc particularum aptatio: habent in poteſtate *ut* exeant, *ne* veniant, &c. iſti conſentit: facit *ne* deſerat, facit *ut* redeat? Sed & heic etiam aliæ intermicant convenientiæ, quemadmodum enim *fideles in ſua habent poteſtate ut exeant* &c. ita prorſus, quin Deus *quidquam malæ tentationis immittat, ad vitia & peccata tranſire* poſſunt & *tranſeunt.* Porrò nec Deus *receſſurum, deſerit, antequam deſerat.* Quod poſtremum ſolenne *Auguſtini* principium ab Eccleſiâ Sanctâ: non minus quàm ab *Aquitano* ſuſceptum, celebratum, atque heic validiſſimè contra calumniatores adhibitum, vel ſolum totam hujus c. 28. doctrinam exprimit, nam & reſp. 7. præcedenti adverſus eoſdem jam dixerat: *Dei ergo voluntas eſt, ut in bona voluntate maneatur, qui & priuſquàm deſeratur, neminem deſerit,* & multos deſertores ſæpè convertit. Similia promit ad 3. & ſent. ſup. 7. *Gallor.* ubi ait: *gratia tamen ejus non priùs eos deſeruit, quàm ab eis deſereretur.* Porrò & ſequens reſponſio deſcripti. 15. reſp. *Qui à fide & ſanctitate exciderunt, ſicut voluntate* prolapſi ſunt, *ita* & voluntate non ſurgunt, &c. egregiè denuò iſtam reddit: Et *quemadmodum* illi in ſua habentpoteſtate ut exeant, *ita* & iſti in ſua habent ne veniant. Sed quæ hunc concentum pleniſſimè perficit, illa eſt affectata poſthac divinæ bonitatis nobilis utrinque commendatio. Utque hinc *Deus diverſis atque* innumeris *modis omnes homines* ſalvos fieri velle dicitur, &c. ſic aliunde & *lapſis* innumeris *dare pœnitentiam, ut reſipiſcant... nemini correctionis viam adimere*; aut ullum *boni poſſibilitate diſpoliare* collaudatur. Tandem utrobique & illud inculcari providetur: ut *qui veniunt Dei auxilio dirigantur, & qui non veniunt ſuâ pertinaciâ reluctentur.* Seu quod ex parte redhibetur: ut: *ſi qui captivitatem ſuam gemunt, non ſine Spiritu divinæ vivificationis hæc faciant.* Sed & quàmtoties alibi ſenſum illum ex toto reddit *Noſter?*

IN HOC ergo PROPRIE error Maſſilienſium ſitus eſt ..... quòd homo credere POSSET ſi vellet, non tamen abſque INTERIORIS gratiæ adjutorió, cujus uſus, vel abuſus eſſet in unius cujuſque arbitrio, vel POTESTATE. *Janſen.* lib. 8. *de hær. Pelag.* c. 6.

Ex cap. 29. *lib.* 2. de Vocat.

LIV. Conspectus 26. Tabulæ.

2. Quamvis enim multi amantes tenebras suas, splendorem non recipiunt veritatis & multi qui illuminati fuerint *tenebrescant*, verbum tamen Dei manet in æternum & *de promissionis* veritate *nihil* excidit.

Johan. 6. & 10.

2. Intrat quotidie *præscita* & promissa *Gentium plenitudo*, & in Abrahæ semine omnis gens, omnis tribus, omnis lingua benedicitur. Quod enim pater filio dedit filius non amittit, *neque potest quisquam de manu ejus eripere* quod accepit.

Psal. 24.

3. Firmum fundamentum Dei stat & mansuri in æternum templi ædificatio non VACILLAT, præteritâ super omnes veritate & misericordiâ Dei, à quo quòd & nemini negatur & nulli debetur, *in iis, quos* promisit, efficitur.

4. Ipse enim operatur omnia in omnibus, sed omnia procul dubio justa & bona: *universæ enim viæ Domini misericordia & veritas.* Qui sicut præscivit ante sæcula, quanta totius mundi hominum multitudo, vel communibus usa donis, vel specialibus adjuta præsidiis declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ, ingressura esset latitudinem erroris, ita, &c.

Ex aliis Prosperianis excerptis.

1. Meâ, inquit David superbiâ, & discessione factum est, ut obscuraretur cor meum. . . . Et magis, magisque *tenebrabor* si perseverantiæ finem non apprehendero (Exp. v. 5. & 10. Psal. 138.

1. Tempus laboris mei tempus est noctis, quem gratiæ tuæ splendor *illuminat*. . . *tenebræ* quæ à semetipsis obscurantur à te lumen accipiunt. (*Ibid.* v. 11.

2. Audiamus quoque ad Abraham *promissionem* Dei dicentis: in semine tuo, &c.. Hæc ergo est illa totius humani generis assumptio, hæc *gentium plenitudo*, *præscita* & prædestinata in Christo. . . *De* his lapidibus *nihil* ejicitur, *nihil* minuitur, *nihil* rapitur. Veritas enim dicit: omne quod dat mihi Pater, &c. *nec quisquam rapiet* eas *de manu* mea. Omnium ergo hominum cura est Deo, & nemo est, quem non aut Evangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conveniat. (. Resp. ad 8. *Gallor.*

3. Deus vult omnes homines salvos fieri & voluntatis suæ propositum *in eis* implet, quos præscitos predestinavit, nihil amittens de plenitudine Gentium. . . Ex toto enim mundo totus mundus eligitur. . Nec potest per inobedientiam multorum, Dei promissio VACILLARE, dicentis ad Abraham, &c. (Sent. sup. 8. *Gallor.*

4. Bonorum enim Deus autor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ: *universæ enim viæ Domini misericordia & veritas.* Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est, &c. Resp. ad 14. *Gallor.*

1. Contemplare heic, Lector, quomodo nunquam sibi non concinens *Prosper* in ipsissimas locutiones in *Psalmis* occupatas relabitur, cùm de his sermonem resumit, qui vel veritati refragantur, vel ab ea excidunt: propriæ enim & singularissimæ voces illæ sunt: *tenebrabor*, & *tenebrescant*, &c. tum: *splendor* qui *illuminat*, &c. ac ad *splendorem* eorum *qui illuminati* fuerunt. LV. Observationes.

2. Sed quàm & hæc mirè concurrunt 1. *Promissio ad Abraham in cujus semine benedictio*, &c. 2. *promissa* atque *prædestinata gentium plenitudo: omnis tribus, omnis lingua*, Seu: *totum genus humanum*. 3. *De ea promissione*, ut dictum primo num. *nihil* excidit: ita & heic: *de* his lapidibus *nihil* ejicitur, *nihil* minuitur, *nihil* rapitur. 4. Cur autem? quia utique; *quod Pater Filio dedit, Filius non amittit, neque quisquam*, &c. ubi duplex locus Johan. 6. & 10. utrinque exaggeratur. Uterque sanè familiaris *Prospero*, qui eo iterum utitur, Resp. ad 16. *Vinc.* & alib. Æquissimi concentus nusquam interupta Series.

3. Mirabilis itidem est hæc conceptuum elocutionumque consonantia. Quemadmodum enim *Anonymus* noster *præteritam super omnes Dei misericordiam* contestatur, ita & heic suo militans nomine & in idem contendens reclamat: *Deum velle omnes salvos fieri*, &c. seu, ut supra inculcare curaverrt, quòd *omnium hominum cura est Deo*. Sed ne unum altero molliorem vel severiorem esse suspicio esset, en quomodo in unum coire pergunt. Namque si quod *nemini negatur, & nulli debetur, in iis, quos promisit Deus, efficitur*, &c. non aliud est, quàm si ipsemet Dominus *omnes salvari volens*, &c. *omniumque curam suscipere*, voluntatis suæ propositum *in eis impleat, quos* præscitos, &c. in quibus sanè constabiliendis, duobus his libris, elaboratur. Denique ut præ aliis irradians, ita & complectenda est hæc ejus styli vena, quæ in hoc verbi VACILLARE usu, ad hanc exprimendam promissionis firmitatem concluditur. Quæ & dictio rursus *Prospero* ad manum fuit in epist. *ad Augustinum*, ubi: *nec* VACILLARE *illud quòd* Deus vult omnes homines salvos fieri, &c. quandòquidem inexcusabiles sint, &c.

4. Omnia operari docetur Deus, sed *omnia justa & bona*; seu mavis: *bonorum Deus autor est, non malorum: prædestinatio semper in bono est.* Denique & in serie præscientiæ doctrina eodem sensu explicatur.

Ex cap. 30. & 31. *lib.* 2. de Vocat.

LVI. Confer 11. 28. tabulæ.

1. Si ergò cesset insidiosa malignitas, si insolens præsumptio conquiescat, his rectè, ut arbitror, pertractatis, nullius superest causa certaminis, neque ultra necesse est nos interminalibus *quæstionibus* occupari.

2. Elaboratum est ut probaretur gratiam Dei omnibus adfuisse... quoniam sive occultè, sive manifestè ipse est ut Apostolus ait: *salvator omninm hominum, maximè fidelium.*

3. Quæ sententia subtilissimæ *brevitatis* & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitû, totam de qua agimus controversiam dirimit; dicendo enim: *Qui est salvator omnium:* confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse *generalem*: adjiciendo autem: *maximè fidelium*, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.

1. *Tim.* 4. 10.

4. Quod utique nulla iniquitate agitur justissimi & misericordissimi *Dei*, cujus judicium in his *dispensationibus*, non cum arrogantia discutiendum, sed cum tremore laudandum est.

Ex aliis Prosperianis *excerptis.*

1. Remoto ergo obscurarum turbine *quæstionum*, ad revelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus dicamusque cum Apostolo, quomodo *Deus vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Resp. ad object. 8. *Gallor.*

2. Et iterum dicamus: *Qui est salvator omnium, maximè fidelium, ibid.*

3 Ecce jam in ista paucorum *brevitate* verborum, multarum impietatum numerosa connexio, quæ si scrupulosioris diligentiæ discretione tractetur, &c. c. coll. c. 24.

3. Quòd si per *generalitatem* vocationis, & per abundatiam *bonitatis Dei*, etiam non perseveraturi perseveraturis admixti sunt, &c. (Resp. ad 16. *Vincent.*

4. Qui *dispensationes* Dei ex liberi arbitrii vult mutabilitate variari, profitetur sibi scrutabilia judicia Dei... Et: impossibile est comprehendere & periculosæ curiositatis est quærere. (Ad 8. *Gallor.*

1. Quia

1. Quia in hoc trigesimo capite retractaverat Autor tria quæstionum capita quæ lib. 2. cap. 1. proposuerat, hasque quæstiones intermediis autoritatibus & explicationibus toto libro diffusis confecisse arbitratur, ideo caput istud hâc claudit sententia, quâ adversarios indigitasse, juxtaque acerbè perstrinxisse notavimus. Quemadmodum autem *interminabiles* illas *quæstiones*, non necesse putat reducere, postquam ea complanavit, quæ ex *Paulinâ* sententiâ: quòd *Deus velit omnes homines salvos fieri*, &c. semper opponebantur: ita prorsus *remoto* eodem *obscurarum turbine quæstionum*, omnes componi posse jam putarat controversias, si recta congruensque huic Scripturæ loco aptaretur interpretatio. LVII. Observationes.

2. Quam autem ille interpretationem adducit, ex alia ejusdem Apostoli sententia, eandem, ut jam monuimus, occupaverat contra *Gallos* dimicans, ubi iisdem principiis solidatus, iisdemque prorsus vestigiis inhærens totam utriusque capitis heic adducti doctrinam cum similibus etiam loquendi formulis expressit. Sed ab iis vel iteratò censendis vel comparandis abstinemus: Et, si istis immorandum, retractanda esset illa nunquam satis adhibita, nunquam satis *tranquillo intuitû considerata* fidelis & omni acceptione digna sententia *subtilissimæ brevitatis & validissimi roboris* quòd scilicet: *Deus est salvator* OMNIUM, & MAXIME *fidelium*. Ad quam utique omnes concertationum, tumentes fluctus frangi, omnes omnium diffidentiæ sedari debent. Sedari, inquam, omnes debent: Nam neque infideles ipsi interno lumine fraudantur, quos & ab *ipsa etiam natura conveniri*, & *à conscientia argui* expressissimis *Aquitani* testimoniis demonstravimus 3. *Dissert.* p. 1. n. 14. 17. &c. tum hac 2. p. n. 39. Quem planè in sensum & antea c. 29. *Anonymus* ab eo non diversus, pronuntiaverat: *universitati quippe hominum, quod abundè probavimus, ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper, & consulit, ut neque ulli pereuntium* EXCUSATIO *suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, &c.* De quo ipso lumine plura dixerat ac extricarat *Augustinus*, quæ nec liquidiùs nec congruentiùs, quàm fidelissimi istius & sagacissimi Discipuli per omnes libros datis explicationibus componi possunt: *ut nulli excusatio suppetat de abnegato sibi lumine, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari.* Quòd si porrò *Augustinianæ* istius doctrinæ irrefragabilis rursus interpres meritò censetur *S. Thomas*, posset hæc etiam intelligenter explanari, istâ ejus exquisitâ hypothesi q. 14. *de verit.* art. 11. ad 1. ubi hæc notanda tradit: *Si aliquis nutritus in sylvis, vel inter bruta animalia ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali*, CERTISSIME *est tenendum, quòd ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendam necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit* Petrum *ad* Cornelium *Actor.* 10. Talis sanè Angelico Doctori Providentia congruit, cujus ex dispositione magis ac magis perspicitur, quorsum cum hâc gratiâ *nulli pereuntium excusatio suppetat, de abnegato sibi lumine veritatis*: ceterùm *nisi per fidem nemo justificatur*, ut ex *Prosperi* regula, citatis locis, latè deduximus. unde semper illud æquè recurrit invictum ac inconcussum, quòd Deus *est salvator omnium & maximè fidelium.* Universalis & specialis vocatio.

3. Si nil in primo *Prosperianæ* sententiæ numero similitudinis intermicat cum adverso, in consequenti *generalitas* vocationis & abundantia *bonitatis Dei*, collaudatur à *Prospero*, ad mentem *Anonymi*, qui *bonitatem Dei generalem*, &c. prædicat.

4. Et heic quoque *dispensationum Dei* investigatio simili modo prohibetur.

Ex cap. 33. *lib.* 2. de Vocat.

LVIII. Conſpectus 29. tabulæ.

1. *Sicut ergo* de iis quæ intra Eccleſiam multiformiter ſpiritus ſanctus operatur, impium eſt ullam querelam corde concipere: *ita* etiam de illa providentia, quæ infidelibus præſidet, nullatenus murmurandum eſt.

2. Quoniam juſtus & bonus arbiter *nec* voluntatis iniquæ eſt, *nec diſcretionis* incertæ, ut ſub immenſa omnipotentis Dei *miſericordia*, atque *juſtitia* putemus *quòd* quiſquam pereat, qui perire non debet.

3. *Nulla pars mundi* ab Evangelio vacat Chriſti. Et licet generalis illa vocatio non quieſcat, tamen etiam iſta ſpecialis jam univerſis eſt facta communis.

4. Ex omni genere & ex omni conditione adoptantur quotidie *millia* ſenum, millia juvenum, *millia parvulorum* & effectibus gratiæ Chriſtianæ, etiam ipſa, quibus mundus atteritur, arma famulantur.

Ex aliis Proſperian. *excerptis.*

1. *Sicut ergo* prævaricatoribus Angelis Deus non indidit illam voluntatem, *ita* nec hominibus hunc affectum, &c. (Reſp. ad 6. *Vinc.*

1. Et *ſicut* non poſſumus conqueri.. *ita*, &c. Reſp. ad 6. *Gen.*)

1. Ne *quemadmodum* ex libero arbitrio... *ita*, &. (Reſp. ad 7. *Gall.*)

1. Sicut tunc de omni mundo eruit paucos, ita nunc de univerſo genere ſalvat innumeros. (*Item* Reſp. ad 6. & 7. *Gen.*

1. Sicut voluntate prolapſi, ita voluntate non ſurgunt. (R. ad 15. *Vinc.*)

2. Omiſſis *diſcretionis* iſtius cauſis, ſcire ſufficit, *quòd nec miſericordia* juſtitiam, *nec juſtitia* auferat miſericordiam, apud eum à quo nemo niſi juſtè damnatur, nemo niſi miſericorditer liberatur. (Reſp. ad 8. dub. *Genuen.*

3. *Nulla pars mundi* eſt, quam non percutiat gladius veritatis, ut Chriſto præcipua quæque ſubdantur. (. Exp. v. 10. *Pſal.* 135.

4. Quid eſt quod tot *millia* fidelium toto orbe huic mundo renuntiantium convertimini? &c. (Exp. *Pſal.* 113. v. 26.

4. Siquidem multa *millia* infantium in regnum Dei aſſumptorum, (c. *Collat.* c. 30.

4. Poſtremò reſpiciantur etiam inter Chriſtianos populos tot *millia parvulorum*, &c. Reſp. ad obj. 3. *Gallor.*

4. Mendaces quo magiſtro fidunt cum eodem confundentur & tamen ex ipſis *quotidie* commutantur per miracula Dei, quotidie aperiuntur oculi cæcorum, & aures ſurdorum inſpirantur nares inſenſatorum.... Quia hos omnes gradus quos una gens habitat, per ipſam fidem, quâ illa juſtificata eſt, totus mundus obtinuit, & in cunctis jam nationibus invenitur Abraham credentium pater (*Pſal.* 134. in fine.

Ex serie ejusdem cap. 33.

5. Hinc est illud B. Pauli Apostoli scribentis ad Ephesios: *Benedictus Deus*..... & cætera, quæ ibi ejus sensus prædicatione connectit, docens donum atque opus gratiæ in æterno semper Dei mansisse consilio, omnesque adoptionis filios non solùm in hoc tempore, quo jam existentes vocati sunt, sed etiam priùsquam *mundus constitueretur* electos....

6. In qua electione quidquid hominum in Christo præcognitum non est, nullâ eidem ratione sociabitur. Omnes enim qui in regnum Dei de cujuslibet temporis vocatione venturi sunt, in ista quæ sæcula cuncta præcessit adoptione signati sunt.

7. Et *sicut* nullus infidelium in hac sorte numeratur; *ita* nullus impiorum ab hac benedictione discretus est. De plenitudine quippe membrorum Christi præscientia Dei quæ falli non potest, *nihil* perdit, & nullo detrimento *minui* potest summa præcognita, atque in Christo ante sæcula æterna prælecta, sicut ad Timotheum scribens Apostolus dicit: *collabora Evangelio*, &c.

Ex aliorum excerptorum serie.

5. Deus voluntatis suæ propositum in eis implet quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit.. nihil amittens de plenitudine Gentium & de omni semine Israel, cui præparatum est in Christo regnum æternum ante *constitutionem mundi*. Resp. ad obj. 8. *Gallor.* *Ephes. 1. 3.*

6. Ecclesia Catholica in electis suis præcognitis à Deo, filiis promissionis, membris corporis Christi, non *minuitur*, nec ad paucitatem redigitur, quia ipsi verè sunt.. Et semper multi sunt, quia de numero eorum nihil perit. Qui autem in hanc soliditatem æternæ beatitudinis non introierunt, pauci facti sunt, quia ab illa quæ permanet multiplici unitate recesserunt, &c. (Exp. v. 39. *Psal* 106.

7. Hæc ergo est illa filiorum Dei adoptio, hæc Gentium plenitudo præscita & prædestinata in Christo ante constitutionem mundi... De his lapidibus *nihil* ejicitur, *nihil* minuitur, *nihil* rapitur. (Resp. ad 8. *Gallor.*

7. Agnoscamus itaque sapienter pièque fateamur præscisse incommutabiliter Deum, quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam. (Resp. ad dub. 8. *Gen.* *2. Tim. 1. 9.*

LIX. Observationes.

Quarundam particularum frequens utrinque usus.

1. Ab istius comparationum operæ principiis, toties hâc primi schematis loquendi formulâ pulsati sumus, ut hanc etiam in proprium & insigne cognationis ac germanitatis exemplum, vel sub finem non adduxisse religio fuisset: quòd in istis interdum magis etiam quàm in earundem vocum usurpatione styli character internosci detur. Aliquammultas istiusmodi formulas. *Et sicut ..., ita*, &c. Et: *quemadmodum... ita*, sic, & alias similes particulas eâdem methodo, ordineque assumptas, prout se obtulerunt, objecimus primo adversi capitis membro respondentes, sed quàm aliæ plures annotandæ venissent & in libris *de Vocat.* & in aliis ejusdem *Prosperi* tractatibus?

Misericordiæ Dei atque justitiæ æqua commendatio.

2. Quemadmodum nunc in uno: bonus arbiter asseritur non esse *discretionis* incertæ, &c. Ita in altero: omittendas *discretionis* istius causas judicatur. Inde ait *Anonymus*: nec putemus sub immensa Omnipotentis Dei *misericordia*, atque *justitia*, *quòd* quisquam pereat qui perire non debet: Quibus aliunde concinitur: quòd *nec misericordia justitiam: nec justitia auferat misericordiam*, tandemque quòd nemo *nisi justè* damnetur, &c. ubi semper eadem prorsus verba, iidem plane conceptus recurrunt.

Generalitas vocationis.

3. *Ut* misericordiam Dei insigniter commendet *Anonymus* audacter ait: NULLA PARS MUNDI *ab Evangelio vacat Christi*, &c. Sed quia hoc jamdudum cordi ejus divinæ bonitatis insederat argumentum, ad illud annuntiandum festinaverat, in explicatione istius versiculi: *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis*, &c. ad cujus literam sensusque magis proprios neutiquam intendens, sed proprio suo spiritû quasi abreptus in similes voces & locutiones erupit: NULLA PARS MUNDI *est*, *quam non percutiat gladius veritatis*, ut Christo præcipua quæque subdantur. *Nulla pars mundi*: *nulla pars mundi est.*

4. At non minùs sequentia se invicem reddunt & consequuntur schemata: ut enim ex omni genere, ex omni conditione *adoptantur quotidiè millia* senum, *milla* juvenum, *millia parvulorum*, &c. ita & in cunctis jam nationibus per omnes gradus ex ipsis *quotidiè* commutantur, *quotidiè* aperiuntur oculi cæcorum, tum: multa *millia* infantium: tot *millia* fidelium: tot *millia parvulorum* convertuntur, assumuntur, justificantur.

5. Quâ ex autoritate *Paulinæ* ad *Ephesios* epistolæ expressè & ad verbum recitata ratiocinium suum persequitur *Anonymus*, sic ex eadem solummodò memorata *Gallos* aperto marte impugnans revicerat. Nam utrobique sensus, atque scopus iidem sunt; Quid enim interest quòd *opus gratiæ in æterno Dei semper manserit consilio*, *omnesque adoptionis filii*, *non solùm in hoc tempore quo jam vocati sunt*, *sed etiam priusquam mundus constitueretur electi sint*: aut quòd: *Deus voluntatis suæ propositum in eis impleat*, *quos præscitos prædestinavit ante constitutionem mundi?*

6. Et ista rursus sensu congruunt: hæque dictiones: *in qua electione quidquid hominum in Christo præcognitum*, &c. satis adversæ respondent: *Ecclesia Catholica in electis suis præcognitis à Deo.*

7. Recurrit secundò in unico capite notata, initio, formula ex particulis: *Et sicut ... ita*, &c. Sed splendidiores sunt sententiæ & quæ eas exprimunt locutiones utrinque simillimæ; ubi & *plenitudo*, *plenitudini* opponitur: *præscientia quæ falli non potest circa electos*, his quos: *præscivit incommutabiliter Deus daturus esse ut crederent*, &c. Sed ut de *his nil perdit Deus*, *nec minui potest summa*, &c. sic de iisdem *nihil ejicitur*, *nihil rapitur*, *nihil minuitur.* Quo & postremo verbo significantissimo, convenientissimoque, num. 6. usus esse perhibetur *Prosper*, veluti jam proprio & locutionibus suis aptato.

Denique ne Prosperi *poëticen* omnino abdicasse videamur, quæ semper penè ad nativam speciem exprimit quidquid pedestri stilo delineat, subjiciendum heic duximus ejus Epigramma 58. *de principali rerum omnium causa*: cujusque λῆμμα istud est: *voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium spiritualiumque motionum; nihil enim fit visibiliter ac sensibiliter, quod non de invisibili, atque intelligibili summi Imperatoris aula, aut jubeatur, aut permittatur secundùm ineffabilem justitiam præmiorum atque pænarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaque Republica.* In hoc autem sic canit Poëta:

Prosperi utroque stilo mira consensio cum *Anonymo.*

Principium Deus est mundi, quo cuncta moventur,
Et quæ permittit, vel jubet, autor agit.
Hinc mutabilium rerum immutabilis ordo
Æterni servit legibus Artificis.
Inque suos fines procedit quæque voluntas,
Nec variis meritis ARBITER ÆQUUS *abest.*
Corda regens, vires tribuens, peccata remittens,
Mitis subjectis, implacidus tumidis.
Ut nec pœna malum quemquam, nec gloria justum;
Suscipiat, nisi cum laude & honore Dei.

In hoc porrò epigrammate, vel ejus argumento omnia enucleantur, vel adumbrantur, quæ ex cap. 33. in tabulis reduximus. Habemus enim ad hanc normam, voluntatem Dei primam & summam omnium causam, utque *Anonymo*, Dominus JUSTUS & bonus ARBITER, ita & *Nostro* non larvato ARBITER ÆQUUS nuncupatur. Sub ejus pariter *misericordia, atque justitia* sunt omnia. Et similiter *omnia* illi fiunt *secundùm ineffabilem justitiam præmiorum atque pænarum*: Quæ *justitia præmiorum* quidem misericordiam complectitur. At splendida est n. 5. conspiratio ista: *effectibus gratiæ etiam ipsa, quibus mundus atteritur, arma* FAMULANTUR: atque *mutabilium immutabilis ordo, æterni* SERVIT *legibus Artificis.* In qua idem magis viget atque intermicat stylus.

Ex cap. 34. *lib.* 2 de Vocat.

LX. Conspectus 30. tabulæ.

1. *Contra* hanc invictæ veritatis splendidissimam lucem, solent *quidam* non sobriè dicere, *superfluò* ad acquirenda bonorum operum merita *laborari*, frustra etiam orationibus quibus *Deus* exorandus speratur insisti, si ex incommutabili *proposito* ejus christianæ gratiæ subsistit electio, nec aliter quicquam procedere *potest*, *quàm* omnipotentis voluntate dispositum est.

2. Sed qui hæc se ingeniosè arbitrantur opponere, non intelligunt scientiam Dei, quæ & præterita, & præsentia, & futura complectitur *tempore* non teneri, & tam in conspectû ejus *astare* ea quæ gerenda sunt, quàm illa quæ geruntur, aut gesta sunt.

Ex aliis Prosperian. *excerptis*.

1. *Contra* istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet *quisquam* nubem ambiguitatis obtendere. c. *Collat.* c. 43.

1. Hoc autem *propositum* vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio.... lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem torporis afferre, eo quod in utramque partem *superfluus labor sit*, si neque electus ullâ negligentiâ possit excidere...Quoquo enim modo se egerint, non *posse aliud* erga eos, *quàm Deus* definivit accidere, &c. Epist. ad *August.*

2. Evangelio Christi currente per omnem terram, omnium Gentium fit vocatio... nihil est velocius *scientiâ* & opere *Dei*, qui quæ *futura* sunt novit & fecit & quæ nondum sunt orta, jam apud illum sunt præordinata. Exp. v. 4. *Psal.* 147.

De temporali scientia Epig. 40.

2. Id quod in *tempore* novum est, non est novum apud Deum, qui condidit tempora, & sine tempore habet omnia, quæ suis quibusque temporibus pro eorum *varietate* distribuat.

Sed rerum autori nullus non cognitus ordo est
Cernenti quidquid sæcula cuncta ferunt
Et sub judicio stantque, *fluuntque Dei.*

Ex serie ejusdem cap. 34.

3. Quod cùm verissimum sit, non indiget mora cernendi & discernendi illa virtus, quæ perpetuo veroque contuitû creata & creanda, orta & oritura, *acta & agenda simul* aspicit, & quidquid in universitate rerum per sæcula præfinita evolvitur, ac multimodis *varietatibus* explicatur, id totum in eo jam *ordine* comprehendit, quem, ex ipsius summo illo perfectoque judicio, mundi hujus finis accipiet.

4. Hæc autem æterna & semper tranquilla cognitio nulla nos urget necessitate peccandi, nec inde manat iniquitas unde justitia: quia cùm bonus Deus omnia bona fecerit & *mali nulla sit* omnino *natura*, à liberis *voluntatibus*, quas utique *bonum* fuit liberas fieri, spontanea est orta transgressio: & natura mutabilis, cujus incolumitas ab incommutabili pendet essentia, à summo se bono, dum propriis delectatur, abrupit, cui nunc ruinæ medetur gratia Dei.

Ex aliorum excerptorum serie.

3. *De Providentia Dei* Epig. 41. Mutabilium dispositionem immutabilis ratio Dei continet, ubi sine tempore simul fluunt, quæ in temporibus non simul fiunt: quia tempora non simul currunt.

Lex æterna Dei stabili regit omnia nutu,
Nec mutat vario *tempore consilium*
Utque locis præsens simul est Deus omnibus unus,
Sic rerum metas secum habet & numerosi
Nec serum aut p operum sibi sentit in ordine *rerum,*
Cui cuncta assistunt acta & agenda simul.

3. *De intempor. opere Dei* Epig. 57. *Ordo* temporum in *æterna* Dei sapientia sine tempore est, nec aliqua sunt apud illum nova: qui fecit quæ futura sunt.

Æterno autori simul adsunt omnia semper
Cum quo in factorum est ordine *quidquid erit.*

4. a Deus etsi ex *æterna* scientia præcognitum habet, quid uniuscujusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut *necessitatem*, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergò à justitia quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, suâ concupiscentiâ trahitur, suâ persuasione decipitur. Tum: hæc ipsorum est nequitia, hæc consummata libertas, &c. Resp. ad Object. 13. & 16. *Vincent.*

4. Quod ergò hujusmodi in hæc prolapsi mala sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt: sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex *voluntaria* prævaricatione præsciti sunt... Nam quod ex Deo est, nonnisi *bonum* est, & quod *bonum* est mali causa non est, &c. Resp. ad 3. *Gallor.*

4. c Nec enim Deus qui justitiæ & bonitatis autor est, & cujus omnia statuta & mandata contra peccatum sunt, quemquam ad peccandum cogere credendus est. *Ibid.* sent. sup. 11. *Gall.*

4. d *Nullam mali esse naturam...* Quia iniquitas nulla substantia est, & peccatum non natura est. Tit. *Epig.* 94.

A quo *natura* est *nulla* creata *mali. Ibid.* Item v. 4. *Psal.* 123.

LXI. Observationes.

Contra hanc invictæ consensionis *splendidissimam lucem*, *contra istam clarissimæ* similitudinis *tubam non sobriè quisquam nubem ambiguitatis obtenderet*? nam hinc & inde eadem vena, idem orationis contextus, idem sonus atque character aut irradiant, aut nullo uspiam lineamento consensiones istiusmodi venient designandæ. Et notabile quidem est utramque illam excelsi animi eruptionem, ex validissima & peremptoria autoritate utrinque adducta, ortam esse: uti enim *Prosper* aperto marte cum *Cassiano* sequacibusque, qui *Augustinianæ* doctrinæ obloquebantur, manus conserens, post adductam *Cœlestini* in *Augustinum* commendationem, quasi re jam exæquatâ, conclamat: CONTRA *istam clarissimæ laudationis tubam*, &c. ita prorsus & ipsemet, sub alia larva se se prodens, ex quo *Paulinam* ad *Timotheum* sententiam, omnes adversantium machinas confringentem, objecit, subitò in eosdem affectus & excitationes abreptus ingeminat: CONTRA *hanc invictæ veritatis splendidissimam lucem*, &c. In quibus *Prosperi* genius eò magis datur internosci, quòd heic licet pacis quasi sequestrum agens, non tam sibi temperare potuerit, quin animi motus quasi primigenios resumpserit, & pacatus recantarit, quæ inter disputationis æstus exciderant.

Excelsi animi eruptio utrinque conspicua.

At missa faciamus ista, namque non solis duntaxat verbis, sed etiam & sensibus se dat *Prosper* intuendum, atque palpandum. Etenim cùm primum illius studium fuisset, dum ad *Augustinum* scripsit, ut quàm diligenter illud explicaretur: quemadmodum per hanc dictionem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam, *nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent*. Tum immediatè subjungit: *illud etiam quomodo diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres*; quòd, *retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur & una sententia, quâ propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam*, &c. Quia autem ista erat sententia antiquitatis privilegio utcumque fulta, & inter exceptiones ab adversariis repositas hæc erat haud dubiè plausibilior: *quemadmodum nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent*, &c. atque in istis adhuc caligarent summorum virorum ingenia, à partium concertationibus separata: quia, inquam, hæc ita se habebant, ideo de his modestiùs loquitur *Aquitanus* in hoc capite, unde post illum suum priorem, quem advertimus, impetum, remissiùs agens ait: *solent quidam non sobriè dicere*, &c. tum postea: *qui hæc ingeniosè se arbitrantur opponere*, &c. Quid autem opponunt, quæso, quàm quod, vivente Hipponensi Antistite, jam opposuerant? præter ista certè, quæ mox epistolæ citatæ fine, retulimus, hæc sunt paullò ante medium desumpta, & ad idem spectantia: quòd scilicet *propositum vocationis lapsis curam resurgendi adimit, & sanctis occasionem torporis affert, eo quod in utramque partem superfluus labor sit, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus excidere*, item & post aliquammulta rursus dixerat: *ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cujus studium, cessante electione, frustrandum sit*, &c. Sed & nunc de iisdem refertur in hoc *de Vocat.* 34. cap. *superfluò ad acquirenda bonorum operum merita laborari, si ex incommutabili proposito ejus Christianæ gratiæ subsistit electio*, ubi eædem voces & locutiones utrinque

Quas *Augustino* detulerat *Prosper* Massiliensium objectiones,

easdem iisdemque verbis refricat ac diluit.

que promuntur: *propositum labor, laborari, electio, superfluus, superfluò, superflua*, &c. Sed singularem refert similitudinis speciem adhibita utrobique particula *si*, ut: *si* ex incommutabili proposito subsistit electio, &c. atque: *si* neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, &c. Tum & potiora forsan videri poterunt, quæ sequuntur: *quoquo enim modo se egerint, non posse aliud, quàm Deus definivit, accidere.* Quibus hæc simili prorsus orationis contexturâ respondent: *nec aliter quicquam procedere potest, quàm Omnipotentis voluntate dispositum est.* Et majorem quidem in unico schemate sensuum & dictionum concentum reperiri facile non putamus.

2. De scientia Dei ad eandem prorsus normam sermo exigitur, & *autori* quidem rerum omnium *omnia* pariter *astare*, præteritaque & futura præsentissima esse utrinque asseritur, quia Deus simplicissimo illo velocissimoque contuitû omnia tempora comprehendit, *nec tempore tenetur, qui condidit tempora*, &c. seu denique *astant* Deo, vel *in conspectu Dei quæ gerenda sunt*, &c. vel quod idem est; *cernit ille quidquid secula cuncta ferunt.*

3. Sed ut enucleatiùs & elegantiùs in sequenti Epigr. *de Providentia* mentem suam super hac Dei scientia explicuit *Prosper*, ita & sub *Anonymi* specie decertans in cohærenti capitis delibati membro, ditiori explicationum venâ, ludere videtur, & alludere, ad ea videlicet, quæ in his epigrammatis residua sunt, quæque fortassis istis suis pedestri stylo consignatis penitus explere studuit. Sic itaque ut *mutabilium dispositionem immutabilis ratio Dei continere* dictum erat, ita nunc replicatur; *quidquid in universitate rerum multimodis varietatibus explicatur scientiam Dei comprehendere*, &c. Quod autem sequitur: *eo ordine, quem mundi hujus finis accipiet:* nunquid ad ista metrica respicere omnes dicerent: *qui rerum metas secum habet*, &c. ac: *in ordine rerum: in factorum ordine.* Tùm *stabilis* ille *Dei nutus, quo omnia reguntur*: satis congruè redditur, *summo* illo *perfectoque* ejus *judicio*, &c. Rursùs hæc locutio: Deus *qui nil serum aut properum sibi sentit in* hoc *rerum ordine*: nunquid istâ penitus occupatur: *non indiget mora cernendi & discernendi illa virtus.* At forsan genuinæ magis aliquibus videri poterunt hæ loquendi formulæ: *cui cuncta assistunt acta & agenda simul* atque: *acta & agenda simul* aspicit. Ubi certè illud: *acta & agenda simul*, &c. ex eadem vena fluere illicò innuitur. Quod omnium autem caput est eò invicem utraque scripra conveniunt, atque collineant, ut cuncta Deo præsentia & coexistentia sint, nec tàm præsciat Deus, quàm sciat: nec tàm prævideat, quàm actû, sua in capacissima essentia, intueatur, propter supereminentissimam illam intelligentiæ suæ facultatem, quâ omnium temporum successiones in uno puncto comprehensas sibi sistit, atque explicat. Unde & Deo seu præterita seu futura, non objectivâ tantum, sed reali præsentiâ astare, non secùs ac illa quæ fiunt utrobique asseritur & inculcatur. Quod certè metricè *Aquitanus* hâc exquisitissimâ significantissimâque comparatione ita consignare studuit: *ut sicut locis præsens est Deus omnibus unus, sic rerum metas numerosque secum habeat, nilque sibi serum aut properum in ordine rerum sentiat, cui cuncta acta & agenda simul assistunt.* Quæ quàm genuinè connaturaliterque rem exprimant satis perspicitur.

LXII. Scientia Dei iisdem utrobique, sed vivis coloribus adumbrata.

Exquisita *Prosperi* comparatio.

Sed quorsum fidelis discipulus seu Poëtam agens, seu *Anonymi* Oratoris partes sustinens aliter elocutus fuisset, quàm à peritissimo magistro *Augustino* edoctus erat? è cujus adeoque scriptis, quanta est doctrina ista excerpta deflorataque fuit, sed præcipuè ex l. 2. q. 2. ad *Simplicianum* ubi hæc explicatè tradit: *Quis est hominum cui non occurrat in Deo cuncta præsciente pœnitentiam esse non posse? cùm vero aliquis liquidiore consideratione ista pertractans quæsierit, quemadmodum vel ipsa præscientia Deo congruat, & invenerit etiam hujus verbi notionem ejus ineffabili Deitate longè latèque superari, non miraretur de illo propter hominem dici potuisse: de quo utrumque propter ipsum incongruè diceretur. Quid est præscientia nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes; ac per hoc non jam præscientia, sed tantùm scientia dici potest. Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum ita & apud Deum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo, bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero modo secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei, quod absurdissimum & falsissimum est.* Hactenus *Augustinus* qui neque pressiùs, neque liquidius quàm ex his *absurdissimis & falsissimis* consectariis divinæ inter & humanæ scientiæ modum, discrimen statuere & enucleare potuerat. Ad quæ profectò *Prosperum* utrobique intendisse claro clarius unicuique essè non dubitamus. Nunc ad alia majora traseundum est.

LXIII. Tota hæc doctrina ex *Augustino* deprompta.

Ejusdem de divina scientia mirabilis explicatio.

4. Et quidem graviora videri solent ista, quomodò cum hac immutabili scientia coëat humanæ voluntatis perfecta libertas. At quemadmodum hunc facilè nodum dissolverat *Augustinus* l. 5. *de Civit. Dei* c. 9. ubi *Ciceronis* in his caligantis argutias postquam explosit, hæc in multis habet: *Nec timemus ne ideo non voluntate faciamus, quòd voluntate facimus quia id nos facturos ille præscivit, cujus præscientia falli non potest.* Quemadmodum, inquam, heic & alibi gratiæ Doctor has in specie compugnantias exertè composuerat, ita prorsus ad ejus indubitata principia confugiens semper *Aquitanus*, mox in *Anonymo* tractatû asserit, quod: *illa tranquilla cognitio nullâ nos urget necessitate peccandi.... quia à liberis voluntatibus, quas utique bonum fuit liberas fieri, spontanea est orta trangressio*, &c. tum in aliis ad obtrectatores suos responsis ait: quòd *Deus etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quid uniuscujusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc, quòd falli non potest, aut necessitatem aut voluntatem intulit delinquendi.* Cur autem hanc delinquendi necessitatem non intulit? quia utique, *si à justitiâ*, replicat ille, *quis deficit suo in præceps fertur arbitrio, suâ concupiscentiâ trahitur*, &c. quæ istis jam consignatis magnificè respondent: *à liberis voluntatibus spontanea est orta transgresio, & summo se bono, dum propriis delectatur abrupit*, ubi: *arbitrium, concupiscentia, liberæ voluntates, spontanea*, &c. aliaque synonyma se invicem reddunt & consequuntur. Sed ad hanc inculcandam libertatem, quid etiam significantius *Prosper* eloquitur adversus eosdem *Vincentianos*, ubi sic legimus: *sua voluntate deficiunt*, atque: *hæc ipsorum est nequitia & consummata libertas.* Et adversus *Casianum* c. 19. habet: *liberum arbitrium, id est rei sibi placita* SPONTANEUS *appetitus*,

Quomodò consistat libertas cum ejusdem scientiæ immutabilitate?

utrobique, mirâ consensione, explicatur ex *Augustino*.

ubi usum bonorum, quæ acceperat, fastidivit, & vilescentibus sibi felicitatis suæ præsidiis, insanam cupiditatem, &c. in quibus habetur: *spontaneus appetitus*, quo sensu dicta est: *spontanea transgressio*: quæ plana sunt. At in his nihilosecius occurrit Hæreticis offensionis lapis: ex hac enim *Prosperiana* definitione defendere conantur ad liberam actionem sufficere, quòd voluntas agat sponte, non coactè, adeoque & liberum, quod necessitatem includit dummodo coactionem abigat. Atqui eorum objectiones ex hoc loco erutas proposuit *Guillel. Estius* in 2. Sent. Dist. 24. §. 2. ita easdem ex certis *Prosperi* principiis, genuinisque sensibus sic retundit, ac diluit: *Prosper illud vocat* spontaneum, *quod ita agit ut possit non agere: ut pote nec naturali necessitate constrictum, ac determinatum in alteram partem.* Quod hâc ejusdem consequenti roborat autoritate, *unde*, pergit, *paullò post etiam de primo homine dicit* Prosper, *quòd se* SPONTE *bono privaverit, per hoc volens significare ita illum peccasse, ut potuerit non peccare*, &c. Ita *Estius* Aquitanum rectè per se ipsum interpretatus. Et dictio illa quidem alibi reperitur penes *Prosperum*, cùm primi parentis prævaricationem attingit, nam ad quintam *Vincentianorum* objectionem respondens scripsit: *Deus naturæ creator est, quæ cùm potestatem habuerit non delinquendi* SPONTE *deliquit, & deceptori suo propriâ voluntate se subdidit.* Heic enim de *Adam* peccato constanter loquitur, at ut ille primùm peccans ac *sponte delinquens* non modò à coactione, sed etiam à necessitate ex illorum rursus judicio liber fuit, consequens est ut ex his vocibus *sponte* & *spontaneus* nil omnino expiscari possint sectarii, unde deinceps libertatem adstruant, quæ coactionem tantùm, non necessitatem excludat.

Et *Prospero* contra Hæreticos.

LXIV.

Aliæ characteristicæ reciprocæque ad illud arcanum explicandum formulæ.

Sed in illud aliæ collationes exigendæ nobis sunt. Cur enim *nulla non urget Deus necessitate peccandi!* ut hæc præcipua *Anonymo* nostro ratio est, quia *non inde manat iniquitas, unde justitia*, & quòd *Deus omnia bona fecerit*, &c. *Et mali nulla sit omnino natura*, &c. ita hæc eadem semper ipsimet alibi recurrit peremptoria responsio; ut cùm num. 4. e adverso habet: *nec enim Deus qui justitiæ & bonitatis autor est, & cujus omnia statuta contra peccatum sunt, quemquam ad peccandum cogere credendus est.* Pressiùs autem istud postremum membrum: *Et mali nulla sit omnino natura*: excerpta ex num. 4. multoties ingeminant: *nullam mali esse naturam: iniquitas nulla substantia est: peccatum non natura est: à quo natura est nulla creata mali*, &c. Qui sunt certè primigeniis ex illis conceptibus, quos toties in decursu *Prospero* tam peculiares advertimus. Denique & eadem num. 4 retractat aiens: *nam quod ex Deo est, nonnisi bonum est, & quod bonum est mali causa non est.* Quod est primum fixumque principium, cujus ope resolvuntur omnes, quæ contra divinæ scientiæ, quo modo explicata est, facultatem excogitantur objectiones.

In quibusdam tamen *Prosper* ab *Augustino* ibi etiam discedit:

Verumtamen quæ eodem numero residua exscripsimus, non sine animadvertione prætermitti debent. Namque quæ heic reponit *Prosper*, nempe, quòd *hujusmodi in hæc prolapsi mala sine correctione pœnitentiæ defecerunt; non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt*: Quæ, inquam, heic apponit *Aquitanus*, etsi cum adverso schemate satis

magnam affinitatem in his saltem verbis, *necessitatem pereundi* habuerunt, &c. exhibeant, in sensibus tamen aliquam ab *Augustini* placitis discrepantiam præferunt. Ille siquidem quoties istud divinæ prædestinationis mysterium attingit, explicitè & resolutè pronuntiat, homines hujusmodi aut in mala prolabi, vel in bono non perseverare, quia *in numero prædestinatorum non sunt*, vel quia *non sunt prædestinati*, quod multis in locis inculcat gratiæ Doctor. Quin & nobilis Theologus P. *Thom.* Dog. Theol. *de Deo* lib. 8. c. 6. n. 4. hanc non modò frequentem, sed CONSTANTISSIMAM, atque INCULCATISSIMAM *Augustini* regulam istam agnoscit, atque complectitur, adeo ut, inquit ille, si quæratur ad fidem, ad pœnitentiam ad justitiam, &c. hos non illos perduci, *constantissimum, & inculcatissimum* S Doctoris responsum sit: *Quia hi, non illi in Prædestinatorum albo conscripti sunt.* Quod quidem palmare esse debebat S. Discipulo ex ejus ore pendenti: & quod caput est, ex ejus sensibus tum responsa dare contestanti. Sanè quod ad *Augustini* doctrinam istam spectat, legendi præcipuè tractatus quos contra *Pelagianos* edidit, ut sunt lib. *de corrept. & grat.* c. 7. Ubi ita philosophatur: *Qui perseveraturi non sunt, procul dubio nec illo tempore, quo bene pièque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis* PRÆSCIENTIA DEI, ET PRÆDESTINATIONE DISCRETI, & *id eo nec* secundùm propositum vocati: *ac per hoc* nec electi, &c. Et c. 13. ejusdem tractatus similia congerit. Videndum & cap. ultimum lib. 2. ad *Bonifac.* Sed & lib. de *don Persev.* c. 9. respondet: *Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter adstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur, & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia ejus. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum* HUNC ESSE EX PRÆDESTINATIS, ILLUM NON ESSE, &c. Et cap. 14. ejusdem lib. hæc iterum inculcans ait: *Ex quo apparet*, inquit, *habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant. Et tamen si Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, perquæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent*, &c. Insuper autem cap. 19. *de Prædest. SS.* scribit: *Electi sunt itaque*, inquit, *ante mundi constitutionem eâ prædestinatione, in qua Deus futura facta præscivit. Electi sunt autem de mundo eâ vocatione, quâ Deus id quod prædestinavit implevit, quos enim prædestinavit ipsos & vocavit, illâ scilicet vocatione secundum propositum. Non ergo alios, sed quos prædestinavit ipsos & vocavit; nec alios. Sed quos ita vocavit ipsos & justificavit; nec alios. Sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit, illo utique fine, qui non habet finem*, &c. Hæc ad *Aquitanum* nostrum & socium *Hilarium, Semipelagianorum* accusatores *Augustinus*, qui in istis longè aliam viam discipulis suis tenendam monstrare videtur, atque tuendam

Unde certè tantò major incessere nos debet admiratio *Prosperum* posthàc magistri sui vestigiis non pressiùs inhæsisse, in ipsis ad *Gallos* responsis, quantò se priùs obstrinxisse convincitur, illis pedetentim insistere, ut patet ex illius opusculi præfatione, quâ hæc contestatur: *singulis capitulis quæ rationis titulo prænotarunt, brevi & absolutâ præfatione respondeo*, IN NULLO RECEDENS A TRAMITE EARUM DEFINITIONUM, QUÆ IN S. VIRI DISPUTATIONIBUS CONTINENTUR. Hæc solenniter spondet *Prosper*, quæ multis non videbitur adimplesse. Sanè si quod procliviter accidere poterat, ista quæ penes *Prosperum* recognitum habemus, penes eum innominatum è contra deprehensa fuissent, nemo non illico ex illa compugnantiâ, *Anonymum* à *Prospero* diversissimum, vel *mollem*, ut alibi aliis visum notavimus, *Augustinianum* pronuntiare non moratus esset. Et Certè aliquantulum molliùs & remissiùs locutum esse heic *Prosperum*, quàm ab *Augustino* fuerat edoctus, non diffitemur, quamquam & ad istius castigatissimos sensus redire tandem possit *Aquitani* sententia. Sed hæc componere è re nostra haud ducimus nunc, qui secùs hanc contrarietatem propalare eo consilio voluimus; ut magis inde cuique patesceret, quòd si *Prosper* in iis etiam lucubrationibus, in quibus expresè pollicetur *Augustini* sensa reddere, liberum sibi fore putat quibusdam uti circuitionibus & emollimentis, quæ de plano saltem propositi sibi ad exemplar Magistri conceptus non exhibeant; multò minùs mirandum esset, si idem ipse alibi hâc lege solutus, imò & alieno sub habitû prodiens in istiusmodi remissiones frequentiùs dilaberetur. Tantò minus, inquam, mirandum id esset, quò tractatus iste conciliandis opinionibus litatum & à partium concertationibus satis alienum hæc procliviùs emollimenta recipere poterat, quàm aliæ *Prosperianæ* scriptiones quotquot, quæ in apertos adversarios viriliter & interdum amarulentè retorquebantur: Quod albo certè calculo notandum est, & ad eas continuò referendum aptandumque contrarietates, quæ *Prosperum* ab *Anonymo*, primâ fronte, discrepantem alicubi produnt. Et certè quantæ illæ esse videri possunt, tantæ tamen, quod satis patuit, non sunt, ut hæ omnes longè faciliori negotio componi & expediri nequeant, quàm ista ipsa, quæ inter *Augustinum* & *Prosperum*, imò & *Prosperum* inter ac *Prosperum* occurrere prænotata fuit.

ubi ab eo, se in nullis recedere profitetur.

Quid inde summum in res nostras accedat?

Ex cap. 35. *lib.* 2. de Vocat.

LXV. Conspectus 31. tabulæ.

1. Et propterea Jesus Christus venit in hunc mundum, ut solvat opera diaboli quæ utique sic solvuntur, ut in destructione eorum, etiam ab iis, quibus succurritur laboretur; quoniam & hoc à salvante donatur. Ideo B. *Apostolus*: *Gratia*, inquit, *salvati estis per fidem & hoc non ex vobis*, &c. itemque: non solùm autem, inquit, sed & gloriamur in tribulationibus scientes, &c.

Ephes. 3. 8. *Rom.* 5. 3.

2. Deus ergò quos elegit sine meritis, dat unde ornentur & meritis. Et frustra dicitur, quòd ratio operandi non sit electis, cùm etiam, ad hoc ut operentur, electi sint.

3. Virtutum quippe munera otiosa esse non possunt; quoniam sicut veritas ait: *omni habenti, dabitur, non habenti autem etiam quod habet auferetur ab eo.*

Mat. 25. 29.

4. Neminem prorsus Dei gratia intentabilem facit. Neque ob hoc cœlestium armorum præsidio à dextris & sinistris instruitur christiana militia, ut nullo cum hoste confligat; cum laudabilius sit, atque *felicius* pugnantem non potuisse vinci, *quàm* desidem non potuisse *tentari*.

Ex aliis Prosperian. *excerptis.*

1. Conversio ergo nostra ad Deum non ex nobis, sed ex Deo est; sicut *Apostolus* dicit: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est*, & non ex operibus ne quis glorietur. Epist. ad *Ruffin.*

2. Hoc ergò tanto & tam ineffabili bono, nemo inventus est dignus, sed quicumque electus est à Deo factus est dignus, sicut dicit Apostolus: *Collabora Evangelio secundum virtutem Dei*, &c. *Ibid.*

3. Gratia igitur Dei quoscumque justificat, non ex bonis meliores, sed ex malis bonos facit, postea per profectum, ex bonis factura meliores, non adempto libero arbitrio, sed liberato. *Ibid.*

4. Quoniam & ipsius S. Petri ardentissima fides defecisset, nisi pro eo Dominus supplicasset..... Sed ne libero arbitrio videretur stare, permittitur periclitari, ut conturbatum ac deficientem ille respiciat. *Idid.*

4. Qui enim nunquam *tentatur*, nunquam probatur, & *melius* est cum tribulatione exerceri *quàm* cum prosperitate puniri. Expos. v. 2. *Psal.* 144.

LXVI. Observationes.

Poteramus ex *Prosperi* opusculis expressiora huic capiti attexere, sed in locum *Pauli* quem citat, fortuitò incidentes in epist. ad *Ruffin.* nullo alio delectû facto, in istius serie reperimus adversi ratiocinii ordinem satis planum & continentem, ut aliò meliora quæritare non duxerimus. Enim vero 1. si in id collineat hoc caput, ut explicet in destructione operum diaboli, velle Deum, ut ab iis, quibus succurritur, laboretur, idque urget ex epist. ad

Eph. 2. 8. *Noster* & hunc locum adhibuit, & alium num. 2. ejusdem *Pauli* ad *Timoth.* c. 33. præced. relatum itidem, quo monet: *collaborare Evangelio secundùm virtutem*, &c. unde satis & otium repelli & labor intelligitur commendari.

2. Quemadmodum prædicatur: *Deum quos elegit sine meritis, dare unde ornentur & meritis*: ita prorsus in hunc sensum: *nemo tanto bono inventus esse dignus, sed quicumque electus est à Deo factus esse* dicitur *dignus*. Quæ sententia istam sibi respondentem etiam involvit: Et *frustra dicitur quod ratio operandi non sit electis, cùm etiam ad hoc ut operentur electi sint*. Siquidem enim, *nemo bono inventus est dignus, sed quicumqne à Deo electus est, factus est dignus*, consequens omnino est, *ut electi sint, ad hoc ut operentur* & fiant digni. Porrò & istius membri lineamentum in eadem ad *Ruffinum* epistola mihi videre videor, in ejusdem ratiocinii, quod excerpsimus, principio; ubi de *Cornelii* vocatione loquens *Aquitanus*, hæc habet: *Apertè ostenditur omnia bona opera quæ in Cornelio præcesserunt, Dei gratia ad emendationem ipsius inchoaße, ut, cui Dominus jam impertierat hoc donum, non dubitaret Apostolus conferre sacramentum, ne novæ & necdum revelatæ vocationis vacillaret exordium, nisi per ipsa judicia præcedentium studiorum Deum in assumendis constaret operatum.* Quod quid aliud est, quàm ista præjudicare, quòd *assumendi*, seu *electi* illi *ad hoc etiam ut operentnr electi sint*; quandoquidem & illud ipsa *judicia præcedentium studiorum* ultro coarguunt. Quæ si non vacillat conjectura & ad eum locum, illa facta est allusio, adhibitaque regula, quæ ad reliquas ejusdem epistolæ sententias, ac lineas tam diligenter admota esse satis ex annotatis hucusque demonstratur; quòd in ea quasi in in instructissimo promptuario conclusa essent, quæcumque ad errorem penitùs ac penitùs confutandum desiderari poterant: si heic, inquam, tam consequens servatus est usus, jam jam ad alia gravissima & 3. *Dissert.* 1. p. tam coagitata momenta, istud nequaquam spernendum accederet, unde hujus loci lectio, integra & illibata servanda esse magis convinceretur. Hæc est enim famosa periodus, quæ aliàs interversa multorum, ut alibi notavimus, animos vexavit, atque suspendit.

Insignis sententia *Prospero* frequens & nativa.

Quibus probatis ac novis indicibus in *Anonymo* restituta, vel restituenda!

3. Si illa virtutum munera otiosa esse non possunt in electis, neque: gratiâ *quæ ex malis bonos facit, ex bonis non potest meliores* non *facere, per profectum* utique, in quem pergit per liberum arbitrium jam liberatum. Quo in dogmate comprehenduntur quæcumque fusiori verborum & figurarum apparatû exhibet adversum schema. Sed & istud ipsum exprimit quod c. 35. urget *Prosper* cont. *Collat.* ubi mirabile est ex occasione *Pauli* sententiæ *Rom.* 5. primo numero adductæ, & heic ad longum retractatæ, totam hanc doctrinam adumbrari, ubi & ista num. 4. meliùs aptanda notavimus: *non ergò deseruerat Iob Dominus quem curabat; cui purificatoria remedia, quibus clariùs nitesceret, admovebat. Ad hanc passionum tolerantiam in qua hic Sanctus emicuit, etiam ille erat præparatus à Domino qui dicebat*: Nam etsi ambulem in medio umbræ, &c. quæ fusè & eleganter hoc cap. ad *Anonymi* mentem extolluntur.

4. Tota denique ratiocinii utriusque series tentationum necessitate bonorumque ex ea pendentium recensione concluditur: unde *melius* est cum tribulatione exerceri, *quàm*, &c. atque: *felicius, laudabilius* est, pugnantem non potuisse vinci, *quàm*, &c. Cujus iterum argumenti insignis est tractatio penes *Prosperum* in exposit. *Psal.* 106. per totum, ubi quatuor tentationum genera numerantur & explanantur, in hunc hujus capitis sensum omninò coëuntia.

LXVII. Conſpectus 30. tabulæ.

Ex cap. 36. lib. 2. de Vocat.

1. Orationum verò ſolicitudinem divinæ electionis propoſito *non reſolvi*, uno teſtimonio evidenter probabo, ut cetera ſtudio brevitatis omittam.....

2. Quamvis ergò quod ſtatuit Deus nulla poſſit ratione non fieri, *ſtudia* tamen non tolluntur orandi, nec per electionis *propoſitum* liberi arbitrii devotio relaxatur.

3. Cùm implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, ut per laborem operum per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa *meritorum*, & qui bona geſſerint non ſolùm ſecundùm propoſitum Dei, ſed etiam ſecundùm *ſua merita coronentur.*

4. Ob hoc enim in remotiſſimo ab humana cognitione ſecreto, præfinitio hujus electionis *abſcondita* eſt.

Ex aliis Proſperian. *excerptis.*

1. Non *autem hoc curam minui* ſtudiumque reſolvi
Virtutum, aut opus ingenii torpere putandum eſt
Quòd bona ſanctorum tua ſint. (De Ing. c. 45.)

2. Hoc autem *propoſitum* Vocationis Dei, quo...... Removeri itaque omnem induſtriam tollique virtutes...... ſi nemo aliud poſſit eſſe, quàm factus ſit. Epiſt. ad *Auguſt.*

3. Moleſtia laborum, ſanctarum eſt cauſa lachrymarũ, ſed tempus flendi, tempus eſt ſeminandi, quia opera caritatis, quæ relevandis hominum miſeriis adhibentur æternorum meſſem pariunt gaudiorum. De fructu enim bonorum operum pii *coronabuntur* agricolæ, & cum manipulis gloriæ, id eſt, *meritis* actionum adventui Domini ſalvatoris exultanter occurrent. Exp. v. ult. *Pſal,* 125.

3. Juſtificatus itaque homo nullo præcedente merito, accipit donum, quo medio adquirat & meritum: ut quod in illo incohatum eſt per gratiam, etiã per induſtriam liberi augeatur arbitrii, &c. Reſp. ad Obj. 6. *Gallor.*

3. . . . . Sic *adquirens quibus ante carebas,*
Ut tua *ſint, ſi collatis utare modeſtè, &c.*
3. . . . . . . *Sed donans quo legeretur,*
Ut de perceptis prodiret cauſa merendi:
Deque datis in danda gradus induſtria creſcens
Scandaret, atque bonum fieret Deus omnibus unum. (De Ing. c 29. & 34.

4. Si enim hoc conſilium vocationis ſuæ Dominus quandiu voluit *abſcondit* ac diſtulit, &c. Epiſt. ad *Ruffin.*

1. Quam

1. Quàm luculentè & istis loquelam suam manifestam facit *Aquitanus*? orationum verò solicitudinem electionis proposito *non resolvi*, &c. Quàm enim illa his etiam metricis ab initio compositis aptè respondent: *non* autem hoc curam minui *studium*que *resolvi* virtutum, &c. Porrò notabile est hunc secundum librum ejus objectionis solutione resolvi, quâ penè confectus est primus. At quàm frequens solicitusque fuit in his eluendis *Prosper* sub *Anonymi* specie pugnans, tam & ad ea intentus fuisse, cum aperto marte, nomineque conflixit, ex notatis heic & alibi satis perhibetur? LXVIII. Observationes.

2. Quod tam sedulò ab *Augustino* edoceri petierat *Prosper*, ut scilicet speciosæ illæ *Massiliensium* objectiones eluerentur: quòd *removeretur industria, tollerentur virtutes si Dei constitutio voluntates præveniat*, idipsum nunc in *Anonymi* fine tractatus reducit, ut ad hanc pariter normam à Magistro præscriptam resolvat.

3. Itaque ostium nunc apertum esse magnum videbatur, ad illas injustas procacesque querimonias obstruendas, quibus propositum illud cum arbitrii libertate nusquam coire posse mussitabatur: sed quia hæc ad nauseam usque recocta, tam potenter & animosè rejecta erant, & heic *studio brevitatis* consulere velle testatur Autor; liberi arbitrii devotionem inde non relaxari tuetur, quia ita *implendæ voluntatis Dei est ordinatus effectus, ut per laborem operum fiant incrementa meritorum, & qui bona gesserint, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam secundùm sua merita coronentur.* Vera & suscipienda quidem assertio, sed quæ forsan paullò liberior aliquibus videri posset, quàm ut ex ore *Prosperi*, citra aliam temperaturam delapsa esset, nisi totidem illius indubiis conceptibus, verbisque eandem reddi curassemus. Et fateor quidem *Prosperum* cum adversariis hâc nimiâ liberi arbitrii confidentiâ lactatis confligentem, quandoque in aliquas elocutiones erupisse, quibus, tam apertè saltem, mentem suam non explicabat, ne fortè infixum profundiùs clavum revellere curans magis truderet. Quod & Magistro illius *Augustino* cum istiusmodi hostibus similiter dimicante interdum accidisse non pauci contendunt. Hanc certè consuetudinem tenaciùs servasse videtur *Noster*, cùm contra *Collatorem* hoc vulnere graviùs sauciatum rem habuit. Nam c. 31. ubi recudere parat, quæ ille c. 12. *Collat.* 13. proposuerat, etsi heic quædam asserta sint Catholico sensui non adversantia, his tamen immorari recusat, ne lateat anguis in herba, *quia* inquit, *addita sunt perplexè atque confusè, ad vigorem liberi arbitrii demonstrandum.* Inde tamen ea ipsa velut *tolerabilia* transire consentit. Et post tot adhibitas cautelas, citra hæsitationem demùm pronuntiat: *Quia & nos liberum arbitrium ideo dicimus bonæ voluntatis affectum, operante gratiâ, concepisse, ut per hæc quæ illi, nullo merito præeunte, donata sunt, ea quæ operaturis sunt promissa mereatur: ab illo semper petens*, &c. Quod & sedulò servasse notavimus, cùm adversùs *Gallos* reponeret, ut utique cooperantis, comitisque per omnia gratiæ, à principio usque in finem necessitas semper inculcaretur. Hæc itaque *Prosper* adversarios in transversum tam actos licet impugnans; at hâc lege solutus cum *Psalmos* explanare sibi proposuit, ut etiam liberiùs, & magis indefinitè locutus esse reperitur, ita & quando concordiæ quasi sequestrum egit in *Anonymo* tractatû, non minùs conveniebat sic planè sua depromere. Quantùm enim hæc sibi mirè invicem congruunt? ibi siquidem LA-

Liberi arbitrii cooperationi laus & remuneratio debitæ, utrinque recognoscuntur, simillimisque loquendi formulis commendantur.

BORUM molestia, OPERAQUE caritatis: heic: LABOR OPERUM & exercitia virtutum extolluntur. Tùm illi cum *manipulis gloriæ*, id est MERITIS ACTIONUM occurrunt: alii *per* INCREMENTA MERITORUM gradiuntur. Hi DE FRUCTU BONORUM OPERUM *coronantur* veluti *pii agricolæ*: isti pariter: SECUNDUM SUA MERITA *coronantur*. Atque JUSTIFICATUS HOMO, nullo præcedente merito, accipit donum, quo medio adquirat ET MERITUM. Tum SIC *adquirens, quibus ante carebas*, UT TUA *sint*, &c. Unde haud dubiè & ex istis locutionibus & formulis Sancti Dei homines in Spiritu S. legitimè congregati Tridentini Patres solennem, & omni acceptione dignum *Session 6.* canonem istum conflarunt: *si quis dixerit* HOMINIS JUSTIFICATI *bona opera, ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona* JUSTIFICATI MERITA, &c. *Anathema sit.* Nam in eo ne vocula quidem est, quæ in ejusce dogmatis explicationibus à *Prospero* datis occupata non reperiatur, sed & contextus iste: ITA esse dona, UT non sint etiam, &c. splendidissimè ad ista videtur alludere: SIC adquirens... UT TUA SINT.

LXIX. Concilii Trident. Canon ex his coalescit.

At in his usquequaque conjunctis, offenderunt ad lapidem pedem suum novi Dogmatistæ, qui nimiâ in canonis istius totiusque de justificatione doctrinæ sacros interpretes impotentiâ acti, per illorum latera *Prosperum* etiam impetiisse convincuntur. In hæc enim similiaque ex genuinis SS. PP. oraculis expressa dogmata *Calvinus* in Conc. Trident. Sess. *6.* ita deblaterat: *Posteaquam singulari Dei beneficio factum est ut communi veteris Ecclesiæ consensu Pelagii repudiaretur impietas, non tam protervè amplius de hominum meritis garrire ausi sunt. Mediam tamen viam excogitarunt, ut in homine justificato, neque totum Deo, neque nihil darent. Hæc moderatio est, quam tenent* VENERANDI PATRES, *ut aliquando se magis verecundos ostendant, quàm fuerit Pelagius.* Ita præfractæ audaciæ perduellis *Pelagianos*, vel *Semipelagianos* infrunitè pronuntiat Sanctos judices: quando irremissi illorum impugnatoris ac triumphatoris verba sensusque ad purum eructant. At qui Patres ipsos in totum abdicare, *Augustino* forsan excepto, sua in Institutione flocci fecerat, quorsum sincerissimis eorum interpretibus pepercisset? Sed etsi lib. 2. *de libero arbitrio* eosdem resumere, ac sibi oppignerare magnâ ostentatione contendat homo versatilis, satis ex his perspici datur, quo perfunctorio examine *Prosperum* fidelissimum *Augustini* exceptorem, seu suo sub nomine, seu sub *Anonymo* scribentem attigit: quando ab ejus castigatissimis sensibus in tantum exorbitat. Porrò nec *Calvini* anteambulo *Lutherus*, qui, in hac capitali quæstione *de servo arbitrio*, quàm & *rerum* suarum *summam* vocat, omnes Patres cum convitiis etiam abjecit, ut uni adhæreret *Augustino*, ejus tamen sensa tam parum consecutus est, ut à *Pelagianâ* lue se remotissimum ostendere gestiens, *Manichæam* imprudens complexus esse pronuntietur à Concilii Senonensis *an.* 1528. Præsulibus, qui de eo hoc judicium sua in præfatione tulere: *in errorem Manichæi incidit Lutherus, dum nimis anxiè & scrupulosè devitat Pelagium: metuens namque liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre, omne bonum opus, quod est in homine, Deo tribuit, & divinæ gratiæ: nihil prorsus libero arbitrio: sicque tollens omnino liberum arbitrium Lutherus, factus est Manichæus, dum refugit esse Pelagianus.* Ita Senonenses PP. Nota tamen *Lutheri* contestatio, quâ in libro suo, *de servo arbitrio*, passim ingeminat: *Augustinus totus meus est.* Quod & in ejus apologia adversùs Sorbo-

nicos sæpè reddit sequax etiam obtorto collo *Melanchton*. Quibus sanè aliisque segregibus, illud ex parte egregiè aptari potest, quod excipit sui initio Commonitorii noster *Vincentius* Lirinensis, ubi ait: *Quod quidem mihi divinitus promulgatum videtur esse judicium, propter eorum maximè fraudulentiam, qui cùm sub alieno nomine hæresin concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta paullò involutiùs edita, quæ pro ipsa sui obscuritate, dogmati suo quasi congruant, ut illud nescio quid quodcumque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur.* Hactenus hanc *fraudulentiam* bellè consecuti sunt isti, non tam quòd *Augustini* scripta aut *involutiùs edita*, aut *obscuritate* laborarent, quàm quòd illa ipsa vaferrimi homines obscuritatibus involverent, quò faciliùs fucum facerent, & violenter gratiæ Doctorem ad suos depravatos sensus distraherent. Quæ cùm nec propositum, nec locus debitè sinant excutere, id in summa, tanquam penes omnes certum & irrefragabile eruendum est, *Prosperum* scilicet, uti ante omnes & fermè contra omnes *Augustino* docenti adhærentem & intentum, ita altè deinceps genuina illius sensa ebibisse ac retinuisse, ut aut soli, aut primo *Augustinum* Magistrum optimum sibi adoptare *suum*que pronuntiare competat: unde etiamsi paullò involuta esse concederentur ejusdem scripta, aut ad Discipuli istius mentem necessariò explicanda essent, aut ab *Augustino* longè esse censendi forent, quotquot ad *Prosperum* non accederent. Adeoque & Novatorum insignes illi duces, dum negant *justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita*, &c. non tam in Tridentini decreta Concilii, quàm in *Augustini* dogmata rebelles ac desultorii haberi debent: vel eo solo, quòd ad eorum amussin & utroque stylo, & sub utraque pugnantis occulti, manifestique specie, docuit *Prosper*: eos *qui bona gesserunt, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam* SECUNDUM SUA MERITA *coronari*: tum & illi: *quamvis auxilio Dei steterint, tamen quia in se habebant unde caderent, ipsorum esse meritum, quòd steterunt: de fructu bonorum operum pios coronari agricolas, & cum manipulis gloriæ, id est* MERITIS ACTIONUM *adventui Domini exultanter occursuros*, &c. quæ copiosè tum in hac tabula, tum ad num. 10. c. 28. adduximus.

4. Ex hoc postremo membro egregia se dat occasio, retractandi quæ de alterius emendatione ac restitutione superiori capitulo exhibitis, notata fuerunt, habent enim illa maximam inter se affinitatem & connexionem. Utque jam clarum esse non ambigitur inemendatam illam sententiæ præfatæ lectionem principiis omnibus antea ab autore constabilitis, tum & consequentibus è diametro repugnare, promptum esset vel ex istis evincere, quæ reducimus: *Ob hoc enim in remotissimo ab humana cognitione secreto præfinitio hujus electionis abscondita est.* Si enim talis *præfinitio electionis* jam facta est: si *implendæ* hujus præfinitionis *voluntatisque Dei effectus ita præordinatur, ut per laborem operum, qui bona gesserunt, coronentur*: ergò, quod idem est, electi illi ad hoc electi sunt, *ut operentur*, non autem operantur ut electi sint. Ob hoc enim & præfinitio illa abscondita & *implendæ Dei voluntatis effectus* non sequitur, sed *præordinatur*. Quæ tam inter se conspirant, coëuntque sententiæ, ut vel priorem sic restitutam stare, vel hanc postremam concidere necesse sit. Quod superest ut hæc *præfinitio electionis abscondita*: ita & *consilium vocationis suæ Dominus abscondit*, &c. quæ persequi non vacat.

Emendatæ superioris sententiæ invicta ex consequentibus ratio.

Ex cap. ultimo lib. 2. de Vocat.

LXX. Conspectus 33. tabulæ.

1. Et de nullo ante ipsius *finem* pronunciari potest, quòd in electorum gloria sit futurus, ut *perseverantem* humilitatem utilis metus servet, & *qui stat videat ne cadat*; & si fortè aliqua victus tentatione corruerit non absorbeatur tristitia, nec de ejus miseratione diffidat, qui *allevat omnes qui corruunt & erigit omnes elisos.*

1. Cor. 10. 12.

Psal. 144. 14.

2. Dum enim in hoc corpore vivitur, nullius est negligenda *correctio*, nullius est *desperanda reparatio.*

3. Oret itaque sancta *Ecclesia*, & *pro iis qui crediderunt* gratias agens proficientem eis perseverantiam petat: pro iis autem qui extra fidem sunt, poscat ut credant.

Ex aliis Prosperian. excerptis.

1. Nam quia tempus hujus sæculi tempus est noctis, & ignorantiæ & tribulationis, nec cuiquam patet in quem *finem* sit quisque venturus, dat locum pœnitentiæ misericordia Dei & diversis modis agit, ut proficiant justi, ut *erigantur lapsi*, ut convertantur aversi. (Exp. v. ult. *Psal.* 110.

1. Plerumque eum, qui sibi fortis videbatur, infirmari sinis, ut præsumptio auferatur & *perseverantiæ* virtus ex tua opitulatione reparetur. (Exp. v. 43. *Psal.* 108.

2. Sed hæc patientia, manente adhuc nocte, præstatur. Ubi autem illuxerit dies, & omnia occulta fuerint revelata. (. Ibid. *Psal.* 110. v. ult.

2. Nemini Deus *correctionis* adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. (Resp. ad 15. object. *Vinc.*

2. Misericordia, bonitas, gratia & patientia Dei per omnia declaratur, & nemo *desperet*, nemo præsumat... nil longanimitati ejus perit... miserationes enim ejus in omnia opera ejus. (Exp. v. 9. *Psal.* 144.

3. Aut quod *Ecclesia* quotidie *pro* inimicis suis *orat*, id est, *pro his qui* nondùm *crediderunt*, nunquid non ex spiritu Dei facit? Quis hoc dixerit, nisi qui putat fidem non esse donum Dei? (. c. *Collat.* c. 25.

3. *Ecclesia pro non credentibus orat ut credant.* (Resp. ad dub. 5. *Genuen.*

4. Nec ideo ab obsecrationibus cesset, si *pro aliquibus exaudita non fuerit*. Deus enim *qui omnes vult in agnitionem veritatis venire*, non potest quemquam sine justitia *refutare*.

4. Et tamen quod pro omnibus, non pro omnibus obtinetur. Nec *est iniquitas apud Deum*, qui sæpe postulata non tribuit, quæ postulare donavit. (Ibid. c. *Collat*.

4. *Non potest* itaque meritò *refutari*. (Resp. ad dub. 5. *Genuen*.

Optatum littus jamjam videntes celeusma canere penè suaderemur, quòd se juxta conspici datur statio, in qua jactis ancoris navis etiam securiùs consistat. Etenim quem initio & in tota serie *Prosperum* quærentes æquè reperimus, in fine non minùs se nobis exhibet, sublato penitùs velo, conspicuum. Quæ cùm sit usquequaque integra excursus nostri meta, eam tandem attigisse nobis utcumque gratulamur, quos utique præteriti laboris & humeris nostris quidem gravioris memoria injucunda esse non potest. Agamus igitur & in ultimo disquisitionum, collationumque nostrarum capite, hæc jam conscripta singillatim retractemus. LXXI. Observationes.

Ac primùm, quod postremò declarandum assumitur in hoc capite: *de nullo ante ipsius finem pronuntiari posse, quod in electorum gloria sit futurus*: idipsum conceptis penè verbis habemus expressum: *nec cuiquam patet*, in quem *finem, sit quisque venturus*. Ubi satis hæc invicem alludunt: *sit futurus*: *sit venturus*: in quem *finem*, ante ipsius *finem*, &c. Tum additur id convenire: *ut perseverantem humilitatem utilis metus servet, & qui stat videat ne cadat*. Sed ex altero: *tempus noctis & ignorantiæ & tribulationis* repræsentatur, quod in idem recidit. At pressiùs superiora vestigia istis teruntur, *plerunque eum, qui sibi fortis videbatur, infirmari finis, ut præsumptio auferatur & perseverantiæ virtus reparetur*. Quorsum enim *qui stat* magis cavere debet, *ne cadat*, quàm dum *sibi fortis videtur*? Ideo & infirmitas præsumptionem aufert & perseverantiæ virtutem reparat, seu: *utilis metus hanc perseverantem humilitatem* servat. Quæ certè magis ac magis sunt consona. Tandem quemadmodum, *si quis aliquâ victus tentatione corruerit, non absorberi tristitiâ, nec de Dei miseratione diffidere suadetur*, qui allevat omnes qui corruunt, &c. ita & ejusdem *misericordia dare locum pœnitentiæ & diversis modis agere* collaudatur: *ut proficiant justi, ut erigantur lapsi, ut convertantur aversi*. Quàm enim aliàs hic *Psal*. 144. versiculus à *Prospero* fuerit assumptus & fusè adhibitus, atque à nobis annotatus non refricamus? Illud tamen non omittere pretium sit nobis ex hujus citationis in hoc capite factæ occasione, ad *Prosperianam* Psalmi expositionem reversis, hæc statim occurrisse, quæ sequenti numero consignavimus, undè & adversa deprompta esse videntur: sunt autem hæc: *Misericordia per omnia declaratur*.. *nemo desperet*, &c. Unde satis evidenter internoscitur ejusdem autoris genius, atque character, quibus utique nonnunquam subactus ac parens ratiocinationes suas omnes iisdem semper formulis, iisdem autoritatibus, iisdem planè conceptibus, transitionibusque, sed mirâ arte dispositis nectit, atque colligat. Nova *Prosperi* lineamenta adducuntur & congeruntur.

2. In his secundæ columnæ verbis: *sed hæc patientia, manente adhuc nocte, præstatur*, &c. reducta est continens series eorum quæ 1. numero ex eadem versiculi expositione decerpta sunt, ut magis ac magis appareat hæc *Prosperi* sensuum consecutio, quibus tam invarianter respondent cunctæ librorum *de Vocat.* lineæ; hæ namque: *dum in hoc corpore vivitur*, &c. satis ad illam *manentem adhuc noctem* alludunt. Licet in consequentibus major eniteat affinitas: *Nullius est* negligenda correctio, *nullius est desperanda* reparatio, &c. atque: *Nemini* Deus correctionis adimit viam, &c. *nemo desperet*: nil longanimitati ejus perit, &c.

Argumentum ex precibus Ecclesiæ peritum repetitur, & utrobique pro coronide assumitur.

3. Animadversione profectò dignum est, quomodo *Prosper* in finem usque se consequatur, se imitetur, atque exscribat. Argumentum enim de orationibus ab Ecclesia fieri solitis, quod ab *Augustini* scriptis & autoritate decerptum toties ad frangendos hostium cuneos feliciter adhibuerat, & decem de gratia Dei Capitulis pro coronide reliquerat, ita & istheic libros suos absolvens gladium illum, cui *alterum similem* non noverat, iterùm stringit. Ait enim: *oret itaque sancta Ecclesia & pro iis qui crediderunt gratias agens proficientem eis perseverantiam petat, pro iis autem, qui extra fidem sunt, poscat ut credant.* Sed antea contra eosdem, quos heic curare pergit, altè clamaverat: *aut quòd Ecclesia quotidie pro inimicis suis orat, id est, pro his qui nondum crediderunt*, ubi hæc: *pro eis qui crediderunt*: Et ista: *pro his qui nondùm crediderunt, ultrò* se reddunt, atque reclamant: Sed & reliqua magis forsan: *poscat ut credant.* Et: *orat ut credant.* Similia habes in *epig.* 89. cujus titulus: *de non desperandis peccatoribus*: argumentum autem præfert: *non est desperandum de malis, sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosiùs supplicandum.* Sed & videnda sunt carmina.

Etiam ultimus *Anonymi* halitus totus *Prosperianus* perhibetur.

4. Ultima tandem advenit linea, in qua veluti conclusus postremus Autoris halitus in se ipsum se effundit, ac regerit: non vult itaque cessare ab obsecrationibus Ecclesiam, *si pro aliquibus exaudita non fuerit.* At idipsum conceptis verbis declarare contestarique operæ pretium putauerat *Noster* in ejusdem à nobis allegati ratiocinii serie, ubi disertè: *Et tamen quod pro omnibus, non pro omnibus obtinetur.* Sed quia hoc satis crudum videri poterat, ut illeic subjungitur: *Deus enim non potest quemquam sine justitia refutare*: ita prorsus ad eandem temperandam cruditatem, istheic habemus appositum: *nec est iniquitas apud Deum*, &c. Quæ cùm nec se magis complecti, nec sibi aptiùs commensurari possint, frustrà in aliis multis, etiam per omnia similibus congerendis chartas & tabulas nostras magis gravaremus, ac premeremus.

LXXII. Conclusio & *Prosperi* jurium perpetuæ instaurationis certum augurium.

Hæc sunt itaque capitum gemini *de Vocatione* libri cum aliis *Prosperianis* tractatibus collationes, quas aut adducere primùm proposueramus, aut quas progrediendo aliis non cumulare licitum non fuit. Quòd si porrò ex unius cap. 12. lib. 1. *de Vocat.* cum 8. capituli *de gratia*, observata per *Quesnellum* similitudine, duo hæc opera ex unius autoris calamo prodiisse rectissimè censuit ipse, præproperèque sibi pæana deinceps con-

cinens hunc *Leoni* suo partum adscribere, atque inscribere primogenitum duxit: quantò nos magis, non ex unius, sed ex singulorum penè utriusque libri capitum, nec cum dubiis & in controversia positis, sed cum genuinis aliis *Prosperi* lucubrationibus, coæquatissimarum serie comparationum, ad hos ausus essemus incitandi, ut hos ipsos tractatus *Prosperianos* pariter inscriberemus? Sed quod nos nobis, etsi multorum præjudicio fultis præstare omninò non sustinuimus, alios, ex his nostris, Publico deinceps nobisque præstituros esse non ambigimus.

Ceterùm ad scholia nostra selectis comparationibus adhibita quòd attinet, si quis omnia ad *Polycleti* normam exacta non esse causetur, nec inficiabimur; Sed hanc indiligentiam ex festinatione & meliorum inquisitione (quod etiam monuimus interdùm) ortam, similitudinum occurrentium & concurrentium felicitate compensandam esse facilè suademur. Utque vino vendibili suspensâ hederâ nihil est opus, sic nec forsan rebus per se cohærentibus, atque conspicuis aliæ fuissent explicationes adjungendæ. Quanquam non diffitear aliquot schematis alia expressiora, similioraque interdùm aptari potuisse: quod in progressu peritiores facti cùm agnovissemus, nonnulla retractavimus, & convenientioribus indiciis restituimus: sed non vacavit per singula regredi, nec si vacasset, libuisset forsan unam aut alteram *Augustini* periodum, quam veluti *Prosperianam*, *Anonymi* locutionibus opposui, quòd ipse *Prosper* easdem sæpiùs terendo referendoque suas fecisse mihi censitus sit. Quæ, ne scrupuloso censori forent offendiculo, præmonere duxi. Quòd si cui istiusmodi similium studioso majus otium suppetat, ut *facile est inventis addere*, pleniorem horum copiam colligere ad manum erit. Quam ad explorationem ut viam adhuc frangamus, spicilegium rursus exhibemus, quasi micas, quas non decebat mensæ panibus integris lautioribusque illis instructæ commiscere: nisi forsan ut quandoque media convivii fercula, escis etiam præcipuis & corpulentioribus suaviora convivis habentur, sic & ista contracta licet, atque divisa magis afficiant. Certè & si hæc seorsim otiosè mandeantur, explendæ fami paria forsan invenientur, Lectoremque ad meliora anhelantem anteriorum ac prolixiorum examine sublevabunt. Ea igitur prout in adversariis nostris occurrentia seposueramus per satyram jam subjicimus.

Quod in scholiis mediocre, comparationum splendore ac felicitate repensatur.

Spicilegium copiosum ac nobile ex lib. 1. *de Vocat,*

Ac primùm quid istis ex c. 6. lib. 1. sic habentibus: nam & Deus hoc amat in nobis *quod ipse fecit*, & hoc odit *quod ipse non fecit*: quid istis, inquam, magis commensuratum excogitari potest, quàm quæ scripsit *Prosper* Resp. ad obj. 3. *Vincentian.* ubi ait: *secundùm consilium bonæ voluntatis suæ*, reparaturus in multis *quod ipse fecit*, puniturus in multis *quod ipse non fecit.* Tùm c. 7. hæc formula: Quod ut evidentius appareat, *altiùs* id non pigeat inquirere, &c. *Prospero* familiaris est, ut cùm exp. v. 1. *Psal.* 131. habet: testis est ordo gestorum, sed *altiori* intellectû sermo accipiendus est, &c. moxque c. 8. ista: qui doctrinis sæcularibus tument *ridendam magis*, quàm adorandam crucem existimant, &c. ad hæc exp. v. 7. *Psal.* 140. videntur alludere: oratio Christi adhuc placebit eis, qui *ridendam* putant confessionem nostram, &c. ubi de iisdem falsis sapientibus unus institutus est sermo. Et c. 29. c. *Collat.* in hunc etiam sensum: Quid illa scientiâ magis ineptum esse censeat, *magisque ridendum*, &c. Jam & hæc ejusdem capitis sententia: *Quid enim mirum si quidam ad vitæ sacramenta non veniunt* de quibus dicitur: *ex nobis exierunt*, &c. Et cum hac ipsa similiter præposita locutione resp. ad 13. *Vincent.* præfertur: *hi autem* de quibus dicitur: *ex nobis exierunt*, &c. ubi hæc: *de quibus dicitur*, quid significantissimæ affinitatis subindicant. Sed & illud quod eodem capite paullò superiùs dictum est: *Et dùm procaciter* INSISTIMUS CLAUSIS, &c. aliud mihi carm. de *Ing.* in memoriam reducit omnino consentiens: *non ergo* INSTAMUS CLAUSIS, &c. ubi quod notatû dignissimum utrobique occulta Dei judicia collaudantur. *Instare* autem *clausis*, vel, *insistere clausis*, tam propria singularisque tum metro, tum solutâ oratione locutio est, ut eundem procliviter Oratorem, vel Poëtam prodat. Nec ita pariter omittenda est ejusdem cap. locutio: Quærat Dominus *imaginem suam* & errantem ovem bonus pastor *inveniat*, &c. quæ utique isti *Psal.* 118. vers. ult. in aliquibus respondet: hæc est *ovis* propter quam *pastor* ejus nonaginta novem dimisit, & eam *quærens* ex parte *inventa*, &c. tùm & hæc ex opere c. *Collat.* c. 21. ubi: postquam autem se, hoc *est imaginem suam* deceptori subdidit, &c. Sed aliis quammultis prætermissis ad ista luculentissima c. 21. deflectimus, quæ sic habent: *ne & in illis illicite curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur* INGRATI, &c. Quibus certè nil in sermonis contextura, expressiori similitudine obsignatum

excogitari

excogitari poteſt, quàm quod c. 15. con. *Collat.* habetur: *neque ſimul & libero arbitrio offenſus & gratiæ Dei eſſet* INGRATUS, &c. ne quid heic attingamus de hac voce, *ingratus*, &, *ingrati*, ſatis in hacce ſignificatione ſingulari; ſed quam jam dudum *Proſper* ſtylo ſuo inſigniter aptaverat in inſcriptione famoſi carminis ſui: DE INGRATIS. Nec omittendum quòd ibidem de *Paulo* loquens eum ſic nominet: quod PRÆCIPUUS *magiſter gentium*, &c. ut ſimiliter prorſus in epiſt. ad *Ruffinum*, PRÆCIPUUM *in Eccleſia virum* dixerat. Sed hæc fortè 23. cap. orationis contextura *ſic* habens: *Quæ quidem gratia nec illis qui renati non ſunt*, in *parentibus deſuit*, SED *iis qui renati ſunt*, PRÆ *parentibus affuit*, &c. hic, inquam, ſermonis contextus, ſeu particularum uſus penes aliquos iſti ſimilis videri poterit: *verùm hoc non cum ceteris bonis, quæ non ſunt niſi per ipſum*, SED PRÆ *omnibus ſingulariter intelligendum eſt*, &c. Expoſ. v. 2. *Pſalm.* 134.


Jam ſi placet quædam ex ſecundo libro delibare, occurrit mihi primò hæc c. 4. periodus: ut eos AD cognoſcendum ſe *atque* metuendum nullis *ſignificationibus* ADMONERET, &c. Quæ quidem huic epiſt. ad *Auguſt.* ultro commenſuratur: omnem hominem AD credendum ATQUE operandum divinis inſtitutionibus ADMONERI. Et expoſ. *Pſal.* v. 27. 104. dixerat: quæ ſine verbo facta ſunt, non erant aliquibus *ſignificationibus* vacua, &c. Inſignes autem duæ quæ ex c. 8. eruuntur loquendi formulæ; prior hæc eſt: alii ducentur ad dextram, laudatis dextris de operibus caritatis, &c. atque: nihil aliud SINISTRIS objicitur, &c. quæ ad ejus v. 5. *Pſal.* 111. imitationem exſcripta videntur: Qui ad dextram ſegregatus audiet venite, &c. non timebit audire quod dicetur SINISTRIS, &c. ubi *ſiniſtri* pro iis qui extremo judicio ſeparandi ſunt, unicâ ac ſingulari voce deſignantur: imò & utrobique de officiis benignitatis & caritatis impletis, vel neglectis argumentum tractatur. Sed & hæc ſecunda locutionis proprietas non minùs ſplendida videbitur: *in qua ſervorum duorum* VIGILANTISSIMA laudatur INDUSTRIA, &c. nam & hanc jam occupaverat idem *Noſter* ad *Auguſtinum* ſcribens, quem ſic initio commendat: *excubante* VIGILANTISSIMA INDUSTRIA TUA. Quæ profectò tam ſelecta exquiſitaque epitheta unius genio propria videri nemo negaverit. Sed nec ab iſtis diſcedit hic c. 10. loquendi modus: *ut miſerationes ejus quæreret* IN AD-

Splendidarum ſpecierum ſeries ex lib. 2. *de Vocat.*

VERSIS, *cujus justitiam non timuerat* IN SECUNDIS, &c. qui quidem ad istos vers. 17. *Psal.* 138. tam egregriè refertur: *nec currumpantur* SECUNDIS, *nec frangantur* ADVERSIS. Itemque: Et *quia* ADVERSA *istius vitæ*, & SECUNDA *non carent tentatione*, &c. ubi tam apposité, quàm constanter *adversa secundis* opponuntur. Porrò & præ multis conspicua est hæc c. 16. satis jactata periodus: *Quamvis gratia christiana non contenta sit eosdem limites habere, quos Roma, multosque jam populos sceptro Christi illa subdiderit, quos* ARMIS *suis ista non domuit, quæ tamen*, &c. Quæ rursus ad istius nativam repræsentationem c. 2. de *Ingr.* cantatæ, videtur expressa: *sedes Roma Petri quæ pastoralis honoris facta caput mundo, quidquid non possidet armis, religione tenet*, &c. In istam autem animadvertere tanquam verbis & sensibus simillimam non prætermisit jam à nobis laudatus R. P. *Natalis Alexander*, dum hoc nostrum argumentum tom. suo decimo perstringens, *Quesnellum* hos libros *sub nomine* S. Leonis *paullò confidentiùs* evulgasse non dissimulat. Suam etiam hæc c. 30. similitudinem exhibent: *primis illis &* SALUBERRIMIS *definitionibus sumus innixi*, &c. similitudinem, inquam, cum sequentibus epist. ad *Ruffinum* exhibent, ubi: *Apostolicæ doctrinæ* SALUBERRIMIS *disputationibus imbuuntur*, &c. sed & hoc c. 26. membrum: *Quòd autem gratia à multis suscipitur, & gratiæ est* DIVINÆ *&* VOLUNTATIS *humanæ*: tum & istud c. 13. *obduratorum aversionem non divinæ fuiße constitutionis, sed propriæ voluntatis*, &c. hoc inquam, geminum membrum nonne genuinè isti, suas per partes, commensuratur: *ut intelligamus hoc esse & divini muneris & propriæ voluntatis*, &c. in exp. *Psal.* 118. v. 112. ubi pariter de cooperatione divinæ gratiæ præstandæ sermo est. Emphasim autem habent hæ duplicatæ conjunctionis particulæ: ET *divini muneris*, ET *propriæ* VOLUNTATIS, &c. atque: ET *gratiæ est divinæ*, ET VOLUNTATIS *humanæ* In quibus rursus contra Hæreticos, quos arbitrium extinctum, & velut *quoddam inanime* in opere justificationis se habens defendentes, ex utrisque *Aquitani* scriptis jam revicimus, nova triumphorum messis exhibetur.

Sed heic cohibendus nobis est stylus, nam si alia ineunda foret excursio, in alias similitudinum venas incideremus, quas intra limites conscribere nec tam promptum esset, nec tam suave. Quin & istiusmodi perplura jamjam memoriæ obvia tantillum examinare & ad alia conferre non sustine-

mus, æquè ſemper veriti, ut in alias affinitatum micantiſſimas ſpecies ſenſim dilabendo, ab optatiſſimo, ad quem tandem pervenimus, reverſionis termino longiùs abduceremur. Etſi enim hæc fortè extra operæ pretium non forent, ultra diſquiſitionis noſtræ modum nihiloſecius excreſcerent.



MANTISSA
AD PROBATIONUM HACTENUS CONGESTARUM PONDUS, ſeu DISSERTATIONIS III.
PARS III.



ETSI mantiſſæ nomine intelligatur pauxillum quod adjici ſolet ad pondus jam factum, iſtud tamen, quod nunc ſuperponimus, tale ac tantum eſt, ut ſi præteritorum reſpectû parvum cenſeri poſſit, ſeorſim tamen ſumptum pro multo magnoque haberi debeat: ex quo utique ſolo peremptoriè evinci datur, quidquid prolixis diſquiſitionibus hactenus adſtruximus. Omnis autem probationis vis ex unico *Photii* loco, cod. 54. Biblioth. poſtremùm, inter editionis iſtius moras, obſervato ducitur, quod ſic omnino habet: I. Inſignis *Photii* locus poſtremùm obſervatus.

χρόνου δὲ παριόντος· καὶ τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, διὰ τὸ ἀναθεματίσαι τὴν οἰκείαν αἵρεσιν, τῇ ἐκκλησίᾳ παραδεχθέντων: πάλιν ἐξ αὐτῶν ἀρχὴν ἐλάμβανε τὸ κακόν. ἀλλὰ * Σέπτιμος ἐπίσκοπος, ἀρχομένης τῆς λύμης, ἐπέσχε τὴν φορὰν, γράψας * Σίσιμος. πρὸς Λέοντα, τῆς ῥώμης τηνικαῦτα προεδρεύοντα, ὃς διαπύρῳ ζήλῳ κατὰ τῆς δυσσεβείας ἠγωνίσατο. μετ' οὐ πολὺ δὲ πάλιν, ὥσπερ ἀναφύεσαι τῆς πικρᾶς ῥίζης ἀναρχωτούσης, ἐν τῇ ῥώμῃ τινὲς ὑπὲρ τῆς αἱρέσεως ἐπαῤῥησιάζοντο: ἀλλὰ Προσπερός τις, ἄνθρωπος ὡς ἀληθῶς τοῦ Θεοῦ, λιβέλλοις κατ' αὐτῶν ἐπιδεδωκὼς, ἀφανεῖς αὐτοὺς ἀπειργάσατο, ἔτι Λέοντος τοῦ προειρημένου τὸν ῥωμαϊκὸν θρόνον ἰθύνοντος.
ſeu: *cùm temporis deinde progreſſu ſectæ hujus homines per hæreſis ſuæ abjurationem Eccleſiæ reſtitùti eſſent, iterum malum ab ipſis principium ſumpſit, ut* Septimo *Epiſcopo renaſcens eadem lues, ante-*

quam longiùs serperet fuerit reprimenda datis, ad Leonem *Romæ tunc sedem Apostolicam tenentem literis: qui* Leo *feruenti Zelo contra impietatem illam depugnavit. Post non diu rursum veluti existere atque enasci è mala radice impudenter cum cœpisset, Romæ etiam* QUIDAM *liberè pro hæresi locuti sunt, quos Vir sanè Divinus* PROSPER LIBELLIS *adversùs eos in vulgus editis facilè dissipavit, extinxitque:* Leone *etiamnum, quem diximus, Romanam sedem gubernante.*

Ex his autem multa ac gravia expiscari datur: ac in primis magni facienda *Photii* autoritas, qui rem omnem narrat ex Actorum fide ab Occidentis Episcopis adversùs Nestoriana dogmata datorum: quæ quidem Acta tam sedulò versavit iste ac fideliter expressit, ut quà maximè ex ejusdem excerptis, quà ex aliis quibusdam integra *Pelagianorum* historia ritè ordinari, mirèque illustrari valeat. In istis vero paucis quæ ad res nostras selegimus, hæc præcipua docemur quæ negotium omne conficiunt: videlicet. 1. Scriptionis horum librorum occasionem. 2. Eorum argumentum. 3. Delineationem ac distributionem. 4. Denique tempus, quo conscripti illi vulgatique sunt libelli. Quæ omnia ita singillatim demostrari possunt. 1. Etenim scriptionis ejus occasio evidenter aperitur accidisse, ex eo quòd *Romæ etiam quidam pro hæresi liberè locuti sunt, quos,* &c. 2. Argumentum operæ perspicuum est, quod utique quantum est, versatur in eorum confutatione dogmatum, quæ illi instaurasse produntur, qui *Romæ etiam pro hæresi liberè locuti sunt*: hos enim ubique vel nervosè perstringit, vel fortiter urget, vel amicè etiam quandoque convenit *Prosper*; adeo ut sic prudenter attemperatâ tractatione eos facilè dissipare potuerit. Quem causæ exitum fuisse notat *Photius*, & rectè quidem; quos enim longè magis etiam in transversum actos non in ordinem coëgisset tam mirabilis rationum atque autoritatum concentus, in his libris tam sapienter ordinatus, ac commensuratus? 3. Et ipsa eorum delineatio seu distributio à *Photio* adumbrata nostros istos pressiùs designat, namque non unicum tractatum, non extemporaneam scriptionem, sed *libellos in vulgus editos* disertè memorat, qui adeòque Anonymos *de Vocatione* inscriptos naturalius secernit & indigitat. 4. Quod ad eorum conscriptionis & emissionis tempus spectat, sufficienter & illud ex *Photii* verbis datur intelligi, namque rem factam refert, postquam *temporis progressu sectæ hujus homines per hæresis suæ abjurationem Ecclesiæ restituti sunt*, eosque ad vomitum reversos, *Septi-*

Librorum *de Vocat.* scribendorum occasionem.

argumentum: delineationem: scriptionis tempus:

ac ipsum autorem invictè prodit.

mius Altinensis non rarò per se repressos apud *Leonem* tandem accusauit.

At hæc non ante annum circiter 447. accidisse rectè conjici putat *Norisius* ex ipsa ad *Septimium* epistola: verùm & hanc ipsam νοθείας postulat tandem *Quesnellus* in notis ad epist. 7. adeoque & hos eventus ad annum 444. contra eundem *Norisium* retrahit, quod mox elevabo. Sed ne inter ista intricetur tantisper ex aliis facilè resolvenda quæstio, neve diutiùs lis in ambiguo remaneat: in horum tumultuum eorumque tandem repressionem, per libellos *Prosperi*, de quibus nunc res est, penetrari datur, ex posterioribus Græci nostri scriptoris verbis, quibus habet: *hos liberè pro hæresi locutos vir Dei* Prosper *libellis adversùs eos editis facilè extinxit*: Leone *etiam num quem diximus, Romanam sedem gubernante*: namque istis ipsis ultrò annuitur (quovis tempore Romæ fuerint inauditi in hæreseos gratiam susurri) libellis tamen à *Prospero* vulgatis, os vana loquentium tunc duntaxat obstructum, quando *Leonis* Pontificatus in suum vergebat exitum. Hunc enim naturaliter sensum contextus iste gignere videtur, nisi *Quesnellus* tam ab hac sententia dissitus aliam nos interpretationem edoceret: at & nobis in omnem partem mirè suffragatur, hunc si quidem locum ipsemet adducens *Dissert.* 1. de gestis *Leonis* ad an. 444. sequentem huic perbrevem commentarium aptat: *Photius, Prosperum* ma- « gis depugnasse Romæ, quàm in Campania autor est, ejus « verba sunt: *post non diu rursum*, &c. usque ad: Leone *etiam-* « *num Romanam sedem gubernante*: *ergo*, *Romæ*, inquit, *id actum* « SATIS INTELLIGITUR, ET FERE SUB FINEM « PONTIFICATUS S. LEONIS. Unde magis mirari nemo « non poterit, quorsum id *satis intelligi* putans *vir doctus* libellos istos ab *Aquitano* in vulgus editos ita indagare neglexerit, ut de his ne verbum quidem prudens, an imprudens emiserit. Quam enim saltem *Baronio* culpam ibidem impingit, *epistolas ad Aquileïensem & Altinensem Episcopos contra Celestianos scriptas in Annalibus tacuisse*, ipse in se videtur admittere, cùm *Leonis* adversùs eosdem hæreticos pugnas ac victorias à *Prospero* egregiè partas narrat ex *Photio*; libellos autem per quos triumphavit, nec dignatur memorare vel inquirere, quandò præcipuè in hoc argumentum stylum convertit.

II. *Prosperianorum* lineamentorum characteres

At non sic nobis præcidenda *Photii* insignis testificatio: nec sic dissimulanda *Prosperianorum* librorum, quos laudat, naturæ, fortunarumque exploratio. Et illa quidem ad manum erit, si

Chronologici retractati.

resumantur omnia quæ concurrunt, unde *lippis ac tonsoribus*, ut aïunt, *notum* fiet partum illum alium esse non posse, quàm duos *de Vocatione omnium Gentium* libros. Etenim quandoquidem hæc *ferè sub finem Pontificatus S. Leonis* confecta esse opera *satis* jam *intelligitur*, vel ipso fatente *Quesnello*, nulla alia præter istam, à *Prospero* contra *Pelagianos* emissa perhibetur, quæ hoc tempore longè non sit anterior: quod ex ejus librorum jam data recensione, & nunc breviter retractanda evidentissimè patet. Siquidem epistola illius ad *Ruffinum* & poëma *de Ingratis*, *Augustino* adhuc superstite, prodiere: Quo in posteriori opere, juxta suos characteres chronologicos, ritè secernendo caligavit perspicacissimus licet *Jac. Usserius* Antiq. Britan. c. 12. ubi *Photianum* locum expendens postremam Περὶ ἀχαρίστων lucubrationem heic designatam intelligit. Sed præterquàm quòd, hoc unico opusculo illo poëtico, libellos à *Photio* celebratos nusquam comprehendi posse validè reponeretur: res jam in propatulo est, ex quo probavimus Dissert. 1. n. 13. hoc carmen *Augustino* florente publicatum. Porrò responsionem contra *Collatorem* circa annum 433. emissam, hancque ultimam ipsius nomine, publico donatam, ex suamet testificatione convicimus. Nam expositio in *Psalmos* ad alia pertinet. Responsa autem ad objectiones *Gallorum* & *Vincentianas* etsi tam constaret posteriùs data, quàm certum fecimus longè præivisse, imò & ante *Leonis* Pontificatum emanasse, haud ita parum ista libellis à *Photio* censitis aptari possent. Nam 1. responsa ad *Gallos*, alios etiam primâ facie indigitant, quàm eos, *qui Romæ liberè pro hæresi locuti sunt.* 2. Et hi ceterà *Augustini* doctrinæ, ut queritur in proëmio *Aquitanus*, solummodò detrahebant, cujus *in libris* utique *damnabilia se reperisse jactabant*: quod post solennem *Celestini* commendationem, vix ac ne vix quidem Romæ ausum. 3. In iis postremùm, quos *pro hæresi liberè locutos* advertit *Photius*, vel hâc ipsâ suâ locutione, quoddam modestiæ pudorisque specimen agnoscere videtur; at è contra infrunitam audaciam præferebant, qui *Gallorum* nomine adversus *Augustinum* linguas suas exacuerant: & in ejusdem scriptis *damnabilia reperisse jactabant*, &c. 4. Demum claro clarius est non alios in his responsis confutatos esse, quàm *Gallos* istos, quos indicat *Hilarius* in epistola ad *Augustinum*, tum *Massiliæ*, *tum aliis locis* IN GALLIA *adversantia veritati* spargere, *turbari & turbare*, illasque ipsas quæstiones in medium adducere, quæ *Prosperianis* responsis tam solerter excutiuntur. Hi enim animosiores posthâc facti,

Usserii lapsus

Pro Responsis ad *Vincentianos*, vel *Gallos* *Photii* testimonium oppignerari nusquàm potest:

has in objectionum indiculum recuderunt jactandas & circumferendas, quandò *Prosper* ad illos reposuit. Sed si libelli nostri responsis ad *Gallorum* objectiones nusquàm convenire possunt, longè minùs ad alia *Vincentianis* objectionibus data trahi poterunt. 1. Siquidem responsiones ad *Vincentianos*, Nostros Provinciales explicatè denuntiant, uti jam probatum est. 2. Ut priores *Augustinum*, ita hæ *Prosperum* traducebant objectiones, ut contra eos nunquàm retorqueri valuissent defensiones, qui Romæ *liberè pro hæresi locuti erant*. 3. Quinam autem tam impotentes, ac fronte perstricti, ut virum præcipuum *Aquitanum*, *Leoni* Pont. Max. à consiliis & epistolis Romæ calumniis appetere, *blasphemiarum*, & *prodigiosorum mendaciorum* postulare vel animo concepissent? 4. Tractatum illum extemporaneè promulgatum, nec tam causæ, quàm personæ patrocinio litatum satis supra demonstravimus: nam & ejus tituli lectio in quibusdam MSS. codd. imò & in editis præfert: *responsa ad articulos sibi falsò impositos*, &c. adeo ut quaqua versum res spectetur, aliò omnino quærendi veniant libelli in vulgus à *Prospero* adversus eos editi, qui *Romæ liberè pro hæresi locuti sunt*. 5. Quid autem si responsiones istæ aliis ad *Gallos* retortis prælusere? quod & probabilius ostendimus Dissert. 1. p. 2. num. 4.

Sed quid heic magis hæreremus, quandò nostræ tandem ex improviso se objicit menti expressior *S. Fulgentii* hac de re testificatio, quàm ut hæc deinceps vel in levem dubitationis suspicionem adduci possit? nam lib. 1. c. 30. ad *Monimum* habet: *non ignoras etiam præterito tempore illi luculentissimo* S. Augustini *operi quod scripsit* de Prædestin. SS. *à quibusdam* GALLIS OBJECTUM, *quod* B. Augustinus *in assertione prædestinationis divinæ peccatores non solùm prædestinari diceret ad judicium, sed etiam ad peccatum: cujus* Augustini *dicta, quia ipse celeri præventus est obitû*, PROSPER *vir eruditus ac Sanctus rectâ defendit fide & copioso sermone.* Quibus ecce tibi objectionum indiculi à *Gallis* contra *S. Augustinum* prolati, nec non iteratæ ad eosdem *Prosperianæ* responsionis absolutam delineationem. Quæ & saltem non *sub finem*, sed longè ante *Leonis* Pontificatus initium operis utriusque epochen trabali clavo defigit.

III. Probationes ex *Fulgentio* ac *Prospero* petitæ.

Operis utriusque, inquam, namque quominùs dubitem *Vincentianas* objectiones aliis præivisse, facit ipsiusmet *Prosperi* ad *Ruffinum* superstite adhuc *S. Augustino* scribentis testimonium: quo blasphemias & calumnias istiusmodi in se etiam tum vibratas apertè significat. Siquidem ab ipso epistolæ initio se jamjam ab adversariis lacessitum, ac per *Augustini* latera impoten-

tium telis succussum satis prodit, cujus hæc sunt verba: *curavi omnia plenissimâ tibi veritate pandere, ut quia non potuisti in totum quæ ab adversantibus disseminantur audire, per me ipsum queas, quidquid de* NOBIS *ad* INANEM INVIDIAM FERTUR REFERTURQUE *cognoscere.* Inde sub finem post recensita adversariorum de *duabus massis* afficta sibi commenta, ait: *unde quia perspicit sanctitas tua, frustra* QUOSDAM DE NOBIS CONQUERI, *& omnes illas* INEPTAS CRIMINATIONES, *ad exasperandos, avertendosque animos eorum, quibus aliud volunt persuadere*, CONTEXI. At si cum istis conferas, quæ in proëmio contra *Vincentianos, Prosper* ulciscitur, has ipsas de duabus massis aliisque similibus ineptas criminationes in medio positas animadvertes. Hinc enim QUOSDAM de se *conqueri*: inde similiter, QUOSDAM *existimationem suam lædere*: tùm quæ heic illi dicuntur *ineptæ criminationes*, alibi memorantur: *ineptissimæ blasphemiæ*, imò & ad maximam omnium cognationem, quod DISSEMINABATUR *ab adversantibus*, seu *quidquid*, ut ait, *de* NOBIS FERTUR REFERTURQUE, non aliud est ab his, quæ ostendenda & ingerenda multis PUBLICE PRIVATIMQUE, ab iisdem adversariis *Vincentianis* causatur: utque hæc porrò ad *exasperandos avertendosque* animos *& ad inanem* INVIDIAM CONTEXI asseruntur in epistola, ita in proëmio: *ad excitandam* INVIDIAM itidem CONTEXI prædicantur: ubi magnam consensionis vim exprimit hoc verbum, *contexi.* Atque ut magis pateat heic eundem moveri lapidem, nec longè ab hac scripta epistola, suam protelasse defensionem *Aquitanum*, ejus verba retractanda sunt, quibus criminationes ineptas, ad EXASPERANDOS, AVERTENDOSQUE ANIMOS excogitatas contestatur, nam ad objectiones reponens eas paratas profitetur: *ad calumniantium* ANIMOS MITIGANDOS *sive ad eos quorum auribus tale aliquid insonuit* INSTRUENDOS. At exasperatis animis nil ultrò opus erat, quàm ut *mitigarentur*, nec aversis quàm ut pariter *instruerentur:* Quod æquè convincit *Prosperum* eorundem suis in responsis ictus illicò retudisse, quorum *ineptas criminationes*, Magistro *Augustino* vivente, sustinuerat. Adeoque & ex hoc etiam momento nequaquam spernendo constabit responsionem contra *Vincentianos*, eâ, quæ adversùs *Gallos* data est, anteriorem, nullâ ex parte pro libellis *Prosperianis* à *Photio* memoratis, vel in suspicionem trahi posse. Sed his etiam abdicatis, quæ invicta sunt, cùm *Leo* nonnisi anno 440. Romanam

Responsa contra *Vincent* responsis adversùs *Gallos* priora, novis momentis evincuntur.

nam Cathedram obtinuerit, & jam circà annum 443. *Prosper* adversus gratiæ Dei hostes proprio nomine confligere desiisset: etiamsi alia duo ejusdem argumenti opuscula posthàc carptim edita fuissent, & pro fine *Leonis* Pontificatus, quo *Photio* conditi habentur *libelli* nostri, sex postremi ejusdem regiminis anni, hoc est ab anno circiter 454. ad annum 460. indulgenter *Quesnello* remitterentur, nusquàm tamen responsa ad *Vincentianos* & *Gallos* data ad hos contorqueri tractatus valerent, qui potiùs adversùs Romanos novâ methodo & arte digesti tam præclaro testimonio nobis manifestantur.

IV. Libelli à *Photio* censiti libb. *de Vocat.* esse in totum determinantur.

Quinam ergo illi erunt *libelli in vulgus editi* scientissimo Historico, & ex fide *exemplarium Occidentis Episcoporum*, quæ perlegerat, rem docente tam cogniti ac probati? Sanè nulli alii prodeunt hoc charactere candidiùs signandi, præter istos nostros *de Vocatione omnium Gentium* libros, qui argumentum à *Photio* descriptum omnino explent, eosque ipsos, quos Romæ ait hæresi denuo compressæ, atque revictæ quoddam patrocinii specimen dedisse, primùm convenire, digitoque monstrare videntur. Unde & isto sic excusso vindicatoque probatissimi scriptoris testimonio, quasi novo ac peremptorio judicio geminus *de Vocatione gentium* liber *divino Prospero* rursùs asserendus accedit ac adscribendus. Et hujus quidem majoris omni exceptione testimonii sensus integer, si nobis tam complanatus ac perspectus fuisset, quando *Dissert.* 3. p. 1. istius edendi *de Vocatione* tractatus causas & occasionem venabamur, non tandiu inter ista hæsissemus, quorum etsi quædam propiùs attigerimus, ubi præcipuè libros nostros à *Prospero* postremùm elucubratos pertinaciter defendimus, in aliis tamen, vel dubiis manibus viam prætentasse, vel etiam cæspitasse haudquaquam inviti fatemur; quibus hæc ipsa, citrà operosum forsan studium utcumque resarciendi facultas adhuc supererat. Sed nostra tanti non facimus, nec ad sensus nostros tuendos, nos uspiam ita comparatos esse notum omnibus esse volumus, ut eos, objectû meliorum, abdicare pro lucro & gloria non computemus.

V. Cur ergò libri illi sub innominati persona laudati?

At heic certè non video quid probabile contra istam ita solidatam autoritatem adduci, vel excogitari queat. An enim rursùs opponet vir doctissimus, cur ergò *Gelasius* operæ istius lib. I. nempè c. 8. locum recensens in tractatu contra *Pelagianos*, autorem *cujusdam Ecclesiæ Magistri* nuncupatione, innominato

Prospero, collaudarit? responsio namque magis erit obvia. 1. Siquidem exploratos undequaque scriptores non proprio nomine, sed aliâ paraphrasi designamus, quod millenis exemplis demonstrari posset. 2. Quidni & horum ferebat usus temporum, ut ipsi quandoque tractatuum suorum scriptores, illos deinceps sub vaga *cujusdam* nuncupatione celebrarent. Inter quos certè duos in solo nostro magni nominis & autoritatis viros offendo, *Salvianum* scilicet Massiliensem Presbyterum & *Faustum* nostrum Lirinensem, *Prospero* æquales ac notos: horum enim prior locum citat 5. suæ ad *Caturam* epistolæ in lib. *de gubernatione Dei*, ubi scribit: *non imprudenter* QVIDAM *hoc loco dixit* & in lib. 4. rursus utitur loco quem adhibuit lib. 2. ad Ecclesiam Catholicam, his omnino verbis, *sicut ait* QVIDAM *in scriptis suis*, &c. Quæ aliorum in tantum animos torsere, ut isti libros ad Eclesiam Catholicam seu *adversus avaritiam*, *Salviano* abjudicandi causam arripuerint. Sic porrò ex altero *Faustus* in epistola 16. locùm assumit ex altera ad *Græcum* Diaconum variis ac capitalibus erroribus contaminatum (quem adeoque posthàc Episcopum Massiliensem extitisse, cum *Sirmondo* & aliis post illum, non existimo; vel ex eo quòd *Gennadius* in *Fausto* istum velut *quendam* ignotum censeat, cum alter jam à *Sidonio* Episcopus celebratus esset:) assumit autem locum illum *Faustus* sub hac formula: *cùm in epistola* QVADAM *scriptum sit*. Quid ergó si *Noster* occultiore etiam consilio sua digerens, integra quæ depromit, ac per totum operæ decursum exquisitè adornat, ex præcedentibus libris suis loca, cum hac indeterminata *cujusdam* laudatione prodidisset, longè citius determinassent alii *Anonymum* istum à *Prospero* longissimè abesse? Et tamen heic etiam judicium oppidò cohibendum erat, quod utique hâc ratione fultum, quàm elumbe, fallaxque fuisset ultro perspicitur. 3. Quòd si porrò aliquam facti similis rationem subesse debere contendatur, & id ultrò dabimus, ne contendamus; at cur istheic *Gelasiùs* id sciens ac volens affectasset, non una, sed plures eidem ad hoc rationes recurrere poterant: illæ ipsæ videlicet, ob quas *Prosper* nomen suum occultare causæ suæ conveniens duxit & peropportunum. Et sanè intra illos triginta, vel ad summum quadraginta annos, quibus post *Aquitanum*, eosdem *Pelagianos*, vel eorum reliquias conterere destinavit *Gelasius* Pont. Max. ipsa durasse, atque ursisse


Ad ep. 8. l. 6. Ap. Sidon.

Facti exempla illustria, validæque rationes.

rerum momenta facilè potuere, quorum pondere coactus fuerit Romanus antistes conductum Sedis Apostolicæ strenuissimum pugilem velo adhuc obvolutum educere, quo iste ipse veluti galeâ contectus jamjam faciliùs pugnare & feliciùs vincere prudens sibi persuaserat. Nam & tunc porrò eadem agebatur Ecclesiæ causa: eadem præsertim *Petri* successorum reverenda vindicabatur autoritas: iidem imminebant adversarii majori forsan adversus eorum debellatorem præcipuum *divinum Prosperum* impotentiâ laborantes: idem denique præ oculis scopus erat. Ergo idem ineundum consilium: eadem adhibenda cautio solertissimo Pontifici rerum omnium conscio & in eadem olim, quâ *Prosper*, schola enutrito. Esto ceterùm ut alius extraneus quisque & arcanorum expers, quem citò novisset librorum autorem præproperè declarasset, at alia via ineunda *Gelasio* res domesticas, ut notavimus, callenti, atque tractanti. Sic itaque quaquaversum ista torqueantur ac involvantur, semper æquè stabit & exurget *Photiani* loci intemerata inconcussaque veritas: adeoque & hæc *Gelasii* cautela, seu reticentia tantùm abest ut *Aquitani* juribus quidpiam detrahat, quòd illis è contra novum robur adjiciat, cùm alioquin forsan proclivius fuisset, ut illum *quendam Ecclesiæ Magistrum* proprio nomine noscendum dedisset ipse *Gelasius*, nisi id allegatæ rationes prohibuissent: etsi res aliter ex libito vertere poterat.

At ut deinceps non perstiterunt silentii istius rationes & extinctis *Pelagianis* reliquiis arcanum illud celare nil persuadebat, ita rem ab aliis in incerto derelictam non fuisse non mirum fuit. Unde *Photius* qui post ducentos ab *Semipelagianorum* compressione annos, diligenter historica multa recensens ex Occidentis Actorum exemplari in Regiis tabulariis asservato, obortas in urbe Roma pro *Pelagiana* hæresi concertationes nos primus edocuit, & quorum ope librorum, illæ dissipatæ sunt, hâc necessitate solutus rem opportunè patefecit. Sed & hâc ejus tempestate libri illi sub *Prosperi* nomenclatura dudum circumferebantur: *Hincmarus* namque Rhemensis, vir admodum perspicax tractatus istos tanquam indubiè *Prosperianos* locis innumeris citat, ac commendat, quod arguit hanc fidem longè antea invaluisse, quasi ritè ab Antiquis susceptam. Quod causæ potissimum fuit, cur in conquirendis antiquis Mss. Codd. *Prosperi* nomen præfe-

rentibus primam solicitudinem non impenderim, cùm & ipsemet qui operam *Leoni* adscribit *Quesnellus*, non modò nullos uspiam sub istius nomenclatura reperiri codices testatur, sed omnes ab octingentis circiter annis *Prosperi* nomine insignitos ingenuè fatetur: tum quia aliunde eos quibus usus est *Hincmarus*, eâ etiam ætate antiquiores extitisse necesse fuit.





DE II. S. LEONIS EPISTOLARUM CONTRA PELAGIANOS, FIDE, VEL SUBJECTIONE.

DISSERTATIO IV.



Uandoquidem de epistola ad *Septimium* mota est quæstio, novus, sed, si Deus annuat, postremus nobis ad ejus vindicias, contra *virum doctum*, ineundus erit excursus; nam quia similis exempli extat altera ad *Janvarium*, quam novo ordine suo 14. locat *Quesnellus*, quæ erat 3. has non à pari datas, ut argutè quidem censuit eruditus *Norisius* Hist. Pelag. c. 12. sed istam ad *Janvarium* authenticam declaravit, eam autem quæ ad *Septimium* Altini Episcopum, non leviter, sed post maturum examen νοθείας postulare *non veretur*. At ego rursùs ex adverso stare cogor, & ejusdem epistolæ αὐθεντίαν, rebus maturè discussis, liberè vindico, aliam autem *Quesnello* germanam, nec à pari cum *Norisio* datam, sed spuriam penitùs ac suppositítiam tam patentibus ac probatis indicibus ostendo, ut nec duos laudatos viros doctos, nec alios quosque in hac parte nobis adversatum ire confidam. Sed priùs subjiciendus est utriusque tenor epistolæ.

I. Nova postremaque cum *viro docto* congressionis occasio.

Circa 11. Leonis epiſtolarum fidem, vel vitium.

II. Quæ ſuppoſiticia aſſeritur à *Queſnello*, ſincera eſt.

Epiſtola ad *Septimium* 7. aliàs 86.

Lectis fraternitatis tuæ literis vigorem fidei tuæ, quem olim noveramus, agnovimus: congratulantes tibi, quod ad cuſtodiam gregum Chriſti paſtoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi qui ſub ſpecie ovium ſubintrarunt beſtiali ſævitiâ ſimplices quoſque dilacerent, & non ſolùm ipſi nullâ correctione proficiant, ſed etiam ea quæ ſunt ſana corrumpant. Quod ne viperea poſſit obtinere fallacia ad Metropolitanũ Epiſcopum Provinciæ Venetiæ ſcripta direximus: quibus ad ſtatus ſui periculum cognoſceret pertinere, ſi quiſquam de Pelagianorum ac Cæleſtianorum conſortio veniens in communione Catholica, ſine profeſſione legitimæ ſatisfactionis habeatur. Saluberrimum enim eſt, & ſpiritalis medicinæ utilitate pleniſſimum, ut ſive Preſbyteri, ſive Diaconi, ſive alii cujuslibet ordinis clerici, qui ſe correctos videri volunt, errorem ſuum & ipſos erroris autores damnari à ſe ſine ambiguitate fateantur: ut ſenſibus pravis & dudum peremptis nulla ſpirandi ſuperſit occaſiio, nec ullum membrum Eccleſiæ talium poſſit ſocietate violari, cùm per omnia illis

Epiſtola ad *Janvarium* 14. aliàs 3.

Lectis fraternitatis tuæ literis vigorem fidei tuæ, quem olim noveramus, agnovimus: congratulantes tibi quod ad cuſtodiam gregis Chriſti paſtoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi qui ſub ſpecie ovium ſubintrarunt: beſtiali ſævitia ſimplices quoſque dilacerent, & non ſolùm ipſi nullâ correctione proficiant, ſed ea quæ ſunt ſana corrumpant. Quod ne viperea poſſit obtinere fallacia *dilectionem tuam duximus commonendam*, *inſinuantes ad animæ perimæ* periculum pertinere, ſi quiſquam *de his*, *qui à nobis in hæreticorum atque ſchiſmaticorum ſectam delapſus*, *& ſe utcunque hæreticæ communionis contagione macularit*, *reſipiſcens*, in commune Catholica ſine profeſſione legitimæ fatisfactionis habeatur. Saluberrimum enim & ſpiritalis medicinæ utilitate pleniſſimum eſt, ut ſive Preſbyteri, ſive Diaconi, vel ſubdiaconi, aut cujuſlibet ordinis Clerici, qui ſe correctos videri volunt, *atque ad Catholicam fidem*, *quam jampridem amiſerant*, *rurſum reverti ambiunt*, priùs errores ſuos, & ipſos autores errorum damnari à ſe ſine ambiguitate fateantur: ut ſenſibus pravis *etiam*

professio propria cœperit obviare.

Circa quos etiamsi illam Canorum constitutionem præcipimus custodiri, ne ab iis Ecclesiis ad quas propriè pertinent sinantur abscedere & pro suo arbitrio ad loca sibi non deputata transire. Quod cum rectè non permittitur inculpatis, multò minùs debeat licere suspectis. Proinde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris & cum supradicto Metropolitano det operam ut circumspectè ac velociter impleantur ea, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem & laudabiliter sunt suggesta & salubriter ordinata.

peremptis, nulla sperandi supersit occasio, nec ullum membrum talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obviare. Circa quos etiam illam Canonum constitutionem præcipimus custodiri, *ut in magno habeant beneficio, si ademptâ sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine, stabilitate perpetuâ maneant: si tamen iterata tinctione non fuerint maculati. Non levem apud Dominum noxam incurrit, qui de talibus ad sacros promovendos ordines judicarit.* Quod *si* cum *grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multò magis* non debet licere suspectis. Proinde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris & det operam, ut circumspectè atque velociter impleantur, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem & laudabiliter suggesta sunt, & salubriter ordinata.... *Non autem dubitet dilectio tua nos si (quod non arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro custodia canonum & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs commovendos, quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.* Data III. Kal Jan. Alypio & Ardubare Viris clariss. Coss.

Quæ sincera eidem est, suppositia demonstratur.

Ex his igitur duobis Epistolis 14. ad *Januarium* ex his multis palmaribus subjectam denuntio. 1. Quia ejus finis, initio nequaquam respondet, monstrumque immane & ingens, primâ facie, repræsentat: quem enim primò laudat Pontifex Max. de *Vigore* FIDEI olim noto & nunc denuò probato, &c. postremò increpat ac durè minitatur: *quod si neglecta fuerint, quæ pro custodia canonum & pro* FIDEI *integritate decernit, se* VEHEMENTIUS COMMOVENDUM, &c. Quæ duo ita sunt inter se dissociata, ut uni eidemque personæ convenire nequeant, & vel exinde subjectionem apertè clament.

III. Epist. ad *Januar.* subjectionis primus index ex fine ab initiis abludente.

2. Explorata rursus illa est subjectio, & miror cur *Quesnello* verba omnia *Leonis* versanti ac excolanti non citò nota; siquidem ab his ultimi membri verbis: *non autem dubitet dilectio tua, nos, si quod non arbitramur, neglecta fuerint,* &c. incipit cento, qui ad syllabam depromptus est ex epist. 6. ad *Episc. Aquileiensem.* Hic porrò epistolæ isti proprius ac genuinus omninò reperitur, quia totus Rescripti tenor huic sermonis austeritati omni ex parte concinit: non enim istheic, ut alibi, *vigorem fidei pastoralemque* Aquileïensis *vigilantiam* collaudat; quin potiùs socordiam ac negligentiam, *pastoralesque excubias nimiùm dormitantes* carpit, &c. Quæ præcipuè Metropolitanum ipsum transfigebant. Adeoque cohærentissimè ad ipsum interminatio illa epistolam claudere potuit: *non autem dubitet*... *nos vehementiùs commovendos, quia inferiorum ordinum culpæ,* &c.

cento ad finem assutus integer reperitur.

At hoc resecto epist. 14. extraneo implantatoque membro, purus ac putus penè remanet ejusdem ad *Septimium* tenor: aut si quæ supersunt ipsi maculæ, nullo negotio ex mutuo utriusque textus conspectû derterguntur. Etenim nostra quam vindicamus habet: *quod ne viperea possit optinere fallacia ad Metropolitanum Provinciæ* Venetiæ *scripta dereximus, quibus ad status sui periculum cognosceret pertinere, si quisquam de* Pelagianorum *consortio veniens, in communione Catholica, sine professione legitimæ satisfactionis habeatur.* Quæ certè condigna Pastori minitatio, qui lupos in ovile Dominicum, hâc neglectâ cautelâ, reptare sinit. At in altera sic infartum membrum palpare erit ex istis: *quod ne viperea possit obtinere fallacia,* dilectionem tuam duximus commonendam, insinuantes ad animæ periculum pertinere, si quisquam de his, qui à nobis in hæreticorum, atque schismaticorum sectam delapsus, & se utcumque hæreticæ communionis contagione macularit, resipiscens *in communione Catholica sine professione*

interpolationes aliunde infartæ.

professione legitimæ satisfactionis habeatur. Heic quæsita circuitio, subjectusque in his vocibus cavillus: *dilectionem tuam duximus commonendam, insinuantes ad animæ periculum pertinere.* Quorsum enim *Leo* vigilantissimo Præsuli jam congratulatus, quòd ad custodiam gregis Christi pastoralem curam diligenter exequitur, *insinuaret ad animæ periculum pertinere, si,* &c. hæc quippe tam diligentem excubitorem fugere non poterant: porrò & hæc dictio, *insinuantes*, cum præcedentibus non ritè cohæret, & aliquid stylo extraneum præfert: non secus ac iste membri contextus: *si quisquam, qui à nobis in hæreticorum sectam delapsus & se ut cumque hæreticæ communionis contagione macularit,* &c. Sed, ut magis sensibus, inhæreamus, nunquid idipsum splendidissimè patet ex serie, in qua testificatur *Leo* hanc ipsam quæ contra dolosos homines ordinatur cautio, ab ipso ad quem scribitur Episcopo eidem præcipuè suggestam, ait enim: *proinde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris, & det operam, ut velociter impleantur, quæ* LAUDABILITER SUNT SUGGESTA *& salubriter ordinata,* &c. ex quibus claro clarius est sapiens illud decretum ab consummatissimo Præsule & ob fidei testatum vigorem insigni, primò datum, à *Leone* continenter susceptum esse: ut nil posthàc irrationabilius cogitari posset, quàm si ille, qui consilium cum laude & gratulatione ab alio excepit, hoc eidem cum minis & increpationibus amplectendum commendasset.

Quàm crassæ ac patulæ?

Denique & hæc insititia videtur periodus: *quòd si cum grandi examinatione promotio conceditur inculpatis,* multò magis non debet licere *suspectis.* In his enim, etsi possit utcumque sustineri syntaxis, non ita vicissim observari poterit nitor ac congruitas istiusmodi epistolaris styli: habet enim quid improprium, nec sibi invicem compaginatum ista locutio: *multo magis promotio non debet licere suspectis,* cum è contra consentaneum ac primigenium sensum nostra spiret epistola, ad quem cento alter effictus est, sic præferens: *quod cùm rectè non* permittitur *inculpatis* (ad loca non deputata transire) *multò minùs non debet* licere *suspectis.* Ubi *permitti* & *licere* connaturaliter adhibentur & opponuntur.

IV. Ex ipsa negotii ratione, Rescriptorumque argumentis validius momentum.

Ex istis sponte jam consequitur intactam hactenus clausulam: *si tamen iterata tinctione non fuerint maculati,* quam ad *Donatistas* referri putat *Quesnellus,* præcedentium ausuum esse corollarium: nam & in eo fraus evidentiùs patet, quòd *Leo* contra *Donatistas*, in Italia saltem, negotium habuisse nullibi le-

gitur. Suſpicio tantum oriri poſſet, ne hoc membrum ex germano ad *Septimium* Reſcripto decurtatum huic ipſi nunc veniret reſtituendum: at quandoquidem *Septimius* de *Pelagianis* ſolummodò queritur, quos *iterata tinctio non maculabat*, nil cauſæ eſt, cur hanc ei epiſtolæ lectionem illigare cogitaretur.

Sed hac ex occaſione quid omnino peremptorium ſuggerendum incurrit, quòd ſcilicet inter epiſtolas, quarum altera alteri cohærentiſſimè reſpondebit, & de rebus propoſitis ac perſonis ambæ invicem convenient, iſtæ potiùs ſuſtinendæ erunt & vindicandæ, quæ ſic ſibi mutuò autoritatem præſtant, quàm alia quævis, quæ omnem à ſemetipſâ ſolitariè mutuatur fidem. Unde cum de *Pelagianorum* molitionibus pro certo & explorato queſtus ſit *Septimius*, & ad eas ſolas reprimendas duobus reſcriptis ſolicitudinem ſuam impendat *Leo*, illa ſibi ſic ex omni parte congruentia longè magis ultro ſuſcipi debent, aut minus ſaltem in diſcrimen adduci, quàm ea quæ aliud prorſus argumentum tractat, & *Donatiſtas* ſeu alios Hæreticos vel Schiſmaticos reſpicit. Ergò quia ex iſto receptiſſimo *Photii* teſtimonio jam habemus *Pelagianos* per Altinenſem Epiſcopum *Septimium*, penes *Leonem*, poſt ejurationem criminis poſtulatos, non autem *Donatiſtas*, vel alios perduelles *iteratâ tinctione maculatos*: datæ pro comperto negotio literæ, genuinæ, germanæque cenſendæ ſunt, aliæque ex adverſo, quæ, contra expreſſum *Photii* teſtimonium, mentiuntur *Septimium* iſtiuſmodi malignantes homines, in querelam aliis etiam ignotam ſcriptoribus traxiſſe, vel ex eo ſuppoſititiæ pronuntiari debuerant.

Ergo Epiſtola ad *Januar.* furtivis nudata colorib. pura putaque eſt illa ad *Septimium* data.

Hactenus igitur totum Reſcripti ad *Januarium*, fucum exterſimus, ex eoque furtivis ſic nudato coloribus, non aliud exurgit, quàm germanum & primigenium ad Altinenſem Præſulem reſponſum. His autem ſic excuſſis ac complanatis, vix apparet quamobrem in ejuſdem αὐθεντίᾳ vindicanda, aut in depellendis jugis à *Queſnello* aggeſtis, vel tantillùm laboraremus, cùm res nunc per ſe cônſtent; quæ ſi tum *Viro docto* tam firmæ perſpectæ fuiſſent, nuſpiam in hanc ſuam opinationem abſceſſiſſet, fluxis euſque & inſtabilibus fundamentis ſic ſolidandam

V. *Queſnelli* præjudicia leviora, & *Leoni* inprimis injurioſa.

Quid enim levius, exempli cauſâ, quàm cum, in notis ad illud datis, ſcribit: *nullam fuiſſe neceſſitatem, ut peculiarem ad* Septimium faceret epiſtolam Leo, *qui ex epiſtola ad Aquileïenſem ſcripta de* Leonis *conſilio certior fieri poterat.* Quid heic, in-

quam, levius & inconditius *Leonem* laudatissimo Præsuli fideique, pristino, recentique vigore, adeo præcellenti, à quo imminens Ecclesiæ periculum, simul ac remedium edocetur, rescribere nil pensi duxisse, & quod capitalius est, ei, per eum qui accusabatur Metropolitanum, intimari voluisse, quid super his consilii ceperat. An hoc prudentiæ, an hoc *Leonis* modestiæ & omnibus conspicuo in fratres & Coepiscopos amori congruens? an ita erga alios gerebat se tantus Pontifex, qui ad ejus, cujus personam gerebat præscriptum, *forma fieri gregis ex animo* doctus contemptibiliores quosque rationabilia proponentes suo non dedignatus esset alloquio, quantò minùs autem Antistitem & talem illum ac tantum? An sic *Theodorum* nostrum Forojuliensem consulentem excepit, cujus etsi *solicitudinis ordinem* saltem, non probet, quem adeoque *cum Metropolitano suo primitùs de eo, quod quærendum esse videbatur,* conferre debuisse coarguit, Rescripto tamen suo perhonorificè consalutat? Imò & in specie illud præcipuum in rem nostram subjungit Pontifex, ut scilicet quæ *respondit, ad interrogationem* Forojuliensis, ipsemet *in Metropolitani* sui *notitiam faciat pervenire.* Quæ vel sola *Leonis* genium ac consuetudinem satis illustrant: utæquè semper recurrat ipsius accedere debuisse responsum, quandiù ad eum tam insignis à *Septimio* data tot suffragatoribus asseretur epistola. Et profectò res aliter facta, aut officii oblivio, aut Fraternitatis despectus, aut utrumque sane censenda erat.

Epist. 83. vel 91.

At *Quesnellus* suis præjudiciis abductus in alia ejusdem epistolæ clausula, quid simile deprehendisse sibi blanditur, ubi videlicet Pontifex ait significasse se Aquileïensi, *ad status sui periculum pertinere*, si quisquam de *Pelagianorum* consortio veniens, in communione Catholica, sine professione legitimæ satisfactionis habeatur, &c. *Quæ nec stylum*, infit Vir doctus, *nec ætatem S. Leonis redolent*, quòd non credat eum *hujusmodi minis uti vel consuevisse, vel voluisse in Metropolitanos Episcopos, multò minùs erga Aquileïensem, qui ad Synodum Romanam tum non pertinebat*, nec à Romano, sed ab Mediolanensi ordinabatur Episcopo. Hæc itaque ab stylo *Leonis* abhorrere, & in Metropolitas longèque minùs in Aquileïensem cadere non potuisse commentatur *Quesnellus*: quantumvis ejus in *Provincia Presbyteri Diaconi*, &c. *quos Pelagiana ac Cœlestiana hæresis tenuerat implicatos ad communionem Catholicam pervenirent, pastoralibus excubiis nimiùm dormitantibus*, &c. Quæ sunt ipsa epistolæ ad *Aqui-*

Aliud ex minis contra *A*quileïensem Rescripto insertis, ejus fidem non temerat, sed illustrat.

leïensem verba, quibus ipsemet potissimùm designatur. At & huic tali in summa omnium discrimina Ecclesiam adducere nil sollicito, nec intimare voluisse credi debet Pont. Max. ad *status sui periculum pertinere*, si cœptis insisteret, & nobilissimam Provinciam suam nocentissimorum hæreticorum machinationibus dilacerandam sic permitteret: quia hæc duriora in Metropolitanum arbitratur *Vir doctus*. Sed & ipse quid tam austerum tandem offendit in ipsa ad Aquileïensem epistola, sub cujus finem minitatur Romanus Episcopus, se VEHEMENTIUS COMMOVENDUM, *si quæ pro custodia canonum decernit..... neglecta fuerint*, &c. Quid autem ad hæc reponit *Quesnellus* præcedentibus adeo consona? *minas* quidem ægrè licet heic deprehendere compellitur, at istas saltem *ad unum Metropolitanum non spectare* contendit: quasi quia alios etiam Collegas forsan tangebant, minùs adeo ipsum Metropoliten complexæ essent? Sed & subdit: *nec eum è Sede sua dejiciendum minitatur*: sed neque illa expressa sunt epistolæ ad *Septimium* verba, quæ tantùm præferunt: *ad status sui periculum pertinere*: quæquæ nec forsan prægravato ex aliis stomacho magis cruda videri poterunt, quàm ipsa, quibus interminatur Pontifex se *vehementiùs commovendum*; nam & istis, desidi negligentique Pastori, non ipsam quidem status minitatur dejectionem, sed illi ejus periculi pertimescendi causas incutit, ex hac suâ *vehementiore commotione*; quâ confidebat *Leo*, fore ut *cognosceret* tandem Aquileïensis *ad status sui periculum pertinere, si*, &c quod & *Septimio* querelæ delatori significantiùs exprimit.

nec in totum diffitente *Quesnello*.

At quorsum ista tandiu volvimus? esto enim ut *Quesnelli* judicio, major erga Collegas, & Metropolitanos præcipuè, *Leonem* decuisset moderatio, etiam in tam impendenti discrimine; at nihilosecius salvæ stare debebunt literæ istæ, quibus quidquid animosius inesse deinceps perhibebitur, ex Regiis edictis affusum saltem agnoscendi recurret invicta necessitas. Siquidem jam in ipsos Episcopos istiusmodi minæ, dejectionisque etiam status non pericula modò, sed determinatæ sanctiones intonuerant, qui in nefandæ hæreseos suspicionem imposterum traherentur. Et famosior sanè est *Honorii* Imp. adversùs *Pelagium* & *Celestium*, ad S. *Aurelium* Primatem Carthaginiensem hac in causa constitutio, quàm ut Ecclesiasticorum monimentorum studioso non cito citiùs occurrat; cujus quidem in rem nostram observatû præcipuè digna sunt isthæc: *Sed quia obstinatorum nimis pertinax malum, ut constitutio geminaretur, exegit,*

VI. Ex Regiis adversùs *Pelagianos* edictis novæ ac peremptoriæ istiusmodi minarum causæ.

RECENTI *quoque* DEFINITIONE *decrevimus*, *ut si* QUIS IN QUACUNQUE PROVINCIARUM *parte* (Pelagium & Celestium) *latitare non nesciens*, *aut propellere*, *aut prodere distulisset*, *præscriptæ* POENÆ *velut* PARTICEPS *subjaceret*. *Præcipuè tamen ad* QUORUNDAM EPISCOPORUM *pertinaciam corrigendam*, *qui pravas eorum disputationes*, *vel* TACITO CONSENSU *adstruunt*, *vel* PUBLICA IMPUGNATIONE *non destruunt*, *Pater carissime*, *atque amantissime*, *sanctitatis tuæ autoritatem cavere conveniet*, *quatenùs in abolitione præposteræ hæresis omnium devotio Christianorum consentiat. Religio itaque tua* COMPETENTIBUS SCRIPTIS *universos faciat admoneri*, *scituros* DEFINITIONE SANCTIMONII TUI, *hanc sibi definitionem esse* PRÆSCRIPTAM, *ut* QUICUNQUE *damnationi supra memoratorum* (*quò pateat mens pura*) SUBSCRIBERE *impiâ obstinatione neglexerint*, EPISCOPATUS AMISSIONE MULCTATI, INTERDICTA *in perpetuum*, EXPULSI CIVITATIBUS, COMMUNIONE *priventur*...... *una enim eademque culpa est eorum*, *qui* DISSIMULANDO CONNIVENTIAM, *aut non* DAMNANDO FAVOREM *noxium præstiterint*. Hæc Imperatorum Rescriptum datum Ravennæ V. Id Jun. *Monaxio & Plinta Coss.* hoc est anno 419. quod adeoque eodem etiam tenore ad *Augustinum* emissum, fidem facit Vatic. Cod. MS. teste *Baronio*. At & illud magno studio procuravit executioni mandari S. Primas *Aurelius*, ut egregiè probat ejusdem ad Episcopos Byzacenæ & Arzugitanæ Provinciæ directa continens epistola: *ut nihil omninò esset*, inquit, *unde* ULLIUS DISSIMULATIONIS, *vel* NEGLIGENTIÆ, *vel* OCCULTÆ *forsitan* PRAVITATIS *aliqua videatur meritò remansisse* SUSPICIO.

At si *tam necessaria constitutio*, ut scribit ibidem Carthaginien. Antistes, *Christianorum* Principum, ob *quorundam præcipuè Episcoporum pertinaciam corrigendam* emissa est, *qui pravas* hæreticorum illorum *disputationes vel tacito consensu* adstruebant, vel *publicâ* impugnatione non destruebant; si ob illud, inquam, tam gravis animadversio ordinatur, atque suggeritur, *ut qui istorum damnationi subscribere neglexerint*, EPISCOPATUS AMISSIONE MULCTENTUR, CIVITATIBUSQUE PULSI *Communione priventur*: quorsum *Leo* cujus solicitudini cedebat, in omnibus Provinciis intemeratam fidem servare, & qui docente *Photio*, citato loco, *ferventi zelo contra impios depugnavit*; quorsum, inquam, iste non *fictus*, *aut trepidus hæreticorum* Hæ causæ *Leonem* æquè premebant.

debellator, gravioris interminationis denuntiationem dissimulare potuisset Aquileïensi Metropolitæ; si videlicet sua in Provinciâ *lupos in ovile Dominicum non depositis bestialibus animis* ulterius introire permitteret? Quidni nonne *una & eadem* hæc erat *Januarii* culpa, & citò *Leonis* fuisset, ac *eorum qui aut dissimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præstabant*. Ergò si illis tanta jam impenderat ex Imperatorum autoritate districtio, cur non vel status periculum *Leo* isti minitatus esset, *si ea quæ pro custodia canonum* decernebantur *neglecta* fuissent, *ut quisquam de* Pelagianorum *consortio veniens in communione Catholica, sine professione legitimæ satisfactionis haberetur*? His certè maturo perpensis examine, tantum aberit ut *Leo* suis comminationibus ultra morem, vel modum Metropolitanum istum exagitarit, quòd è contra id insolens videri possit, cur jam lege latâ, vel in eum ex tunc non vehementius animadverterit, vel ipsummet graviori interminatione non deterruerit. At inde forsan id accedet compendii *Quesnello*, quòd Metropolitanæ dignitatis majorem rationem habuerit *Leo*, nec durius eum exceperit, qui ad Romanam synodum non pertinebat. Sed quoquomodo res acciderit, illud saltem & ex sanctionum illarum vigente districtione & ex eo quod se *vehementius commovendum* Pontifex intimarit, ultro cognoscere potuit Aquileïensis præscripti negotii neglectum *ad status periculum* meritò *pertinere*, nec illi, nec alteri cuivis, ante *Viri docti* dubitationes, hæc esse potuerat offendiculo minitatio. Namque si ejus alia exempla penes Rom. Pontifices proferenda sunt, nunquid *Bonifacius* I. contra tales, *non solùm Apostolicis, sed etiam Regiis edictis usus esse* laudatur ab *Aquitano* c. 41. c. *Collat*.

Et tamen moderatiùs se gessit.

VII. Ex inserta Rescr. ad Sept. *Venetiæ* voce, quæsitum præjudicium,

Alius superest extricandus eidem nodus, sed nec magis ille morari debet, quem utique obducit ex unâ Rescripto insertâ *Venetiæ* voce, habet enim: *ad Metropolitanum Episcopum Provintiæ* Venetiæ *scripta direximus, quibus ad status sui periculum cognosceret*, &c. cùm potius, inquit, Istriæ Metropolitanum præferre debuisset: nam *plerumque in Civilibus* Venetiæ & Istriæ *nomina junguntur; in Ecclesiasticis autem* Venetiæ *Ponvinciæ mentio solitariè non habetur*, &c. Ad quæ plura reponi possunt, ac 1. quorsum & penes *Nostros* etiam Venetiæ Provinciæ *mentio solitariè* usurpari non potuit, cujus penes Profanos sic usurpandæ consuetudo dudum invaluerat; quam & nos solitò consectabamur? Hanc sanè lapides contestantur in variis etiam ante hoc ævum exaratis inscriptionibus, insignemque profert in suis *antiquis Gruterus* p. 285. quæ sic habet:

HORTANTE BEATITUDINE TEMPORUM
D.D.D. N.N.N. GRATIANI VALENTINIANI
ET THEODOSI AUGG. HANC STATUAM
CONSTITUI JUSSIT VAL. PALLADIUS
V. C. CONS VENET. ET. HIST.

Ex monimentis civilib.

Alteramque exhibet p. 433. ex *Panuino* dicatam M. MAECIO, &c. VENETIARUM ET HYSTRIÆ PRÆFECTO. cur autem ex tam solenni usu non potuit etiam *Leonis* Notarius *Venetiæ Metropolitanum* nuncupare? At idipsum in Civilibus quidem observatum, ultrò *Quesnellum* admittere jam notavimus; id solùm non *meminit in Ecclesiasticis* Venetiæ *Provinciæ mentionem solitarie haberi*, *nec* Venetiæ Metropolitanum *dictum putat ante constitutam Venetiis Episcopalem sedem.* At penes S. *Ambrosium* aliquis legisse meminerit epist. 25. ad *Vercellenses* data, ad urgendam electionem Antistis S. Martyri *Eusebio* subrogandi, factam aliquam *etiam solitariè* Provinciæ Venetiarum mentionem, habet enim: *sola* (Vercellensis sedes) *nunc ex omnibus Liguriæ, atque Æmiliæ*, VENETIARUMQUE, *vel ceteris finitimis Italiæ partibus hu usmodi eget officio.* Ubi quidem de his Provinciis in ordine ad statum Ecclesiasticum. loquitur Patriarcha Mediolanensis. Unde & facilè æstimaretur tam procliviter *Venetiarum Metropoliten*, *Ambrosio* occurrere potuisse, si de eo incidisset quæstio, quæ *Leonem* ad scribendum impulerat.

Et Ecclesiasticis.

2. Ut in istis hujus argumenti epistolis confusio & interpolatio irrepsisse reperiuntur, nunquid etiam hæc recentioris styli, quam putat *Vir doctus*, Provinciæ *Venetiæ* nomenclatio, potuit heic interseri: ut *ex antiquo monumento constituendæ* hac in urbe *Metropoli Ecclesiasticæ color quæreretur*, quod quidem rectè subodoratur ipse *Quesnellus.* At ad hunc ausum non nova procudi epistola, aut ad alterius similitudinem effingi: sed quæ jam integra germanaque perstabat, unius duntaxat dictionis immutatione, vel paucarum literarum additamento temerari debuit, ut ex *Istriæ* nomine, conflaretur, *Venetiæ.*

aliisque majoribus in totum abigitur.

3. Sed hæc meliori fide conversio accidere potuit, cùm enim plerique Mss. codd. epistolam ad Aquileïensem hoc titulo prænotent: *ad Metropolitanum Episcopum Provinciæ* Venetiæ, &c. pronum fuit ut sciolus aliquis hâc inscriptione posterius factâ delusus, ex ejusdem autoritate conjunctam ad *Septimium* epi-

stolam emendandam esse præjudicarit, adeoque & pro *Istriæ* nuncupatione substituerit *Venetiæ*. Quo nil crebrius.

VIII. Interpolationum indagata propiùs occasio

Porrò quandoquidem in eas, quæ epistolis istis supervenere, variationes & interpolationes delapsi sumus, earum originem causasque ulteriùs rimari, aliquod forsan operæ pretium erit. Ab antiquo enim datas in hac causa literas, his respersas fuisse maculis satis patet, vel ex testificatione *Quesnelli*, qui animadvertit prolixiori ad Aquileïensem epistolæ 6. infartum esse ex S. *Augustini* Enchiridio desumptum fragmentum, quod ipse sua ex *Leonina* editione resecuit. Quod cùm jam nobis *Vir doctus* præstiterit, viam nobis ultro ad alia inducenda fregisset, ut cum alicubi intemperantem in aliquod istiusmodi monimentum grassatam interpolandi libidinem animadvertit, & artificum istorum audaciam acriter carpit. Sed uti forsan omnes ejus opinationes non heic æquè complecteremur, ita ad illas ulteriùs divertere nullum esset pro causâ nostra lucrum, quando illa in tuto jam posita est, & ex sola exhibitione res clamet. Unde alia penitiora nobis penetranda sunt, circa hanc quam allegavimus interpolationis occasionem. Et in eam quidem id primum occurrit, quòd cùm *Leonis* ad Aquileïensem epistolæ 6. *Septimii* relatio subjuncta fuerit, ut ex ejusdem initio patet: *relatione fratris & coëpiscopi nostri* Septimii, *quæ in subditis habetur* &c. proclive fuit, ut similiter literis ad *Septimuim* datis exemplar illarum, quæ Aquileïensi inscriptæ erant tum junctæ, vel mox transmissæ fuerint; quò scilicet Altinensis, Metropolitani sui hoc in negotio solicitudinem stimularet, qui suam *dispositionibus Pontificiis* curam adjungere jam rogatus à *Leone* fuerat. At perinde duæ illæ epistolæ uni Episcopo simul nuncupatæ, vel in *Leonis* schedis continenti ordine scriptæ servatæque, vel à Collectoribus ob argumenti conjunctionem ita dispositæ, facilè invicem confundi potuerunt & unius textus alteri interseri: imò tituli adeo distrahi, vel quaterniones præturbari, ut postea, seu per exemplatorum, seu per compactorum ignorantiam, vel indiligentiam, quæ uni propria erant alteri tribui consequens fuerit.

Sed his menti primùm obviis, quid gravius heic adjungengendum mox oculis objicitur, in Ms. Cod. membraneo S. *Leonis* operum, insignis Bibliothecæ S. *Victoris* Parisiensis, in quo satis mihi mirum fuit epistolarum *Leoninarum* elenchum delibanti, post hunc titulum: *epistola* ad Septimum *Altini Episcopum*, alterum

alterum consequentem primò observare, sic præferentem: *item ad Eundem*. Quæ cùm mihi oppidò nova, ad pervolvendas ipsas epistolas, majori fuissent incitamento, post illam ad *Septimium* datam, memoratum rursus titulum, *item ad eundem*, legi quidem: sed in tenore integram ad Aquileïensem epistolam 6. deprehendi: *Relatione fratris & Coëpiscopi nostri* Septimi, *quæ in subditis*, &c. Hæc certè à me sic palpata magis etiam in hac sententia obfirmarunt, ut utraque epistola ad Altinensem Præsulem primò directa fuerit, atque inde persuasum, ut ex hac titulorum identitate, qui in unum eundemque cadere non poterant, præbita sit ansa isthæc primùm præturbandi atque interpolandi, quibus talia rectè secernere datum non erat. Quam in rem aliud nobis confert *Quesnellus*, edocens nempè codicem Ms. *Isidorianæ* collectionis inscriptam *Aquileïensi*, epistolam rursus continenter, post aliam ad Altinum, cum hoc titulo repræsentare: *item ejusdem ad eundem*, adConciliorum *Merlinianæ* editionis normam. Quæ profectò aliàs decursa non adeo, quod fieri amat, intentum me tenuerunt, quàm cùm eadem in memorato Ms. cod. primùm animadverti. Sed hæc porrò hinc inde coëuntia conjecturam longè probabiliorem faciunt.

Ceterùm cum alii Ecclesiarum codices hanc titulorum & epistolarum ordinationem non sequerentur,& in aliquibus integram ad Aquileïensem seorsim extitisse necesse fuerit, ut ad illum seorsim data fuerat, hæc quidem servata est: sed quia jam ex una ad *Septimium* (subjecto utique, ex aliâ illi annexâ, centone, aliisque pauculis superadditis) duas jam enixi erant scioli, vel ad hoc conducti interpolatores, necessarium fuit, ut ad duas istas accedente alterâ, tres in collectanea sua invexerint, nempè duas ad *Aquileïensem* & unam ad *Septimium*. Quod quidem nonnullis magis consentaneum videbitur, siquidem ut observat *Quesnellus* Dissert. 12. c. 6. *cùm pro arbitrio Episcopi atque Ecclesiæ suum sibi codicem conficerent, nullumque alium servarent ordinem, quàm temporis, quo recipiendorum alicujus Synodi canonum occasio nata erat, nec Græcis solummodo canonibus contenti... epistolas Pontificias aliaque monumenta Ecclesiastica iis* SPARSIM, ac SINE ORDINE *in ecerant: unde & nata confusio, quâ offensi illi, quos memorat* Dionysius (in præfationibus) *de uno codice condendo cogitarunt. Frustra igitur ex uno ordine, de ordine alterius decerneres*, &c. ut itaque ante *Dyonisium* invaluisse illa monimentorum Ecclesiasticorum præturbatio ex *Viro docto* perhibetur,

consequens erat, ut ei minùs mirum fuisset, cur hos sic confusos, vitiatosque titulos, post aliorum, ut ait, curas ordinans *Dionysius*, ex isto ita duplicato fucum passus sit, & epistolæ ad *Aquileiensem* jam interpolatæ superinscriptione deceptus, aliis prætermissis, hanc suæ collectioni inseruerit. Quod quidem longè faciliùs accidere potuisse multis censebitur, quàm assui celebres illæ clausulæ, quas Rescripto *ad Episcopos Africanos Mauritaniæ Cæsariensis* idem *Quesnellus* causatur infartas. Sed de istis illi ultro negotium facessere propositum mihi non est, nec tum enim in omnes ejus impugnatoris sensus κατὰ πόδας abscederem, quem nuspiam tenuit hæc *Quesnello* contradicendi libido, ut quæcumque in eum torta sunt, retorquere ducerem. Quin & eidem in aliquibus, per qualiscumque operæ meæ decursum adhæsi, & in aliis pluribus (salvo omnium potiore Sedis Apostolicæ judicio) ab eo non dissentirem, si ulteriùs cum eo currere destinarem. At suscepti argumenti limites jam attigi & intra istos mihi adversùs eum, illis institisse sufficit, quæ ipsius limâ magis indiguisse reputavi· Quam inter inquisitionem, non pauca rursus mihi non excidisse, quæ has etiam curas provocent, satis mea mihi suggerit tenuitas. Sed & has ipsas mihi *Virum doctum* in primis redhibiturum esse plures jam fuerunt prænuntii, quos uti collætans excepi, cùm istis ad secernendam, quàm ambo consectamur veritatem, securior sternatur trames; ita fateor, & alios duriora præsagientes & minis etiam deterrentes infractus sustinui, quos adeoque hâc cautione, responsoque dimisi: me scilicet juniorem, & quibus *dulce bellum, inexpertum*, viro maturo, prudenti, pio, pacatè & absque amaritudine reponentem, nusquam ab his dissimilia expectaturum; nisi forsan, ut virtute longè præstat, ita me caritate etiam magis, quàm doctrinâ superare ambiat. Sin minùs in altero, quod ipsi mediocre, concedens, in majori, quòd mihi summum, potior extiterim. Quorum aliqua in prologo contestatus, hæc colluctandi finem faciens subjungere cogor, vel ut in antecessum susurros affectatos procul depellam.

IX. Quàm multiplex ex hac disquisitione compendium?

Ut porrò ad incœpta revertar, si istis quæ ab instituto nostro alicui etiam satis extranea videri possunt, operosiùs institi, non aliunde accidit, quàm ex eo quòd facilè subodoratus fui, fore ut heic adhibitum opportunè κριτήριον accessiones non paucas in res postremùm discussas invehere daret. Et quidem quod subitò ad manum venit compendium, eruitur

ex centone, quem ex germana ad *Aquileïensem* epiſtola 6. aſſutum oſtendimus 14. ſuppoſititiæ, quæ jam in totum *Septimio* reſtituta, ex hoc additiuo fine, Aquileïenſi rurſus inſcripta pariter manifeſtatur. At id majus trahit hic pannus, quippequi duabus germanis epiſtolis ſuam primigeniam integritatem affundit. Utraque enim ſine ullo Chronologiæ charactere hactenus vagans ad annum 447. cui *Ardubaris & Alypii* Conſulatus heic conſignatus alligatur, deinceps rejici debet: nam ſeu fragmentum iſtud epiſtolare temporis notam præferens vitiatæ deinceps ad *Septimium* epiſtolæ ſubjectum ſit, ſeu iſti ſic primitùs obſignatæ infartum (hoc enim duplici modo potuit dolus irrepere) æquè perinde certum eſt epiſtolas in eodem negotio datas, non modò eandem anni, ſed & diei notam præferre debuiſſe. Quod porrò ſignaculum iſtud olim ſuſceperint epiſtolæ ad Aquileïenſem ἀπογεαφα, ſubinbdicare mihi viſus eſt codex Ms. inſignis Monaſterii S. Germani Pratenſis quaſdam *S. Leonis* epiſtolas complectens; in iſta ſiquidem poſt hæc verba in quibus explicit: *dum auſteriorem diſſimulant adhibere medicinam*, hiatus aliquis cum ſeſquilinea & punctis, ad aliarum diſcrimen, advertitur, qui aliud ultra heic deſiderari forſan inſinuabat.

Characteres Chronologici 2. *Leonis* epiſtolis perinſignibus primùm aſſerti.

Sed utut ſit, res aliunde patet, nec ex alio potuerunt hùc advehi Chronologici characteres iſti, quàm ex germanarum epiſtolarum alterutra, vel utraque forſan. Unde corruit *primò* conjectura *Queſnelli Pelagianorum* tumultuationes & ſcriptarum epiſtolarum tempus ad annum 444. retrahens, certaque illa evadit, quâ, veluti ex tranſcurſu, contuitus eſt *Noriſius* eventus illos tertio abhinc anno ablegandos.

Pelagianorum in Italia & Romæ tumultuationes ad an. 447. certò rejectæ.

Secundò. Quod nobis præcipuum eſt, inde eruitur, poſt molitiones illas ſcilicet in Aquileïenſi Provincia motas anno 447. & *Septimii* vigilantiâ, ac *Leonis* ferventi zelo tum heic, tum in Campania, teſte autore de *Promiſſ. Dimid. temp.* c. 6. compreſſas, ut conjici poteſt intra annos tres, aut quatuor, accidiſſe tandem, facinus à *Photio*, citato jam loco, relatum, quòd *non diù poſt rurſum veluti exiſtere atque enaſci è mala radice impudenter cœperit* eadem hæreſis Celeſtiana, & eo ſenſim progreſſu ſerpere, ut *etiam Romæ quidam liberè pro hæreſi locuti* fuerint. Quæ cùm etiam veroſimiliter aliquos annos conſumpſerint, potuit interea rerum de arripiendo ſtylo, ſeriò cogitare *Proſper*, & circa finem Pontificatus *Leonis*, hoc eſt intra annum circiter 57. &

Tempus conſcripti & evulgati *de Vocat.* lib gemini trabali clavo figitur.

60. libellos suos exquisitâ arte methodoque digestos, ac perpolitos publici juris facere, quibus tenebricosi homines omnino dissipati sunt. Quæ omnia quidem aptè invicem coëuntia mirè *Photii* fidem liberant, librorumque istorum fortunas non modò certo parenti denuo vindicant, sed determinatis Chronologiæ characteribus trabali clavo etiam affigunt. Unde *Pelagiana* Historia non nihil lucis & integritatis nunc primum mutuatur.

Vaga ad Aquilejens. epistolæ inscriptio *Ja. vario* vindicatur.

Tertio. Incerta vagaque ad *Aquileïensem* Episcopum epistolæ inscriptio *Janvarii* nomine deinceps insignienda venit, non tam quia Ecclesiæ ejus monimenta, autore *Ughello* in Italia sacra, literas ad *Janvarium* Aquileïensem à *S. Leone* datas esse testantur (quod urget *Vir doctus* & aliò pertrahere contendit) quàm ex eo quòd epistolæ spuriæ 14. architecti, cum panno illi assuto ex hac nostra nuncupationem ad *Ianvarium* etiam defloraverint, ut ex his duobus extremis tam germanis ac sinceris, fraudi colorem affunderent. Nam quia heic de nova condenda epistola agebatur, undenaam potiùs & opportuniùs deprompta fuisset ejus inscriptio, quàm unde epistolaris fragmenti finem corraserant.

Aquileïensium Præsulum Series instauratur.

Quartò. Et hoc ad Aquileïensium Præsulum seriem refigendam accedit, quòd in ea *Ianvarius Nicetæ* præponi incunctanter debet, cùm illi anno 447. *Leonis* inscriptæ sint literæ: isti post *Attilanam* populationem consulenti *Nicetæ* respondeat Pontifex, *de his quæ poposcerat, ut autoritatem Apostolicæ Sedis acciperet*, &c. Quæque adeo literæ *Majoriani* primo consulatû notantur.

Altinensium catalogus *Septimii* nomine æternùm illustrandus.

Quinto. Rectè etiam inde consequitur *Septimii* Sedem non æquè obscuram manere, ac si nunquam hæc epistola innotuisset, quod præjudicio suo abreptus contendebat *Quesnellus*: Nam cùm hæc epistola germanissima deinceps habenda sit, ejus etiam illibata remanere debet nuncupatio, & Altinensis Ecclesia tanti Præsulis assertione magis etiam sibi ex hoc titulo gratulari, quàm si alia quælibet de eodem suis ex tabulis proferre posset.

Leoninarum epistolarum novus ordo immutandus, & unâ epistolâ minuendus.

Sextò postremòque *Leoninis* epistolis à *Viro docto* collatus recenter ordo immutationem rursùs debet admittere. Quam enim sexto loco posuit ad *Aquileïensem*, hinc expungenda & duodecima (aliis intermediis retractis; siquidem rectè locatæ sunt) recensenda: tum consequens ad *Septimium* decima ter-

tia, & deinceps uno minuta numero *S. Leonis* epistolarum collectio exhiberi debet.

Sed istis jam discussis, residuum est, ut hoc quasi facto contra novum Scriptorem, circa unam aut alteram *Leonis* epistolam experimento, circa alias deinceps, pro Antiquorum fide tuenda nos convertamus.





DE CELEBRI S. LEONIS AD FLAVIANUM ET ALIIS AD DIVERSOS A S. PROSPERO DICTATIS IN CAUSA EUTYCHIS, NEC NON DE RELIQUIS LEONINIS EPISTOLIS JUDICIUM, SEU DISSERTATIO V.

I. *Prospero* notoriè assertas *Leonis* ad *Flavianum*, & c. literas *Gennadius* primus scribit.



Ovam heic differendi provinciam suscipimus, quam etsi difficilem, alterâ tamen, in eo saltem acceptiorem reputamus, quòd non tantùm pro fortunis *Prosperi* ad solitum vindicandis jam prodimus, sed etiam pro fide Antiquorum liberandâ, quàm audivimus nonnullos Recentiores malè recipere. Et inter Veteres quidem primus & præcipuus extat *Gennadius* noster, qui libro *de Viris Illustribus* cap. 84. epistolas in causa *Eutychis* datas, & consequenter illam *ad Flavianum* C. P. pro eodem negotio, *Prosperi* partum esse profitetur, quando indefinitè ait: *epistolæ quoque Papæ* Leonis *adversùs* Eutychem *de vera Christi Incarnatione, ad diversos datæ & ab* IPSO *dictatæ creduntur*, seu: *dicuntur*, nam ita variant Mss. Codd. Hæc ille *Prosperi* lucubrationes, personamque recensens, quem ideoque *hominem Aquitanicæ regionis*, per contemptum forsan, dicit; moxque nimio in *Cassianum* studio, ejus Collationum *infamatorem*, contra ipsum Ecclesiæ judicium supponit: *Prosperi* inquit, *legi & librum adversus opuscula*,

sub persona Cassiani, *quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva* Quod *Gennadii*, testimonium, criminationem veriùs dixerim, heic subjungendum esse censui, ut ex his præjudicetur, cur tam malè in *Prosperum* affectus scriptor, eidem laudatissimum epistolarum præfatarum opus tribuisset, si easdem germanum illius esse fœtum omnium linguis & sententiis jactatum non fuisset. Quod certè præ aliis omnibus *Gennadio* notum esse poterat, qui & *Prosperi* σύγχρονος erat, & in ea Provincia & urbe degens, in quibus stylus, genium, scripta, necessitudines, & alia quæcumque *Prosperum* spectabant, magis perspecta explorataque erant; quòd in istis diutiùs gratiæ defensor versatus esset, fautoresque & amicos perplures sibi ibidem devinxisset.

Gennadii porrò testimonium probant, & autoritatem robotant *Marcellinus* *Comes* in Chronico: *Ado* viennensis ibidem: *Honorius*: *Thrithemius*, & alii quotquot de scriptoribus Ecclesiasticis agunt: qui etsi in his *Gennadium* exscripsisse videanrur, aliqua tamen notabilia satis adjiciunt, quæ cùm *Gennadius* omiserit, satis inde conjicitur eos non hanc illius tantùm autoritatem præ oculis habuisse, dum hæc scriberent. Nam *Ado* è quibus alii, *Prosperum B. Leonis Papæ notarium* fuisse primus aperuit, quod scientem, volentemque reticuisse *Gennadium* similius vero est, nè perinde *Aquitanicæ regionis hominem* quem dixerat, nimis forsan extulisse videretur, si summi Pontificis *notarium* mox propalasset; ut ab aliis hujus facti causis rimandis nunc abstineamus. Sed & qui post *Gennadii* autoritatem, ceteris anteponi debet, is est profectò *Marcellinus* Illyrici Comes *Prospero* suppar, quippequi primis *Iustiniani* Imp. temporibus floruit: hic autem suo in Chronico, sub consulatu *Olybrii* & *Rustici*, aut ut legit *Ios. scaliger*: *Viviano & Felice Coss.* idipsum testatur quod *Gennadius*, cujus & verba usurpat: *epistolæ quoque Papæ* Leonis *adversùs* Eutychem *de vera Christi Incarnatione ad diversos datæ, & ab* ISTO *dictatæ creduntur.*

Cui & omnes adstipulantur Antiqui

Adversùs tantam testium nubem & scriptorum consensionem, qui primus reclamarit, nullum offendo, ante *Bellarminum*: re quidem, nomineque, multorum loco habendum & celebrandum; nam ut *Prosperianorum* operum recensionem exhibuit, lib. *de Scriptorib. Ecclesiast.* hanc observationem subjecit: *Gennadius in libro de viris illustribus, scripsit epistolam illam celebrem* S. Leonis ad Flavianum *contra* Eutychem, *existimari à* S. Prospero *fuisse scriptam. At certé si ulla epistola* S. Leonis *est*, *illa*

II. Contra omnes prior reclamat *Bellarminus.*

omnino est, sive stylum, sive doctrinam Leonis *attendas.* Ita primùm Doctissimus Cardinalis, at qui ex erudita Societate Theologus *Phil. Labbeus*, suum sibi *Bellarminum* illustrare proposuit, non solùm in hanc sententiam ivit, sed tentavit etiam ita *Gennadii* textum emendare, ut in hunc planè sensum iste concederet. Quod unius transpositione conjunctivæ litteræ, *Et*, facilè præstitum iri sibi persuasit, sic enim in sua *Dissert. Histor.* verbo: *Leo*, loci jam à nobis supra relati lectionem instaurat: *Quid verò*, inquit, *si apud* Gennadium *legas, ut mihi legendum videtur: epistolæ quoque Papæ* Leonis *adversùs* Eutychem *de vera Christi Incarnatione, & ad diversos datæ, ab ipso dictatæ dicuntur.* Quod si ita legendum foret, an potiùs induceretur & has adversus Eutychem & alias omnes ad diversos datas, non à *Leone*, sed à *Prospero*, de quo heic institutus est sermo, dictatas esse literas, aliorum judicio suppono?

Et ejus Scholiastes. P. Lab.

Planior sensus verborum *Gennadii* utrumque fugisse perhibetur.

Sanè hanc viri eruditi circuitionem veluti omnium abreptissimam non potui sæpè non considerare, quam nec satis forsan intelligo. Quòd si ad literam interpretanda est, nec aliud significare intendit, quàm quod expressit, & *Gennadii* testimonio cuneus tandem adhibendus erat, non ille quidem literæ *&*, præpositæ, vel postpositæ convenienter aptari poterat, sed iste, meo judicio, rem quadantenus conficere videbatur, si de plano dixisset *Bellarmini* illustrator, Massiliensem nostrum suo in Catalogo Epistolam *ad Flavianum Prospero* non tribuere, quam è contra *Leoni* adjudicat c. 70. sed alias in hac *Eutychis* causa *ad diversos* datas, ab ipso *Prospero* dictatas credi. Quâ etiam obviâ explanatione, Purpuratus Scriptor loci difficultatem, quâ tortus fuit, aut eluens aut eludens, eam etiam, quâ se longè magis cruciandum voluit ejusdem Scholiastes, sustulisset. Et mirum profectò cur laudati diligentes Viri *Gennadio* negotium quasi ex condicto facessierint, in eo quod, expresè saltem, de epistola ad *Flavianum* non asserit, & in aliud, quod de reliquis *ad diversos* datis in hâc causâ literis disertè profitetur, commentari nil pensi duxerint: nisi fortassis id accidisse putemus, quia bonâ fide (quod consentaneum erat) crediderunt & ipsi, *Gennadium* suâ indefinitâ assertione, in illis ad diversos à *Prospero* dictatis aduersùs *Eutychem* epistolis, eam *Flaviano* inscriptam meritò comprehendi; quamque adeò uti *Leoni* magis honorificam ab hoc cumulo secernere unicè studuerunt.

III. *Baronius* Veterum sententiam laudat:

Ut ut sit, *Baronius* qui in Annalibus eandem dictionem, quæ collucet in epistola, in S. *Leonis* sermonibus recognovisse testatur,

tur, & heic, & fusiùs ac explicatiùs in notis ad Martyrologium Rom. ad VII. Kal. Julii, *Prosperi* memoriæ sacrum, fatetur famosissimam illam epistolam S. *Leonis* ad *Flavianum* ab eodem *Prospero* scriptam ferri. *Quod non tantùm*, inquit, *Gennadius, Honorius & alii Latinorum, sed & Marcellinus Comes testatur in Chronico, sub Consulatû* Olybrii, & Rustici; neque ullam istorum dictis & testimoniis exceptionem vel interpretationem adjungit. At multò plus audet *Hen. Norisius*, emunctæ admodum naris scriptor, qui his fretus autoritatibus, non solùm hanc *Prospero* epistolam adjudicat, sed nobiscum convenit, *in tanta antiquorum consensione vix* Bellarmino, *hac de re, dubitandi locum superesse*. Histor. *Pelag.* lib. 2. cap. 13. Idipsum etiam ibidem evincere contendit ex stylo *Prosperiano*, quem sibi deprehendisse videtur in epistola *Leonis* 86. ad Aquileïensem Episcopum, cujus & fragmentum exhibet, quòd planè conforme censet alteri, ex libro contra *Collatorem*, ubi hæc sub finem *Prosper*: *notum est ita falsitatis istius habere versutias, ut si eis liceat prætextæ correctionis imagine, aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, tota se possit in exigua sui parte reparare.*. Quæ contra *Pelagianos* jacta, in præfata ad *Aquileïensem* epistola, sic reddi notat: *Novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacunque particula dogmatis execrandi, quâ se à damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum*. Sed hæc parum in assumptam quæstionem conferunt, directè saltem; & magis probarent *Prosperum* datæ huic adversus *Pelagianos* epistolæ stylum commodasse, quam alteri contra *Eutychem*, eandem operam suam impendisse convincerent. Ut ergò ex hoc probationum genere quid irrefragabilius eliciamus, necessum omnino est, ut pristini servantes moris adducamus in medium quæcumque hanc ipsam inter Epistolam ad *Flavianum*, de qua res est, & alia *Prosperi* scripta deprehendimus planè similia. His enim semel prolatis, atque probatis, ex omni parte stabit quidquid in hoc argumento retractare destinamus.

Quam *H. Norisius* validè pugnare contendit.

Validius argumentum instauratur ex styli comparationibus.

IV. Collationes inter stylum epistolæ & opera prosaica *Prosperi.*

Ex Epistola ad Flavianum.

1. Lectis dilectionis tuæ literis, *quas*, &c. Et quæ priùs videbantur *occulta* nunc nobis *reserata* patuerunt.

2. Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cùm ad cognoscendam veritatem aliquo *impediuntur obscuro*, non ad Propheticas voces, non *ad Apostolicas* literas, nec ad Evangelicas *autoritates*.......

3. Nec volens ad promerendum intelligentiæ lumen in SS. Scripturarum *latitudine* laborare.

4. Quibus tribus sententiis *omnium* hæreticorum *machinæ* destruuntur. Cùm enim, &c.

Ex aliis Prosperianis *excerptis.*

1. Consideratis definitionibus tuis, non est *occultum*, quantum, &c. con. *Collat.* c. 33.

1. *Reseratis* definitionibus tuis, *quas* hactenus, &c. non obscurum, neque ambiguum est. *Ibid.* c. 39.

2. Sicut qui sanctam atque *Apostolicam* doctrinæ tuæ *autoritatem* antea sequebantur intelligentiores...... ita qui persuasionis suæ *impediebantur obscuro*, aversiores recesserunt. Ex Epist. ad *August.* initio.

3. Ad revelatæ nos gratiæ *latitudinem* conferamus. Resp. ad Object. 8. *Gall.*

4. Hujus sententiæ soliditate, *omnia* hostilium reliquiarum *machinamenta* confregeras. cont. *Collat.* c. 33.

4. Tunc hostium *machinæ* fractæ sunt, cum, &c. *Ibid.* c. 41.

Primo huic epistolæ schemati : lectis literis, *quas*, &c. non conformius ex altero respondere potuerat *Aquitanus*, quàm utroque sermonis adverso contextu : *Consideratis definitionibus tuis*, &c. Et : *reseratis definitionibus tuis*, *quas*, &c. Quo in pronominis nexu, quid etiam latet, & perspicitur. Tum consequenter : *quæ videbantur occulta*, *reserata patuerunt*, &c. per hæc similia tam aptè redduntur : *non est occultum*, &c. Et *non obscurum*, *neque ambiguum est*. Oppositio denique eadem, & omnes vocum proprietates uni textui servientes, alteri communes sunt.

V. Animadversiones.

2. satis hinc inde resplendet affectata locutio : *impediuntur obscuro*. Sed nec sola eandem venam spirans, nam & : *Apostolicæ literæ* & : *Evangelicæ autoritates*, &c. ad *Apostolicam doctrinæ autoritatem* idoneè alludunt, quam & sæpius habet in ore *Prosper*, singulariter in epist. ad *Ruffin*, ubi : *Apostolicæ Evangelicæque doctrinæ* non semel meminit, & alibi passim.

Affectatæ locutiones.

3. Nec ulla forsan expressior adduci potest loquendi formula, quàm hæc est : SS. *Scripturarum latitudo*, Et : *revelatæ gratiæ latitudo*, ad designandam utriusque Testamenti autoritatem, quæ vox, *latitudinis*, adeo concocta videtur, ut eam nonnisi unius stomachus eructare potuisse penè videatur.

4. Ut in epistola, jam adductis Symboli autoritatibus, tandem definitur : *quibus tribus sententiis omnium machinæ*, &c. Ita & hunc orationis contextum, ratiociniique methodum insequens, seu aliàs insecutus *Prosper* dixit : *hujus sententiæ soliditate machinamenta*, & alibi : *machinæ*, &c. Quæ aliæque nervosæ sunt voces, & *Aquitano* singulares. Sed nunc aliâ viâ incedendum nobis est, in examine secundi capitis epistolæ, quod subjicimus.

Ex Epistolæ serie.

VI. Aliæ collatiores inter stylum Epist. & opera poëtica.

1. Cùm enim Deus *omnipotens*, & æteruus creditur pater, consempiternus eidem filius demonstratur, in nullo à Patre differens, quia de Deo Deus.

2. Quæ nativitas temporalis illi nativitati Divinæ *nihil minuit*, nihil contulit, sed totum se reparando homini, qui erat deceptus, impendit. Ut & mortem vinceret & *diabolum*, qui *mortis* habebat imperium, suâ virtute destrueret.

3. Non enim superare possemus peccati & mortis autorem, NISI naturam nostram ille susciperet, & suam faceret; quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere.

4. Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum matris *virginis*, quæ ita illum salvâ virginitate edidit, quemadmodum salvâ virginitate concepit.

Ex Epigram. 64. Prosperi *de Incarnat.*

1. Omnipotens *Genitor, Natusque & Spiritus unus,*
Una in personis par tribus est Deitas.

1. *Heic uno disticho contrahuntur, quæ fusiùs in Epistola retractantur.*

2. *Quæ genus humanum prostratum fraude maligni,*
Ad vitam hâc fecit posse redire viâ:
Naturæ ut nostræ Christus causæque Redemptor
Mortalis fieret, non minuens *quod erat;*
Perque habitum servi vacuaret jura tyranni,
Et lethum *letho vinceret innocuo.*

3. *Nam quis ventura quemquam salvabit ab ira*
Quive hominis primi crimine liber erit,
SI *Deitas Verbi non nostræ est insita carni,*
Aut Christus falsi corporis umbra fuit?
Qui genitus. . . .

4. *Qui genitus puer est intacta* virginis *alvo, &c.*

Adduximus *Prosperum* mirè cum hac epistola hucusque concinenrem, at hunc pedestri stylo tantùm loquentem, nunc eundem reducimus ipsius rursus epistolæ argumentum numeris poëticis retractantem, quique legibus licet aliis & paullò durioribus adstrictus sit, nihilo tamen secius proposita schemata egregiè consequitur. De primo notatum est supra.

VII. Animadversiones.

At in secundo, sensuum & elocutionum vestigia collucent hinc inde splendida, nam 1. Ut hæc nativitas temporalis *nil minuisse* nativitati Divinæ pronuntiatur, in Epistola; ita Christus mortalis factus, *non minuisse qnod erat* asseritur in Carmine. 2. Illeic hominem qui erat *deceptus* reparandum exprimit: heic: *genus humanum postratum fraude maligni* dicit, & *epigram.* 61. jam eodem usus verbo, scripserat: Christus miserans *deceptum* fraude, &c. 3. utrobique idem finis celebrandus assumitur; quemadmodum enim impendisse se Christus declaratur, *ut mortem vinceret, & diabolum qui mortis habebat imperium suâ virtute destrueret*; sic omnino ex altero reclamatur: *perque habitum servi*, &c. *Et lethum letho vinceret innocuo.* Quâ elocutione, iterum in carminis ejus serie usus est *Prosper*, his scilicet: *Quis nostri generis carnem cum morte receptam nostra, hosti, ut nobis vinceret, opposuit*: ubi hoc verbum, *vinceret* rursus usurpatur; tum *mors*, & *hostis* pro diabolo.

In tertio membro nil me magis occupat, & ut ita dicam abripit, quàm ista communis utrinque transitio: *non enim superare possemus mortis autorem*, NISI *naturam nostram ille susciperet* & suam faceret, &c. nam ista nescio quid ejusdem venæ præfert quàm expressissimum: *nam qui ventura quemquam salvabit ab ira*, SI *Deitas Verbi non nostræ est insita carni.* Et quidem in illis particulis, SI, & NISI, sunt quædam ejusdem conceptus vestigia, quibus non semel aliàs inhæret *Prosper.* Porrò & alibi notavimus eidem esse familiarem hanc formulam: *suam facere*, quam adhibet epistola; dum Capitulorum proœmium expendebamus.

Communis utrinquæ characteristica transitio, &c.

Pro quarto concordat egregiè series carminis cum epistola & hoc carmine: *Qui genitus puer est intactæ virginis alvo*: totum id exprimitur, eodemque sensus tenore, quod hæc reddunt: *conceptus quippe intra uterum Virginis*, &c. Sed ad pedestres comparationes in serie Literarum animadversas redeamus, sunt autem hæ:

Ex Epistolæ serie.

VIII. Comparationum series.

1. Sed si de hoc Christianæ fidei fonte purissimo *sincerum* intellectum haurire non poterat, quia splendorem *perspicuæ* veritatis obcæcatione propriâ tenebrarat. . . . . .

Gen. 12. 3. & 22. 18.

2. *Ad* Propheticas quoque paginas piam solicitudinem *contulisset* & inveniens *promissionem Dei* ad Abraham *dicentis*: *in semine tuo benedicentur omnes Gentes*. Et ne de hujus seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum dicentem: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus*, &c.

Gal. 3. 8.

3. Sed non ita nobis intelligenda est illa generatio singulariter *mirabilis*, & mirabiliter singularis.

Ex aliis Prosperianis *operibus.*

1. Audet quisquam *perspicuæ sincerissimæque* sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? &c. con. *Collat. in fine.*

2. *Ad* revelatæ nos gratiæ latitudinem *conferamus*, dicamusque. . . . . Audiamus quoque ad Abraham *promissionem Dei dicentis* : *in semine tuo benedicentur omnes* tribus terræ. Et si filii promissionis sumus non hæsitemus diffidentiâ, sed cum patre nostro Abraham demus gloriam Deo & plenissimè credamus, &c. Resp. ad 8. *Gallor.*

3. Beatissimo Papæ ineffabiliter *mirabili* incomparabiliter honorando. Item ineffabiliter *mirabilis*, & incomparabiliter, &c. ex epist. ad *August.* initio & in fine.

1. In his prioribus schematis *perspicuæ*, *sinceræ*, *purissimæque* sunt formularum similitudines, nec illis quisquam debet *nubem obliquæ obscuritatis obtendere*, aut, *splendorem perspicuæ veritatis*, *obcæcatione propriâ*, *tenebrare*. Ut quid ergo adjicerem hanc postremam singularemque vocem, *tenebrare*, rursus penes *Prosperum* in *Psalmorum* expositione non semel legi.

IX. Animadversiones.

2. In istis non est tam singularis idem membrorum contextus: *si* ad Propheticas paginas solicitudinem *contulisset*, &c. Et ad revelatæ nos gratiæ latitudinem *conferamus*, &c. quàm singulariter notanda est ex his illapsio in eandem autoritatum Scripturæ seriem; quæ, quasi dato signo, aut quadam invisceratâ proclivitate, ex his præmissis derivant, & cum ipsissimis interdum citandi formulis consequuntur. Ista siquidem utrinque splendida est: *inveniens promissionem Dei ad Abraham dicentis*: in semine, &c. *atque*: *audiamus ad Abraham promissionem Dei dicentis*: in semine, &c.

Eædem in citandis Scripturis formulæ.

3. Quàm bellè rursus concinunt antitheses istæ: *singulariter mirabilis*, &c. Et, *ineffabiliter mirabilis!* Quàmque istis jam assuetus erat *Leonis* Notarius, ut vel ex sola patet ad *Augustinum* epistola, his initiata, clausaque formulis. Nec in alias comparationes excurrimus adispiscendas, quas relatis schematis exhaustas, si quis ambigeret, alias subjungeremus locutiones, quales hæ sunt: *diabolus gloriabatur hominem sua fraude deceptum*, &c. quibus hæ *Prosperi* præiverant: *hæc servitus judicium est Dei*, *quo fraus deceptoris diaboli facta est decepto*, *& male credulo homini*, &c. ex resp. ad 8. object. *Vincentii*. Item & illud: *Eutyches verò caligans circa naturam corporis Christi*, &c. quod alludit ad hæc contra *Collator.* dicta: *ita ne in omnibus intelligentiæ caligat obtutus*, &c. quo verbo significantissimo, *caligare*, iterum usus erat *Aquitanus* epist. ad *August.* & alibi alia incurrerent tam feliciter conferenda. Sed hactenus adducta peremptoria sunt, & luce meridianâ clariora, adeo ut plusquam nativis lineamentis, hæc *Leonis* epistola, pro ejus, quem ab epistolis assumpserat *Aquitanicæ regionis hominis* partu, ut ait *Gennadius*, agnoscenda deinceps sit, & pro vindicata, reputanda.

Aliæ item singularissimæ.

Porrò si ipsa prior & celebrior ad *Flavianum* data, in causa *Eutychis* epistola, *Prosperiano* stylo concinnata ultro hactenus apparuit; non est cur tantùm chartæ, atque operæ impendamus in aliarum hujus argumenti literarum comparatione, ut Antiquorum etiam in hoc fidem liberemus. Nam prima ad Epis-

X. Si epistola ad *Flavianum* à *Prospero* dictata, quantò plus aliæ in hac causa datæ?

copum Constantinopolitanum allocutio, uti ceteris prolixior fuit, ita omnes aliarum autoritates, & locutiones occupavit, ut hæ omnes ad illius normam exactæ videantur. Et si quæ minutula in elocutionibus diversa complectuntur, tales prorsus in *Prosperi* scriptis expiscari non esset operosum. Exemplo sint ista epistolæ 13. seu 27. ad *Pulcheriam Augustam*, ubi de *Marciano*, *Leo*, sic habet: *Augustissimus verò, & Christianissimus Imperator cupiens quàm celerrimè* TURBATA COMPONI, &c. Quis enim non videt hæc è *Prosperi* calamo fluxisse? qui epistolâ ad *Augustinum* jam dixerat, *quasi hoc specialiter studueris, ut quæ apud nos erant* TURBATA COMPONERES. Et in peroratione contra Collat. *ut donec Dominus per Ecclesiæ principes, quæ sunt* TURBATA COMPONAT. Insignis item est locus ejusdem ad *Pulcheriam* epistolæ: *siquidem perfecta confessio, quæ* XII. *Apostolorum est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint* GLADIO DETRUNCARI, &c. iis enim hæc omnino respondent, quæ *Prosper* c. 41. contra *Collatorem* scripserat: *Quando decretis Africanorum, beatæ recordationis Papa* Zosimus *sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum* DETRUNCATIONEM GLADIO *Petri dexteras omnium armavit antistitum.* Siquidem utrobique ex unius, aut plurium sententiis, vel decretis, quasi *gladius* exacuitur, quo *impii*, vel, *hæretici detruncantur*: quæ sunt adeo propriæ, exquisitæque loquendi formulæ, ut omnem alterius imitationem supergrediantur. Quàm autem hæc esset *Prospero* familiaris, docemur ex altero ad *Ruffinum* epistolæ loco, ubi in hunc planè sensum de *Augustino* loquens, ait: *habens etiam hanc scientiæ & sapientiæ, ex Dei caritate, virtutem, ut non solùm istam adhuc in suis* DETRUNCATIONIBUS *palpitantem, sed etiam multas prius hæreses invicto verbi* GLADIO *debellaret,* &c. Ubi iterum & stringitur idem *gladius*, & *detruncatio* non ablegatur.

Id ex aliis styli collationibus cumulatè probatur.

XI. *Gallicanæ Ecclesiæ decoris peropportuna memoria.*

Sed nec illa citò ableganda est, nam dum hoc ævo corruptissimo ne dicam! an beatissimo! quæ in verbis ac vocibus componere studeo, in re factisque resurgere tam dissitus licet inaudio, ut ab nudo cortice ad sensuum medullas paullulum divertam, oppidò me pertrahant rediviva ista prodigia; prodigia scilicet, quibus hanc Africani Antistitis in Hæreticis, scriptorum efficaciâ, revincendis laudem, Religiosum Galliæ nostræ Præsulem non fugisse jure meritoque jam congratulatur Orbis Catholicus. Quippequi hanc ipsam *habens scientiæ & sapientiæ,*

pientiæ, *ex Dei caritate*, *virtutem*, unicâ, ingenuâ, simplicissimâque S. Ecclesiæ doctrinarum ac mysteriorum expositione, *Calvinianam* hæresin LUDOVICI MAGNI suæ singularis, avitæque pietatis zelo, aut jam enectam, *aut suis adhuc in* DETRUNCATIONIBUS *palpitantem*, non modò velut malignantem Ægyptium consepelivit, sed etiam cunctas Protestantium omnium sectas atque scissuras, hoc *invicto verbi* GLADIO, singulis Catholicis tradidit in futurum debellandas, atque prostrandas. Regis ergo Christianissimi, centum supra quinquaginta annis [1] MAGNUM DIEM *imponere* destinantis piis votis favente Numine, & aliis, etiam divinæ gratiæ nocentissimis hostibus conterendis, cum *Duce Aurelio* suos etiam *Cyrillos*, *Atticos*, *Evodios*, *Herotes*, *Lazaros*, ac *Hieronymos*, ad hoc inexpectatum opus, eidem providè suppeditante, aliam insuper, quam omnium ætatum gentiumque præconiis celebratam semel olim exhibuit potentiæ suæ virtutem, in sanctissimo Trimithuntis è Cypro Pastore, qui insidiosissimum Sophistam Nicænæ I. Synodi Catholicis agminibus insultantem, nudâ confessionis declaratione, *quæ duodecim Apostolorum est signata sententiis*, convicit atque [2] persuasit: hanc eandem gratiam, inquam, D. O. M. Augusti Principis intuitû suscitavit, ampliavit & perennavit, in altera totidem [3] *Apostolicorum signata* suffragiis professione Gallicani Meldensium Episcopi, qui Serenissimi DELPHINI studiis tum præfectus, conceptum regiis in ædibus segreges adunandi nobile propositum in hocce libello divulgans, continuò omnis generis ac status, omnis ætatis ac sexus, omnis regionis ac communionis: seu doctorum scientiâ tumentium: seu indoctorum suâ de pervicaciâ sibi blandientium *pedes direxit in viam pacis*, aut in quam tutò deinceps dirigi possent splendidissimè demonstravit. Nec enim uspiam *extinguetur in Israel lucerna* illa, cujus fulgoribus, ut jam vidimus innumeros in tenebris & umbra mortis sedentes, solum vertisse perfusos, & gregi Dominico, plaudentibus Angelis, restitutos: ita & quandoquidem *oportet hæreses esse*, advertent usque ad Oraculi Pontificii consummationem seri nepotes [4] ETIAM AB INVITIS EXTORQUERI CATHOLICÆ VERITATIS CONFESSIONEM, & his radiis ita perpetuò collustrari, ut in castra nostra nunquam regredi desistant errones. Nec dubitabunt tandem ulli, quin hæc Catholici Galli Præsulis, Apostolici, seu Romani vox sit, quippe qui confessionem istam SUAM FECIT & Apostolicæ Sedi oppigneratam definivit, CUM EAM iteratò COMPROBAVIT S. D. N.

1. *Tacit.* in *Agricola*.

2. Adjecto jure jurando se non sine Numine divino mutarum esse, sed etiam virtute quadam inexplicabili, ad Religionem conversum. *Sozom.* l. 1. c. 18.....

3. Illustriss. Gallis Presulib. 11. accessit 12. Paderbon.

4 Ita Literæ *Innoc.* P. XI.

INNOCENTIUS XI. Pont. Max. Unde & ille ex quo Meldensis Sacerdotis susceptis atque recognitis in Paterna Traditione singulis expositionis capitibus, SENTENTIÆ SUÆ ROBUR ANNEXUIT, rursus ac iterum GLADIO PETRI DEXTERAS OMNIUM ARMAVIT ANTISTITUM. Et ita tum quidem omnes, nam qui *flagrantiùs fidei causam exequebantur* NOSTRI, hanc Professionem *Calvinianis*, per verbi ministros, exponendam edixerunt in Comitiis adunati: Exteri eandem patriis linguis vertendam procurarunt, ut hoc *ancipiti* jam facto GLADIO, ITERUM PROSTERNERENTUR, QUI COGNATIS CONFOEDERANTUR ERRORIBUS. At his tandem feliciter exantlatis, nil opus fortasse fuisset, eorum omnium VARIATIONES, haud fucato illorum penicillo retractare, nisi hâc perpetuâ proprii *arietis* ILLISIONE *pulsandos*, ejusque vi omnibus *eorum machinis*, ante disturbandis atque *frangendis*, quàm vel minima ex parte consurgant, certum meritò fuerit augurium citiùs reversuros, quando *non sinuntur* RESPIRARE semel *victi*. Quod ut primùm iis, qui EXULARE à patria & VERITATE, QUAM beneficentissimi Principis clementiâ, CIVES florentis Regni & ECCLESIÆ ESSE MALUERUNT, primùm bene vertat, ex animo precamur eum, à quo manat omne donum, cuique proprium & *aversas & adversas hominum ad se convertere voluntates.*

Aug. c. 23. de dono Persev.

Jam ut ad *Prosperum* redeamus, cujus tamen nobis semper in hoc diverticulo rediere voces, ac revixere sensus, altiùs propterea signati, hæc est locutionum illius series in epistola 15. vel 29. ad synodum, ubi utitur *Leo* loco epistolæ ad *Philippenses*, hâc cum paraphrasi: *Tu qui verè es filius hominis, idem vere es filius Dei*, & post aliqua: *ut abolito hoc qui natus videbatur errore, in laudem & gloriam Dei, per totum mundum una sit fides, & una eademque confessio & in nomine* JESU *omne genu flectatur cœlestium terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus* JESUS CHRISTUS *in gloria est Dei Patris.* At non solum hunc ipsum locum sæpè sæpius occupat *Prosper*, & iisdem quandoque verbis, ordineque describit, sed hunc omnino præfatæ explicationis sensum exprimit. Nam *Psal.* 109. vers. 1. ait: *nos autem Evangelio ipsius veritatis novimus* JESUM CHRISTUM *& filium esse David & Dominum*, &c. *illud enim quod tum est ex semine David, ita honoratum est, ut ei cùm esset filius, esset & Dominus; secundùm enim hanc dispensationem etiam ab Apostolo de Christo dicitur: propter quod eum exaltavit à mortuis, & donavit*

illi nomen, &c. Iterum & in *Psal.* 137. & *Psal:* 149. v. ultimo hæc præcipuè: *sanctorum gloria hæc est, ut totus mundus subjiciatur Deo & divinis legibus, quarum justitia uniformiter ubique conscripta est, simili observantia serviatur, ut ubique, cantetur canticum novum, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jesus-Christus in gloria est Dei Patris.*

Vides satis in utroque schemate, quàm procliviter in epistolæ sensum illabatur *Prosper*, nam utrobique cum de Christi secundum carnem nativitate loquitur, ad hanc mentem ait: *J. C. filium esse* DAVID *& Dominum*, ut ex adverso dicitur: *filius hominis & filius Dei.* Quæ ratiocinationes eàdem Scripturarum autoritate solidantur, atque clauduntur; sed in postremâ explicatione propiùs imitatur epistolarum conceptum, ut *in laudem & gloriam Dei per totum mundum una sit fides*, &c. ubi dicit: *ut totus mundus subjiciatur Deo... Et ubique cantetur canticum*, &c. Quæ quia clariora sunt, non persequimur.

Nam si his diutiùs inhærendum, non parum conferret alîus generis formulas, quas transitiones vocant, in medium adducere; ex his enim etiam styli similitudo plenè secernitur, ut sunt istæ: *sufficienter, quantùm arbitror, explicatum est*, &c. epist. 15. *Verùm quia etiam talium non est negligenda correctio*, &c. quibus hæ perpetuò respondent: *sufficienter, quantùm arbitror, demonstratum est*, &c. contra *Collat. &* alibi. Tum: *non est ergo negligendum hoc malum*, &c. ibidem. Et alia sunt hinc inde alibi passim, quæ sublegere nec vacat, nec libet; nam & ex his ceterisque superiùs congestis, *sufficienter* iterùm, *quantùm arbitror*, explicatum demonstratumque est, Ab antiquis jure meritò traditum & concorditer annuntiatum, quòd: *epistolæ quoque* Leonis *adversùs* Eutychem, *de Christi Incarnatione à* Prospero *dictatæ creduntur.*

Transitiones formulæque hinc & inde assumptæ.

Et ut puto quidem, nullus deinceps circa istud remanebit scrupulus, sed magis demirari subit, cur & aliquando natus, & tandiu post ortum remanserit? quot enim & quantos sola purpurati Doctoris autoritas in hanc sententiam non abduxit? ne quid de illius erudito scholiaste commemorem, cui alii succinere debuerunt, & audio alios passim in hanc opinationē esse proclives. Id, inquam, admirationem movet, namque, si quod certum est, & à nemine uspiam negatum, *Leoni Prosperum* ab epistolis fuisse, seu, ut aïunt Antiqui, *Notarium*: ut non putant viri illi eruditi, tantum virum, & *horum temporum*, ut vocat Scaliger, *doctissimum*, rudis exscriptoris & no-

XII. Causæ *Prosperi*, & Veterum fidei mirè favent rationes & exempla.

vitii amanuensis vices explesse; resque adeo clamat ipsum è contra occupatissimo Pontifici in curarum solatium, & juvamen accessisse, qualem antea *Damaso* legimus datum esse *S. Hieronymum*; si ita res est, quid insolens, ut quas partes obtinebat complens, & officio cui præerat incumbens *Prosper*, suomet stylo elucubrarit epistolam, ad Patriarcham Constantinopolitanum transmittendam? ut & alias pro data occasione conscribebat. Hæc autem ceteræque omnes non minùs *Leonis* dici debuerunt literæ, quàm si ab ipsomet dictatæ fuissent, atque digestæ, ex quo scilicet Pontifex eas concinnari jussit, concinnatasque, ut par erat, sed heic præcipuè, recensuit, suoque nomine transmisit. Et quidem si *Prosper* ipse Africana Concilia, Romanorum Pontificum sententias asserere non dubitat, simul ac illas approbarunt: *quas utique*, inquit, præfatione ad X. Capitula, *suas fecerunt Apostolici antistites, dum eas comprobarunt*, &c. quantò magis epistolam illam ad *Flavianum*, aliasque quotquot, *Leonis* sui cum omnibus esse censuisset, quæ (sic nominis ejus, autoritatisque præsidiis suffultæ prodiissent? Sed hæc adeo perspicua sunt, & usû tam veteri, quàm recenti comperta cunctis & explorata, ut nullâ majori luce perfundi posse videantur.

Erat ab Epistolis *Leoni*, *Prosper*,

Quod superest, ne citò ab *Hieronymo* divertamus, ex cujus utique facto *Aquitanus* noster in epistolis contra *Eutychem* datis magis ac magis internosci poterit: splendidum illius Bethleemitici Doctoris hac de re, subjici convenerit testimonium, quod tale reliquit, epistolâ ad *Gerontiam* nostram (Provincialis enim erat) quæ *de monogamia* inscribitur: *ante annos plurimos*, inquit, *cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis Episcopum & Orientis, & Occidentis Synodicis consultationibus* RESPONDEREM. Ex hoc siquidem testimonio satis superque convincitur Romanos Pontifices, ex tunc saltem, viros Ecclesiæ doctissimos accersere cœpisse; qui sibi in edendis istiusmodi responsionibus adjutores existerent. Sed id plus exprimit *Hieronymus*, se scilicet suomet stylo, *Damasique* nomine Synodorum consultationibus respondisse. Quæ profectò erant potiora sedis Apostolicæ, præsulumque pro tempore sedentium monimenta, in quibus utique, non secùs ac in epistolis contra *Eutychem* datis, vel unus apex seriò expendi, & quotquot syllabæ, æquissimâ judicii lance, trutinandæ erant. Quæ enim ab Apostolica Sede prodibant responsa, consultationibus Synodorum apposita, in disciplinæ Canones, vel fidei

Ut *Hieronymus Damaso*.

dogmata ut plurimùm transivisse quis nesciat?

Porrò si *Damasus* sedem Romanam occupans tot tantisque distentus est negotiis, ut assidentem sibi doctorem, quîcum curas partiretur, vel in quem omnes istiusmodi, quæ responsiones dandas spectant, remitteret, habere fuerit necessitas; non leviores deinceps, tempestate *Leonis*, ursere causæ, quamobrem talem sibi operæ subsidiarium accersere magno studio procurasset. Namque si ad hæc præstanda, facultas *Leoni* non defuit, tam parum hæc desiderabatur in *Damaso*, quem ingenio & elegantia in edendis versibus polluisse laudat *Hieronymus* cap. 103. de *scriptoribus Ecclesiast.* quos inter illum honorificè recenset. Sed in eo forsan occupationibus implicatior *Damaso*, *Leo*, quòd longè turbatiori ævo degerit & Italiam non solùm hæreticorum, sed & bellorum calamitate vexatam sustinuerit, proque tot malis abigendis labores incredibiles exantlarit. At si *Hieronymus Damaso* ab epistolis existens Synodicis ad Romanam Sedem delatis consultationibus suas responsiones, Pontificio nomine, subjecit, cur & *Prosper* eidem officio præpositus, eadem obire munia non debuit, ut ejus à quo vocatus erat nomine Pontificis, contra *Eutychianam* hæresin ad Orientales responsa dederit? Quod solo ex munere cui præerat tam consentaneum est judicare, ut è contra penè singulare videretur, si talis cùm esset, his libellis operam accommodare jussus non fuisset.

XIII. *Leoni* quamlibet erudito Pontifici non minùs quàm *Damaso*, vir doctus ab epist. assidere debuit:

Ob negotiorum molem & consultationum ex toto Orbe frequentiam.

Quòd si jam extarent epistolæ ab *Hieronymo* ad Synodos datæ, (quæ omnes tanto rerum Ecclesiasticarum notitiæ detrimento interciderunt) ut nullius veniret in mentem harum artificem *Damasum* vindicare, quantumvis ejus nomine circumferrentur; sed, citra ullum Pontificii decoris decrementum, pro doctissimi Notarii sui germano partû susciperentur & laudarentur; nec similiter *Leonis* gloriæ quid prorsus derogatum iri, quisque posthàc censere debet (modò mens læva non fuerit) si viri, Pontifici ab epistolis, & consiliis, ejusque doctissimi consultissimique, epistolæ esse pronuntientur illæ, quas ejus genuinum stylum exhibere jam ostendimus, & ipsiusmet esse, mirâ insuper consensione docuere Majores. *Baronius* certè perspicax scriptor, & quem saltem, his quæ Ecclesiæ Romanæ, vel ejus Præsulum decorem augent, vel imminuunt, minùs intentum extitisse nemo jure dixerit, tantum abest, ut allatum *Hieronymi* de se testimonium ullâ restrictione, vel interpretatione uspiam temperet; quales non raro alias ejus dictis

XIV. Epistolæ & consultationes illæ uti *Hieronymi*, ita & *Prosperi* partus dici potuere.

adhibuit, ut è contra illud ipsum omninò complectatur & extollat. Sic enim ad annum 382. N. 24. Ubi S. Doctoris verba retulit, hæc de suo subjungit: *sed periere hæc omnia, cum ipsis Conciliorum actis, tam egregia monumenta Hieronymi.* Audis, Lector æquissime, has epistolas, & responsiones *Damasi* nomine scriptas, uti *egregia Hieronymi monumenta* ab Ecclesiæ Annalista luculenter censeri: sed nec illum animadvertimus refragantem his quæ à *Gennadio*, aliisque laudatis Scriptoribus asseruntur, cùm *Leoninas* contra *Eutychem* exaratas literas à *Prospero* dictatas esse tradunt.

XV. Pro istis ipsis insig. *Bellarmini* suffragium.

Verùm enim verò *Bellarminus* ipse, quem paullò antea nobis adversantem sustinuimus, nostram nunc *Baroniique* sententiam, ambabus, ut aïunt, ulnis suscipit, & momentis adstruit, solidatque quàm maximis; ita enim libri sui *de Scriptoribus Ecclesiast.* præfationem concludit: *illud postremò admonendum esse censui, me in hoc catalogo non posuisse Pontifices Romanos, qui solas epistolas ediderunt, nisi quando probabile fuit, eas epistolas ab his, vel dictatas fuisse, vel scriptas. Siquidem epistolæ Pontificiæ*, UT PLURIMUM, *non partus sunt ingenii* Pontificum, SED EORUM, QUI AB EPISTOLIS, *illis sunt. Certè* S. Hieronymus *in epistola ad* Gerontiam de Monogamia, *testatur se juvisse* Damasum P*ontificem in chartis Ecclesiasticis, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus respondisse. Ex quo intelligimus epistolas illas partum* Hieronymi *fuisse, non* Damasi. *Sanctus quoque* Gregorius *Autor est insignis epistolæ, quæ sub nomine* Pelagii 2. P*ontificis habetur, post quintam Synodum generalem. Erat enim* S. Gregorius Pelagii P*apæ diaconus, eumque juvabat in chartis Ecclesiasticis, ut* Hieronymus Damasum. *Constat etiam Epistolam* Alexandri 3. P*ontificis ad Soldanum Iconii, non ab* Alexandro, *sed à* Petro *Blesensi fuisse compositam. Quod* IDEM DE MULTIS *aliis affirmare possumus.* Hæc pro coronide *Bellarminus*, quæ cùm tam accuratè præmonuisset, eò mirabilius est, suam *Prosperi* personæ non aptasse regulam, & illi neutiquam adscripsisse, *quod de aliis multis affirmari posse* præstabat: & tantò quippe mirabile, quòd ejus penes *Leonem* munium memorans, multaque præclarè scripsisse testans, pronuntiavit insuper, libros *de Vocatione* verè & *manifestè* esse *Prosperi*; nam & in horum cum epistolis collatione, multam invicem cognationem animadvertere poterat; quam nos tamen ne apparemus, facit tum fides initio data, tum adductorum pleno copia cornu.

Multimodis exemplis illustratum.

Sed in præscripta sua generali regula, nostram quadantenus

sententiam commendatissimus scriptor involvit: nec adeo magis *Leoni Prosperum*, quàm multos alios tam sanctis & eruditis Romanis Præsulibus assessores extitisse, qui *Synodicis consultationibus* & pro tempore exurgentibus gravissimis negotiis Pontificio nomine responderent, contradicere censendus est *Bellarminus*; quando è principiis illius, rationes nostræ sic necessariò consequuntur. Atque hinc insignibus in omnem partem exemplis edi scitur, quantùm Principibus Viris, conferat esse solicitis, homines secum assumere doctrinâ præcellentes, qui ita radios suos patronis infundunt, ut his quibus jam enitent fulgoribus licet gloriosi, horum etiam adjectitio quamlibet splendore, internè coruscent. Quod certé, si ulli uspiam, *Leoni* contigit ad miraculum; quippe qui solius ad *Flavianum* epistolæ conscriptione, suo factâ transmissâque nomine, plus forsan famæ nominisque sibi comparavit, quàm aliis cunctis toto Pontificatû tam præclarè gestis: quæque quamvis immensis laudibus ævum omne meritò concelebrarit, nusquam tamen encomia illa cum his conferri poterunt, quibus omnis Ecclesia sacrum illud fidei suæ complexa, prosecutaque est monumentum.

XVI. Residuæ *Leonis* epistolæ venâ *Prosperianâ* respersæ.

Cùm igitur quæ ex Antiquorum & Recentium autoritate constabilivimus, etiam ex *Bellarmini* regulis, atque glossematis certiora fiunt, haud scio an tantis vadibus, ductoribusque stipatus, quid porrò ulteriùs circa residuas *Leonis* epistolas liceat inquirere, vel exploratum reserare: in multis siquidem, ne quid dissimulem, *Prosperianam* identidem venam deprehendi, quod ejus styli comparationem & examen aggredi coacto non poterat sæpiùs non accidere. Et *Norisius* profectò qui *Leonis* literas ad *Aquileiensem* datas, ex unius loci collatione, *Prosperi* genium redolere subolfecit, ex aliis etiam id pleniùs percepisset, si pensiculatiùs explorare proposuisset. Hæc enim ejusdem epistolæ periodus: CUMQUE *omnes definitiones suas improbare se simulent atque deponere*, HOC *sibi, totâ arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt*, UT *gratia Dei secundùm merita dari accipientium sentiatur. Quæ utique nisi gratis detur*, NON EST GRATIA, *sed merces retributioque meritorum*, *dicente Apostolo*: gratiâ salvi estis per fidem, & hoc non ex vobis, &c. Hæc, inquam, periodus istis ex epistola ad *Ruffinum* aptissimè commensuratur, ubi *Prosper* de iisdem loquens, qui *Pelagianis* erroribus inficiebantur, ait: CUM *ergò totam justitiam hominis ex naturali vellent rectitudine, ac possibilitate subsistere, atque hanc definitionem doctrina sana respueret, damnatum à Catholicis sensum & multis*

Styli similitudo reducitur.

postea hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, HOC *apud se ingenio servaverunt*, UT *ad incipiendum, & ad proficiendum necessariam homini Dei gratiam profiterentur. Sed in hac professione quomodo vasa iræ molirentur irrepere*, &c. *ac si gratia Dei* SECUNDUM HOMINUM MERITUM *tribuatur, atque hoc modo* GRATIA NON SIT GRATIA: *quia si meritis redditur frustra gratia nominatur*, &c. Et post aliqua: *conversio ergo nostra ad Deum, non ex nobis, sed ex Deo est, sicut Apostolus dicit*: gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, &c..... Hæ locutiones *Prosperi*, superioribus, in his apprimè respondent. 1. Quòd utrobique, *definitionis* vox usurpetur, ad occultam *Pelagianorum* sententiam exprimendam. 2. Quòd eorum fraudis, versutiæque circuitiones eodem ordine detegantur. 3. Quòd similibus ratiociniis & dicendi formulis explodantur, utque supra: *quæ gratia utique, nisi gratis detur non est gratia*, &c. ita heic dicitur: *atque hoc modo gratia non est gratia, quia si meritis redditur, frustra gratia nominatur*. 4. Rursus hinc: *gratia secundùm merita accipientium dari*, &c. inde: *si gratia Dei secundùm merita hominum tribuatur*. 5. Eadem utrinque epist. 2. ad *Ephesios* assumitur autoritas. 6. Id insuper in utroque membri contextu simillimum elucescit, quod sic exprimitur: HOC *totâ arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt*, UT, &c. cui hæc egregiè commensurantur: HOC *apud se ingenio servaverunt*, UT, &c.

Ephes. 2. 8.

Sed & ejusdem ad *Aquileiensem* epistolæ initium, mihi in multis haud parum notabilibus concinere videtur *Prosperianæ* contra *Cassianum* præfationi; quod his separatis, ad solitum, tribus schematis pleniùs innotescet.

XVII. Aliæ utriusque styli comparationes coæquatissimæ.

1. Agnovimus *quosdam* pastoralibus excubiis nimiùm dormitantibus *lupos, ovium* pellibus tectos in *ovile Dominicum*, non depositis bestialibus animis, introisse.	1. Gratiam Dei *quidam* dicere audent, &c. quorum intus interstrepens domestica malignitas, non minùs spernenda esset.... nisi, ejectis extra *ovile Dominicum lupis*, sub nomine *ovium* suffragarentur.
2. Quoniam qui nullo sunt judicio suæ professionis obstricti hunc maximè expetunt fructum, ut sub velamento communionis plures domos	2. Siquidem habentes speciem pietatis in studio, cujus virtutem diffitentur in sensu, trahunt ad se *multos* ineruditos, & non habentia spiritum

adeant

adeant & per falsi nominis scientiam *multa corda* corrumpant.

discretionis *corda* conturbant.

3. *Ne ergo* hoc ulteriùs.... neve *per quorumdam negligentiam* introducta pernicies ad eversionem multarum tendat animarum..... nunc saltem posteaquam *hyprocrisis* eorum ex quadam parte *detegitur.*

3. *Non ergò negligendum* est hoc malum, quòd ab occultis pravisque seminibus augetur quotidie..... Sed studendum est, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum *detegatur hyprocrisis. Item in peroratione habet : per quorumdam* imperitiam.

XVIII. Animadversiones.

In his tribus selectis, & cohærentibus hinc inde membris, malæ artes errantium, & mirâ affinitate invicem conjunctorum simili per omnia technarum artificio gradientes manifestantur, & cohiberi curantur. Omitto quæ in hanc vocem : *Quidam*, non absque mysterio & in istis assumptam, fusiùs alibi notata sunt, ad istiusmodi doctores errones designandos. Sed jam 1. qui *lupi ovium pellibus tecti in ovile Dominicum* introeunt, aliis sub hac ipsa larva, quàm appositè comparati sunt : qui *post ejectos extra ovile Dominicum lupos, sub nomine ovium suffragantur :* ubi similes figuræ locutionesque abhibentur. Sed & illa epistolæ formula : *pastoralibus excubiis nimiùm dormitantibus*, &c. egregiè rursus occupata reperitur ab *Aquitano* epist. ad *August.* ubi ait : *excubante enim pro universis membris Christi vigilantissimâ industriâ tuâ*, &c. heic enim & excubiæ pastoris, eodem sensu, & dormitantibus, *vigilantissima industria*, ad integram imitationem, opponitur.

2. *Pelagianis qui sub velamento communionis plures domos adeunt & per falsi nominis scientiam multorum* CORDA *corrumpunt*, quinam magis re & locutione congruunt, quàm illi, qui *trahunt ad se multos ineruditos, & non habentia spiritum discretionis* CORDA *conturbant ?* Sed & aliis in locis *Prosper* his utitur epistolæ conceptibus, ut cùm in præfatione contra *Vincent.* habet : *mendacia ingerenda multis publicè privatimque circumferunt*, &c. quæ certè prolatis supra respondent : *sub velamento communionis plures domos adeunt.*

3. Denique eodem fallaci spiritû utrinque percepto, Autor eodem etiam animo afflatus, iisdem verbis excitatur ad capessenda remedia, utque, NE ERGO *ulterius, per quorumdam negligentiam*, &c. ita & : NON ERGO *negligendum est hoc malum*, &c. Et deinceps : *eorum* HYPOCRISIS *ex quadam parte* DETEGITUR, &c. quæ per hæc redduntur : *ut eorum* HYPOCRISIS DETEGATUR. Superesset & ad alia spicilegium, sed hæc ultro sufficere putamus.

XIX. Emendatio textus *Adonis* ex conjecturis.

Hæc porrò epistola adversùs *Pelagianos* data, hæc est verosimiliter, quam *Ado* in Chronico inter eas adscribit, quæ à *Prospero* in persona *Leonis* dictata esse creditur, etsi eam ad *Eutychis* causam spectare perperam tradat, dum ait: *Sed & Prosper Notarius B. Leonis, à quo dictatæ creduntur esse epistolæ adversus Eutychem de vera Incarnatione Christi, & libero arbitrio malè sentientem.* Quò loci feliciùs forsan tentata esset à *Labbeo* lectionis falsissimæ restitutio, siquidem, ut asserit in Dissertatione sua ad *Bellarminum*, omnia expertus est *perturbatissima*, *& inquinatissima* in editionibus *Adonis*, quas adeoque ex MSS. Codd. & conjecturis emaculare destinabat. Unde in tot tantisque corruptionis præjudiciis, haud scio an legendum esset: *Sed & Prosper Notarius B. Leonis, à quo dictatæ creduntur esse epistolæ adversùs Eutychem de vera Incarnatione Christi*, & alios *de libero arbitrio malè sentientes.* Hæc enim saltem *Leonis* vitæ actis congruunt, & ex ipsis ejus adeo discussis *Dissert.* IV. literis, ultro perspecta sunt, quæ *Adonem* cùm non fugerint, proclivius esset errorem in frequentissimam illam amanuensium oscitantiam, quàm in *Adonem* refundere.

Et utcunque ex Mss. codd.

Sed ad conjecturam istam solidandam peropportunè nobis occurrunt duo Mss. Codices: nam penes hos, quasi fidelia oracula, arbitrium esse, seu securiorem viam ad lectiones obscuras & incertas elucidandas & determinandas quis nescit? Isti autem è Bibliotheca *Colbertina* proferuntur bonæ notæ Codices *Adoniani* Chronici, quorum prior n. 3518. istam lectionem exhibet: *sed & Prosper Aquitanicæ regionis Notarius, Beati* Leonis, *à quo* EDITÆ *creduntur esse epistolæ adversum* Eutycen *de vera Incarnatione Christi & libero arbitrio malè* SENTIENTES. In his sanè, quod jam initio notavimus, non omnino, ut alii præstiterunt, exscripsit *Gennadium* Viennensis Antistes. Nam 1. *Prosperum* B. *Leonis* Notarium nos prior edocuit. 2. Motam *de libero Arbitrio* quæstionem disertè recenset. Hoc commune habent edita Chronica: at iste ineditus quid majus suppeditat. Nam 3. *editas* à *Prospero* testatur epistolas, quasi *Gennadii* sensum magis determinare sibi proposuisset *Ado*. At 4. quod in re nostra gravissimum, non scribit ille *sentientem*, sed SENTIENTES, quæ dictio non ad *Eutychen*, sed *ad alios* necessariò refertur. Sed ut clariùs pateat rem per exemplatores non fortuitò consignatam, codex alter præfert SENTIENTIS, quæ quanquam corrupta censenda sit lectio,

magis tamen confirmat abfuisse ab Codd. literam *m* quæ singularem numerum indicat: imò & heic etiam pluralis numeri vestigia internoscuntur, cùm & Veteres *e* per *ei* constanter exprimerent, unde & ex *sentienteis* pronum fuit abjectâ literâ *e*, scribi *sentientis*.

Sed utcumque se habeant hæc, aliud ex epistolis adductum similitudinis exemplum subjicimus, quod suppeditat epistola 85. seu 7. ad *Altinensem* Episcopum, ad quem *Leo*, quod jam vidimus; ad *custodiam gregis Christi pastoralem curam diligenter exequeris ne lupi, qui sub nomine ovium subintrarunt, bestiali sævitiâ simplices quosque dilacerent.* QUOD NE VIPEREA *possit* OBTINERE *fallacia*, *dilectionem tuam*, &c. Ex his primum membrum quidem planè conformatur secundo *Prosperiano*: *ne ejectis*, &c. supra relato. Sed alterum in epistola consequens: *quod ne viperea*, &c. sublegimus huic ejusdem autoris nostri rursus comparandum: *non est devotionis dedisse penè totum, sed fraudis retinuisse vel minimum*? QUOD NE *hypocritarum* OBTINERETUR *insidiis*, *confidimus*, *ut sicut illi*... *lupos abegere manifestos*, *ita hic depellat occultos*, &c. lib. cont. *Collat.* in fine. Ut enim alia omittamus, transitio utriusque periodi per ejusdem usum formulæ: *quòd ne viperea possit obtinere fallacia*, &c. Et: *quòd ne hypocritarum obtineretur insidiis*: maximo omnium concentû sibi invicem respondet. Porrò & hæc epitheta: *viperea*, *vipereum* quàm familiaria sunt *Aquitano* utroque stylo disserenti? Sed in istis deinceps non est nobis copiâ laborandum, quæ satis peremptoriè ex jam prolatis consequuntur: si enim gravissimis quæstionibus oratione pertractandis, qualis erat *Eutychiana* hæresis, semel destinatus est *Prosperi* calamus, quis dubitabit ad alia quam multa tantam industriam sæpiùs adhibitam fuisse? Sanè hanc procliviter invaluisse sententiam pro sæculo suo decimoquinto in quo scripsit, satis locuples est testis *Jo. Trithemius*, qui suo in Catalogo de *Prospero* sermonem persequens non jam duntaxat literas in causa *Eutychis* datas eidem adscribit, sed indefinitiùs loqens habet: *Hic B. Leonis quondam Papæ M. notarius fuit*, & MULTAS IN EJUS PERSONA EPISTOLAS DICTAVIT.

XX. Aliæ rursus in epistolis similitudinum *Prosperianarum* species.

Sed eò loci admirationem meam ulteriùs cohibere non possum, quam mihi nuper injecit *Christiani Lupi* Dissert. 1. *de Appell.* c.14. lectio, ubi quò magis *Quesnellum* exagitare possit, aliis quot-

P. *Christiani Lupi* futilis ac præpostera dubitatio.

quot Eruditis negotium facessere nil pensi ducit, dum in dubium revocare primus contendit, an *Prosper Leoni* M. fuerit ab epistolis? siquidem ait: *porrò an* S. Prosper *fuerit magni istius Pontificis secretarius, est, res valde incerta ..... certè tantum munus videtur non cecidisse in laicum monachum*,&c. Quæ cùm post omnium ætatum ac gentium testimonia, patentiaque rei indicia succedat dubitatio, eam ultro confutasse, vel referendo mihi suadeo.





DE S. LEONIS SERMONIBUS DISSERTATIO VI.



AB Epiſtolis ut ad Sermones tranſeamus ordinis res eſt, quorum & pro dignitate recenſio prius fieri debuiſſe aliis forſan videri poterit. At ut jam monitum, nos quo ordine res diſcuſſimus has proferre, cur heic minùs à ſervato more recedere cogitarimus, ſuaſit probatum omnium conſenſione judicium, ut à notioribus, ad minus nota, à compertis, ad dubia paretur aditus. Unde convenientius conducibiliuſque fuit in *Leoninarum* epiſtolarum examine operam primùm locare, cujus beneficio, ex jam præſtita Veterum fide, *Proſperianum* ſtylum citò deprehendimus, ut hoc facto periculo, jam expediti ad Leonis Sermonum venam attingendam, vel ſecernendam, viam nobis utcumque ſterneremus. Et ſanè à conceptâ ſpe non in totum ſaltem abluſit exitus: ſiquidem qùi hactenus partim, nota, notiora perſpectioraque feciſſe nobis fides eſt: ex his ad alia nec nota, nec audita forſan penetrare tentavimus. At quia quæ quaſi per rimulas, noſtris ulteriùs in relectionibus introſpeximus, aliorum etiam oculorum contuitum magis expoſcunt, eadem carptim objicere conſideranda non moramur. Et talia quidem hæc ſunt: non vacare ſcilicet iſtiuſmodi ſpecierum, ſimilitudinumque *Proſperianarum* ramentis, *Leonis* qui ſuperſunt nobis Sermones. In eis enim tam propriæ

I. Circa S. *Leonis* Sermones dubia, ne quandoque *Proſperi* ſecundis curis exculti.

ſingulareſque interdum emicant *Aquitani* phraſes, formulæ, locutioneſve, ut eum etiam in iſtis, non ſecus penè ac in epiſtolis genium & ſtylum ſuum interdùm commodaſſe, non rarò incidat ſuſpicio. Sed quia prolixius eſſet negotium hæc omnia ſingillatim recenſere & propoſiti ratio modum quærit, aliqua per ſatyram, promiſcuo, prout occurrunt, ordine conſignamus.

Quia ejus locutionib. crebrò reſperſi.

Exemplo igitur ita ſint Serm. 3. Ubi: & tamen DE TOTO MUNDO unus Petrus *eligitur*, &c. quæ ſequentibus ſent. SUPER 8 *Gallor.* aptiſſimè commenſurantur: EX TOTO enim MUNDO totus mundus *eligitur*, &c. Nec minùs affinia ſunt hæc Serm. 22. *ceſſent igitur illorum querelæ*, QUI *impio murmure, divinis diſpenſationibus* OBLOQUENTES, &c. quibus ſatis ſequentia reſpondent cap. 38. cont. Collat. *Reſeratis igitur definitionibus*, &c. *non obſcurum* QUID DE GRATIA *ſentiant, qui ſinceriſſimis ejus doctoribus* OBLOQUUNTUR, &c. de qua poſtrema voce plura alibi notavimus. Rurſus & in eodem Sermone paullò ſupra dictum erat: *non ſufficiebat doctrina legalis, nec per ſolas* COHORTATIONES P*ropheticas poterat natura noſtra reparari*, &c. quæ partim occupata ſunt initio epiſtolæ P*roſperi* ad *Ruffinum*, ubi: *ſe per* COHORTATIONES, *per legem, per doctrinam, per creaturam*, &c. Serm. 17. *de jejunio* hæc habentur: *quoniam & per ipſa elementa mundi tanquam per publicas paginas ſignificationem Divinæ voluntatis accipimus*, *nec unquam ceſſat ſuperna eruditio*, &c. quibus hæc con. *Collat.* reſpondent: *trahit ad Deum contemplatio elementorum & omnium quæ in eis ſunt ordinatiſſima pulchritudo*: inviſibilia enim, &c. ſed hæc fuſiùs congeſſimus 3. Diſſert. p. 1. ſect. 3. ubi etiam quæ his ſimilia ſunt, Serm. 2. *ut tota ratio celebritatis ad laudem ſui referatur autoris*: quam enim hæc P*roſperiana* ſit phraſis non retractamus. Et hæc porrò Serm. 32. in quo: HIS igitur, Dilectiſſ. DIVINÆ gratiæ myſteriis ERUDITI, &c. Et hæc, inquam, tota P*roſperiana* eſt periodus in Reſp. ad dub. 8. *Genuens.* ſic occupata: HIS *divinarum* vocum autoritatibus ERUDITI. Rurſus & Serm. 65. ubi: *Quid aliud quàm ſupernarum diſpoſitionum Dei incommutabilis ordo reſeratur*? apud quem & *diſcernanda jam dijudicata*, & futura jam facta ſunt, &c. Quæ ſanè maximam cum iſtis exp. V. 6. P*ſal.* 142. affinitatem exhibent: *nam autori rerum omnium quid unquam non conſpicuum eſt?* apud quem & *præterita adſunt*, & futura jam facta ſunt. Namque & illa hinc & inde non modò per interrogationem aut admirationem de

divina ſcientia proferuntur, ſed & idem orationis contextus collucet in his particulis, *apud*, & in iteratione conjunctionis *&*, *apud quem & diſcernenda*: &c. atque: *apud quem & præterita*, &c. Denique & hoc membrum: *Et futura jam facta ſunt* utrobique aſſumitur. At hæc & ſimilia plura è *Proſpero* decerpta videri poſſunt in 3. Diſſert. 2. p. ad c. 34. lib. 2. *de Vocat.* Quod ſupereſt Sermo 82. in *Natali SS. 7. Mart.* cujus hæc initio: *nam cùm in illo ordine mortium & in illa diſpoſitione pœnarum id ſæviſſimi Regis excogitaſſet impietas, ut victoriam ſibi, & de primis promitteret, quos ſine tolerantiæ cruciaret exemplo, & de poſtremis quos in ſupplicio torqueret alieno: multiplicatæ ſunt Martyrum palmæ, & præter coronas proprias*, &c. iſta, inquam, reduxere quæ jam memorata Diſſert. parte, ad c. 15. per totum conſignavimus, ubi: *coronæ Martyrum*, *& eorum palmæ*; *quibus de crudeliſſima infidelium ſævitia, felix eſt collata victoria*: Et *gloria multiplicata triumphorum* ad hanc prorſus verborum conceptuumque ſimilitudinem uſurpantur, & attolluntur. Taceo quæ idem Sermo ſub finem enuntiat, *de templo Dei*, ejuſque *ex vivis lapidibus ſtructura*, *quæ per indiſſolubilem connexionem creſcit in Dominici corporis unitatem*, &c. nam & hæc *Proſperianam* ad venam attinere ſatis & alibi demonſtravimus & ſignanter ad c. 6. citatæ Diſſert. Sed & alia longè plura demonſtraremus in his Sermonibus, *Aquitani* ſtylo locutionibuſque reſperſa, ſi per ſingulos excurrere & illis immorari mens fuiſſet; at ab illis penè oculos avertimus ne nimii ſimus. Attamen ut non me, ita nec Lectorem fugere debet hæc curſim obſervata Serm. 19. loquendi ratio: meritò in *duobus* mandatis diſputationum omnium latitudo ſub *paucorum brevitate verborum pleniſſimo* eſt explicata compendio, &c. quæ meritò ex eadem officina prodire videtur, ac iſta c. 24. c. *Collat* ſic habens: Ecce jam in iſta *paucorum brevitate verborum*, non *duarum* tantum, ſed multarum impietatum numeroſa connexio, &c. utrobique ſiquidem quæ in *duobus mandatis* vel *ſententiis* conſcribuntur, *in paucorum brevitate verborum* conſiſtere memorantur, Denique neminem latent, quæ de *breviſſimi*, *pleniſſimique mandati* locutione ſingulariſſima notavimus Diſſert. 2. num. 10. & 11.

Proſperi locutiones characteriſticæ *Leoninis* Sermonibus inſertæ.

Quod ſi tamen huc uſque congeſta ſatis ſingulariter propria atque ſimilia duobus tamen & diverſis autoribus communia eſſe potuiſſe quis obtendat, nec ego contentioſum funiculum propterea ducam; ſed hoc iſto altero, tam fortiter ſtringam, nulla ut arte, vel ſubterfugio deinceps evadat. Et hæc eſt

quidem locutionis singularitas singularissima, quâ passim respersi sunt *Leonis* Sermones, quæque serm. 27. *de Nativitate*, ita adverbum præfert: *multa sunt & alia* PRODIGIA *falsitatum... Sed post diversas impietates, quæ sibi invicem sunt multiformium* BLASPHEMIARUM *cognatione connexa.* &c. Item & Serm. 21. dicitur: *absit impia superstitio* PRODIGIOSUMQUE MENDACIUM. Et Serm. 74. *de Pentec.* habetur: *donec* PRODIGIOSUS *turpium* MENDACIORUM *signifer nasceretur.* Hæ fateor locutiones me adhuc aut in his reluctantem, aut vacillantem violenter etiam pertraxerunt, ut eas heic ab *Aquitano* infartas saltem existimarem, in cujus utique scriptis has ipsas splendidè occupatas altè menti infixeram. Nam in præfatione ad object. *Vincent.* hanc quasi tuba vocem exaltaverat: *comprehendunt, & contexunt ineptissimarum quarundam* BLASPHEMIARUM PRODIGIOSA MENDACIA. moxque: *asserentes talia esse in nostro* SENSU, *qualia* DIABOLICO *continentur indiculo.* Quod membrum subjungo, quia simile quid præferre video epist. *Leonis* 77. vel 52. ad Provinciales nostros Antistites, ubi: *Quæ* DIABOLICORUM SENSUUM PRODIGIOSA COMMENTA, &c. Quasi fatale esset utrique scriptori, nuspiam *mendacii* mentionem habuisse, quin illi *prodigiosi* subjungeretur epithetum: nec nisi, *falsitatum prodigia*, aut *blasphemiarum connexiones*, *vel contextus*, aut tandem *diabolicos sensus*, vel *indiculos*, uno utrinque exhibere conspectû, quodam sacramento conventum esset. Sed has propriarum singularissimarumque vocum adjectiones, has formulas, nec fatum, nec sors tam pertinaciter maritant: sunt enim hæ ita selectæ, ita nervosæ: ita meditatione, vexationeque, ut ita dicam, obstinatâ, procusæ, ut nonnisi unius genio partæ, nec nisi unius, calamo labi posse, eodem tempore videantur. Unde & in his saltem Sermonibus componendis, vel post compositionem elimandis & ampliandis, operam *Aquitani* desideratam, aut ejus aliquando studium accessisse nullus fortassis inficiabitur.

Quòd si tandem cum aliorum judicio, coëat fides non semel præstita, libros nimirum *de Vocatione*, à nobis legitimè *Prospero* vindicatos esse, quanta alia, Deus immortalis! ex hoc gemino tractatû depromi possunt, quæ cum istis Sermonibus bellè concinant. Sed ne hoc agamus prohibet, quod jam diligenter actum est à P. *Quesnello*, ad cujus editionem Lectorem remittimus cupidiorem, & unius obsonii parte non satis refectum:

ctum: nam in apparatis ab eo esculentis, copiosiùs inveniet unde famem expleat. Quòd si insuper *Leonis* epistolæ *Prosperi* rursus legitimus partus existant, in laudati etiam Scriptoris triclinio fructus reperiet, quos decerpat sapori suo convenientissimos.

Atque heic de *Leonis* Sermonibus, finem dicendi facere destinabamus, sed in re nova novus conatus adhibendus est. Siquidem S. Pontificis Sermo 4. in Natali seu *Anniversario Assumptionis* suæ notatus, cum aliis gravissimis, singulariorem nobis istiusmodi similitudinum segetem præbet, quàm ut ab hac demetenda & in apothecas nostras referenda nobis temperare fat sit. Ita autem incipit; nam schemata per tabulas ordinare prolixius, quas adeoque in hâc tota Dissertatione, brevitati consulentes, abdicatas non reducimus: incipit itaque Sermo: *sicut* honor est filiorum, Dilectissimi, dignitas Patrum, *ita* lætitia est plebis, gaudium Sacerdotis. Quod initium etsi *Prosperianam* venam satis referat, in his alternatim adhibitis sibique respondentibus particulis, *sicut... ita*, ut in tab. 29.'2. p. 3. *Dissert.* fusè demonstravimus: licet hæc, inquam, observatarum affinitatum memoriam revocent, in serie tamen dictiones ac sensus *Aquitani* stylum magis produnt. Nam in 1. Sermonis capite, ubi Divinæ gratiæ munera commendantur, ad ejus omnino mentem fluit oratio, vel dum sic declamat Orator: *religiosa festa justa sunt gaudia, in quibus* Nec INGRATI *sumus tacendo de donis, nec superbi præsumendo de meritis*, Quæ quidem ad ista *Prosperi c. Collat.* c. 15. videntur alludere: NEQUE *simul & libero arbitrio offensus, & gratiæ Dei esset* INGRATUS. Tum continenter habet Sermo: MORTALI CARNE CIRCUMDATI, *& fragilitati corruptionis obnoxii, nunquam ita liberi sumus*, UT NON *aliquâ impugnatione* PULSEMUR, *nec tam felix capitur in hoc* AGONE *victoria*, UT NON *etiam post triumphos surgant rediviva* CERTAMINA: At *Noster* has crebrò locutionum formulas occupaverat, nam in Expos. v. 5. *Psalm.* 112 ait: *quorum conversatio in Cœlis est, licet* MORTALI *sint* CARNE CIRCUMDATI. Et v. 6. *Psalm.* 114. habet: *anima* MORTALI *adhuc* CARNE CIRCUMDATA, moxque infra: NEC *obtinere possunt* MORTALI CARNE CIRCUMDATI, UT NON *fleant, & nullâ tentatione* PULSENTUR. Et c. 26. carm. de *Ing.* cecinit: *vivitur & positi expletur* CERTAMEN AGONIS. Quæ quidem omnium conjunctissimam similitudinem produnt, quin necesse sit his in-

III. Ulterior in Sermones regressus omnium forsan compediosior.

vicem minutatimque conferendis immorari, nam & cui in optatis erit istiusmodi plura reperire, regrediatur ad ea quæ ad c. 28. lib. 2. *de Vocat.* tab. 25. cum aliis *Prosperianis* opposuimus.

At ejusdem Serm. c. 2. ubi hæc leguntur: IN HAC *ergo materia* TREPIDATIONIS, *quæ nobis esset dependendæ fiducia servitutis*, nisi non dormitaret, qui custodit Israël, & *qui Discipulis suis ait*: Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi. *Nisi dignaretur*, &c. in hoc, inquam, membro quædam etiam *Prosperi* genium redolent: Nam in Exp. v. 16. *Psal.* 138. ubi de hoc argumento tractat ad hanc normam dixerat: IN HAC, inquit, *substantia fragilis corporis*..... atque, *igitur omnibus timidis & de propria infirmitate* TREPIDANTIBUS *sperandum* est supernæ virtutis auxilium: de qua *spe* etiam continenter fit mentio, in eodem Sermonis cap. Ceterùm & de hac *Mathæi* c. 28. autoritate, penes *Nostrum* frequenter usurpatâ jam plura diximus.

Similitudinum omnium copiosa series.

Sermonis porrò cap. 3. quod totum v. 6. *Psalm.* 109. explicando deputatur, totum sursus exprimitur è *Prosperi* paraphrasi, quam in hunc *Psalmum* præmisit. Ut enim in Sermone oratoriè pronuntiatur: Juravit Dominus, &c. *ipse enim verus & æternus est Antistes, cujus administratio, nec* COMMUTATIONEM *potest habere nec* FINEM. *Ipse est cujus formam Melchisedech Pontifex præferebat, non Iudaicas Hostias offerens Deo, sed illius sacramenti immolans Sacrificium, quod Redemptor noster in suo corpore & sanguine consecravit. Ipse est cujus* SACERDOTIUM *Pater non secundùm ordinem* AARON, *cum legis tempore, transiturum, sed secundùm ordinem Melchisedech perenniter celebrandum* CUM *firmamento insolubilis jurationis instituit..... Et quia pœnitentia* MUTATIONEM *indicat voluntatis, in eo Deus non pœnitet, in quo, secundùm æternum* PLACITUM, NON *potest* ALIUD *velle quàm voluit.* Ut, inquam, in his Orator facundiam exerit, ita in sequentibus Paraphrastes dictorum argumenta occupaverat: *Salvator procul dubio* Sacerdos *est in* æternum. *Juravit ergo Dominus, hoc est*, CUM *constitutione promisit*, ad quæ profectò ista Sermonis alludunt: *ipse enim verus & æternus est antistes*, atque: CUM *firmamento insolubilis jurationis instituit.* Quæ promissionis firmitatem utrinque commendant: Tum *Noster* pergit. *Et non pœnitebit eum*: hoc est, non MUTABIT consilium, NON ALIUD faciet, nec unquam ei hæc sententia DISPLICEBIT: in quibus exhauriuntur hæ locutiones: MUTATIO *voluntatis, æternum* PLACITUM, istudque: NON

ALIUD *velle*. Sicque continenter versiculi verba explicans: *Tu es Sacerdos in æternum*, ita commentatur: hoc est, *non* FINITUR SACERDOTIUM *tuum*, *nec sicut* AARON *ordo cessavit*, *ita etiam tuum Pontificium* COMMUTABITUR. *Sacerdotii tui non erit* FINIS. Nam & heic quoque splendida affinitatis lineamenta redhibent hæ locutiones, cum aliis collatæ: SACERDOTIUM, *administratio nec* COMMUTATIONEM *potest habere*, *nec* FINEM, Sed omnium convenientissima illa est, quæ hinc inde in AAronici Sacerdotii mentione deprehenditur: ubi ad explicandam promissi, juramentique perennitatem, ex ejusce ministerii cessatione oppositio reducitur: NON FINITUR SACERDOTIUM, *nec sicut* AARON ORDO *cessavit*, *ita tuum Pontificum* COMMUTABITUR, &c. atque: *cujus* SACERDOTIUM *Pater non secundùm* ORDINEM AARON, *cum legis tempore transiturum*, SED *secundùm ordinem Melchisedech*.. *instituit*. Ad quæ *Noster* etiam interpres: SED *secundùm ordinem Melchisedech*, *hoc est*, *secundùm mysteria*, *quæ per eum declarata sunt*, *in æternum permanebit*. Quæ postrema expositio totum perficit Oratoris ratiocinium; quæ perinde enim declarata sunt *mysteria*, quis non intelligit *Sacrificium*, *quod Redemptor noster in suo corpore & sanguine consecravit*?

Quod sequitur cap. 4. in adstruenda gratiæ necessitate, atque Episcopalis ordinis, Petrique successorum dignitatis sublimitate versans, *Prosperianos* etiam sensus ac locutiones spirat, quales primò clamant: *Opus ministerii* nostri, in *omnibus*, *quæ recta agimus*, *Christus exequitur*: *sine quo nihil possumus*: atque *in ipso*, *qui possibilitas nostra est*. Nam istæ passim in omnibus Aquitani paginis redeunt dicendi formulæ. Neque minùs hæc sequens illi oppignerata est: *Martyres pro susceptarum tolerantia passionum*, nam de ea aliisque persimilibus plura congessimus ad comparationes c. 15. lib. 2. *de Vocat*.

In ultimò postremùm cap. ubi *Petri* successoribus impendenda commendatur reverentia, insignis etiam *Prosperianæ* vena loquela in his dictionibus intermicat: *sperantes orationibus ipsius esse* PRÆSTANDUM UT DEUS *misericordiarum ministerii nostri tempora benignus aspiciat*, &c. quippequæ fuerant jam in fine rursus libri contra *Collat*. sic adhibitæ: *confidimus* DOMINI *protectione* PRÆSTANDUM, &c. *quod operatus est* UT... *operetur & in*, &c.

Hujus porrò Sermonis relectio longioris mihi regressus occasio fuit. Quòd autem hunc, præ aliis tantâ forsan specierum

IV. Cur Sermonis istius collatio præ aliis selecta.

copiâ respersis, sic expendendum selegerim, non casus quidem, sed concepta fecit deliberatio, cujus extemporaneaam occasionem celandam non duco. Siquidem in secessu meo, dum quandoque librorum copiâ laborans, in Bibliothecarum insignium catalogis evolvendis aberrando, solatium quærebam, accidit & commodùm quidem accidit, ut ille qui mihi uti inter copiosissimos accuratissimus habetur *Thuaneus*, à V. Cl. *Jos. Quesnello* ingeniosissimè concinnatus, ita & sæpiùs à me perlustratus magnæ mihi vexationis argumentum suppeditarit. Namque in Mss. ejus Codd. elencho, in alterius recensione qui præfert: *S. Chrysostomi de compunctione cordis*, post aliorum venerandæ Antiquitatis operum indicem, hunc consequi titulum animadverti: item *Sermo Prosperi* in Natali Papæ *Leonis*: item, sermones *Leonis*, &c. hæc, inquam, me seriò intentum fecerunt, profundaque cogitatione defixum. Etsi enim perinde vix ullum conjecturis meis præjudicium invehi posse putarem, quandoquidem id solum ex illis inducere contenderam, *S. Leonis* Sermonibus *Prosperianas* locutiones interdum infartas; quod & semper eliquatius videbatur: rem tamen vidisse, ac otiosè examinasse opere pretium reputabam. Nam & inde illud majus compendium referri posse spes erat, ut ex hoc Excerpto liquidiùs prospiceretur, quantùm in istiusmodi Polemicis ad *Leonis* stylum accederet, vel ab eo decederet stylus *Prosperi*: ex quo nostrum vel infirmari, vel in aliis solidari judicium posset. Alterutrum enim mihi perinde summum erat, si tandem hocce beneficio, quô unicè collineabam, veritas magis manifestaretur. Quod sanè ex hujus inspectione Codicis consequendum esse eò magis augurabar, quò ille charactere *Saxonico* prænotatus, eam pollicebatur antiquitatem, quæ interpolatorum malis artibus non foret obnoxia. Sed mihi tantis regionum intervallis separato, nec iis necessitudinibus conjuncto, à quibus id mihi citò præstandum satis polliceri ausus essem, animi diù pendenti, illud consilii postremùm occurrerat rem præmonere duntaxat, & aliorum periculo committere; cùm ecce opellæ nostræ codices, Parisios ad Regii privilegii impetrationem transmissos, post diuturnas moras, casu, vel dolo, distractos demum, ac interceptos inaudiens in Urbem iter alio tempore destinatum maturandi necessitatem haud satis acceptam subii. Verùm adventanti gratior evasit, quippe cui, cum recuperatis, & quasi postliminiò vindicatis schedulis nostris, memoratum Codicem auro contra æstimandum, quemque in Provinciâ, vel

Novæ animadversionis occasio.

Sermo iste notatur nomine *Prosperi* in pervetusto Mss. Cod. Bibl. *Colbert.*

ex transcursu vidisse pro magno munere computassem, non so-
lùm videndum, sed & utendum, atque fruendum accipere con-
cessum fuit. Quæ mea summa studia sic cumulatè superasse Vi-
rum incomparabilem *Steph. Baluzium*, non est cur Literatos no-
stros commoneam, quos non latet omnes Bibliothecæ. *Thua-
neæ* Mss. Codd. accrevisse *Colbertinæ*, hujusmodi pretiosis mer-
cibus non mediocriter jam refertæ; cùm & hi, dignissimi Pro-
mi Condi singularem humanitatem sæpiùs experti, eam quam
in me rependit exinde satis metiri possint: sed idipsum in Ex-
terorum gratiam publicare compellor, in quos etiam tantam
beneficentiam propagare omnino comparatus ille est: in hoc
haud dubiè fidus interpres, insigniterque ζηλότυπος gloriæ, nobi-
lisque ejus in literas ac literatos propensionis, quas à clarissi-
mo Parente *Johanne B. Colberto*, in non minimam hæreditatis
portionem, quasi natalium prærogativâ, suscepit alter *Johannes
B.* aliis nominibus magis notus, sed quæ etiam isto nobilitan-
tur, atque resplendent.

Porrò Codex iste primæ antiquitatis ὑπογράφοι exhibet, nam
literis *Saxonicis* ante annos nongentos exaratus, ut cum *Baluzio*
consentiunt DD. *Johannes Mabillon*, *Thomas Blampin*, *Placidus* V. Codex 900. annor. antiquitatem prætergreditur.
Porcheron Benedictinæ Sangerm. familiæ, omnes ex Areopago judi-
ces, facilè ad αὐτόγραφα exemplaria descriptus credi potest. At ex
hoc illicio ad nostra decurrentem magna pervasit admiratio,
dum in illo *Prosperi* sermone: *de Natale Papæ Leonis*, ad integrum,
nec mutato apice, Sermonem ipsius *Leonis* deprehendi *in Anni-
versario Assumptionis suæ ad Pontificatum* IV. pronuntiatum, cu-
jus excerpta postremò contuli. Sed & hunc viderat *Quesnellus*,
quem adeoque *antepenultimum* in hoc *Ms. Cod.* Nic. Fabri, *qui
nunc est* D. Thuani, notat in *Leonina* sua editione; at præsti-
tisset forsan conditoris Catalogi *Thuanei* diligentiam præver-
tisse, commonendo, ut ille fecit, Sermonem istum in antiquis-
simo codice, *Prosperi* nomine insignitum: vel ex eo quòd ve-
tustatis vestigia in minimis etiam adlambenda sint, & quantò
in istis magis. Porrò quod ille minutatim censere tanti non du-
xit, supplere magnum existimo. Sermonis itaque titulus *Sa-* Quàm impotentib. molitionib. in titulis aliquib. temeratus?
xonicis itidem apicibus minio perfusis (ut & aliæ omnes vario-
rum operum in codice compactorum habent inscriptiones) sed
orationis contextus reverendæ antiquitati planè respondenti-
bus, magnificè præfert: *Incipit sermo* Prosperi *de Natale Papæ*:
at ab inde derasæ membranæ, recentiori manu, atroque chara-
ctere subjectum est *Leonis* nomen. Verùm non solus irrepsit

heic malus dolus, nam in fine, quem non secus ac principium solebant Veteres hâc vel æquipollenti formulâ præmonere: *explicit tractatus*, &c. ista quidem adest primigenia: *explicit sermo*, igitur *Prosperi*? ita sanè primitùs integrè, sed nunc trium tantùm posteriorum istius dictionis apicum vestigia supersunt haud ignobilia, reliquis autem quinque datum olim spatium persimili rasurâ defloratum, effingendæ *Leonis* nomenclaturæ litatum fuit; quam post interpolationem, reviviscit antiqua fides, in his: *de Natale* Papæ, absque alio.

Et hic fuit tandem Sermonis tam studiosè conquisiti lectionis exitus, quem perinde jam dicent alii, haud injuriâ usquequaque, insignitum antiquitus & utrinque obsignatum nomine *Prosperi*, cujus loquelæ tam germanas species diffundit: sed nobis longè ultra cohibendus assensus est, & alia ex eodem Codice repræsentare continenter juverit, quæ ut meum qualecumque privatum examen morata, ita Publico subduci non debent. At nunquid in *Quesnelliano* catalogo consequi disertè notantur Homiliæ vel *Sermones Leonis*? Et ita quidem omnino perscribuntur, sed nec minus fraus irrepere desiit in subjecto rursus *Leonis* nomine: nam sic habet epigraphe primigenia: *incipit de Collectarum die*: tum novitia subsequitur: *Sermo Leonis*. Et eò loci quidem vitiatæ derasæque membranæ vestigia non deprehenduntur, adeo ut ultro mihi certum sit superinscriptionem antiquam non alia complexam esse, quàm quæ retulimus Quod etiam induci jure potest, ex his quæ Sermonem claudunt, ubi nativis iterum literis legitur: *exp. de die Collectarum*, & cohærenter: *incipit de decimi mensis* 1. at heic vitio solito laborare occipit membrana, nigraque dienceps scriptione, ei superadditum: *jejunio*, *sermo Leonis*: ad finem autem redivivâ integritate, signata observatur clausula: *exp. de jejunio decimi mensis*: *incipit vita S. Ambrosii Episc. Mediolan.* Hi porrò Sermones duo, qui nomen *Leonis* heic mentiuntur, verè tamen in ejus censum veniunt; nam primus *de Collectis*, sic incipit. *Et divinis præceptis, Dilectissimi, & Apostolicis didicimus institutis omni homini inter vitæ hujus discrimina constituto*: in quibus postremis jam irradiat *Prosperi* stylus, estque hic Sermo idem ad verbum, qui inter opera *Leonis* notatur 10. & 6. *de Collectis*, Alter autem *de Jejunio* prænotatus, rursus sermo est 16. & 9. *de Jejunio* in editione *Quesnelli* sic auspicans: *Dispensationes misericordiæ Dei*.

Aliæ *Leonis* homiliæ sub nomine *Prosperi*.

Ex istis igitur sic fideliter expositis, ut ordinatè procedamus, jam exploratum est primum Sermonem *de Natale Papæ*,

Prosperi nomine insigniter notatum primigeniam illam spirare vetustatem, in quam grassata posterorum tam aperta temeritas majorem etiam autoritatem ac reverentiam affundit. Quod ad duos autem consequentes spectat, autoris nuncupatione mutilos, aut quòd ille ignoraretur, sic in incerto positos conjici potest; aut quod longè similiùs vero nemo non dixerit, ita illi hac obsignatione caruerunt, quia pro serie Sermonum ejusdem opificis reputati sunt. Nec enim aliter tractatus *S. Chrysostomi de Compunctione cordis*, in fronte MS. Cod. positus, cui cohærent ejusdem Homiliæ, aliâ ad finem clausulâ communitur: *explicit de cordis compunctione liber* II. *incipit Homelia prima*, citra aliud additum, in quo potior est noster Sermo primus, cujus fini subjungitur, non secus ac initio scriptoris denominatio. Sed quominùs dubitemus rem ita ex antiqua fide susceptam, atque recognitam, facit clamans ipsa duorum Sermonum cum priori conspiratio, quæ non modò peritum exemplatorem, qualis noster iste fuisse perspicitur, sed nec imperitum penè fugere potuisset.

VI. Singulæ *Prosperi* veram mirè referunt.

Nam & illud denuò exploratissimum est, Sermones *de Collectis* & *de Jejunio* in Codice descriptos *Prosperianis* illis diffluere ramentis, quæ in altero cumulatè fuerant exhibita, sed quæ nec difficulter in aliis Sermonibus advertenda penè polliceremur, si cui rem otiosiùs conferre vacaverit. At si hæc omnia tam invicem congruunt, *Leonis* ergò qui circumferuntur Sermones, germanum & primigenium *Prosperi* partum esse, non secus ac ipsas epistolas planè decerni debet? tanta quidem præstare non possumus, nec debemus, unde & manum de tabula libentiùs tolleremus; quousque super istis venerandus Eruditorum chorus suum præferre iudicium duxerit, ne ullo præproperi ausus vel leviori discrimini per nos res committeretur. Quòd si tamen nostras ulteriùs promendas fuisse conjecturas, quò ex istarum, cum aliis aliorum objectû, quasi digestâ, purgatâque causâ, decretoria sententia citiùs succedat, quis obtenderit, nec ejus in totum studia fraudabimus. Ac I. ut has brevî partes exequamur, de Cod. Ms. Sermonibus, *Prosperi* nomenclaturâ, ex tanta vetustate, conspicuis, id non irrationabiliter conjici posse credimus, eos ab Antiquis *Prosperianâ* venâ respergi animadversos, *Prosperi* fortunis adscribi potissimùm occœpisse, ob eam fidem, ac famam, quibus Pontificiæ *Leonis* epistolæ à *Prospero* dictatæ constanter dicebantur ac credebantur: proclive utique istis judicantibus, atque cohærens, ut Vir præcipuus, qui ob ingentia illa negotia, quibus distrahi necesse erat Pontificem Max. illi

VII. Decretorium de his judicium Eruditorum choro delatum.

Præmissæ ad illud maturandum conjecturæ.

Sermones inscripti *Prospero* videntur, ob affinitatem styli cum epistolis.

jam erat ab epistolis, ejusdem etiam subsidio ad Sermones, in tantum epistolis ipsis similes, frequenter, & extemporanèe recitandos in partem accessisset. Quod de aliis similibus ejus Concionibus augurari promptum fuit.

Et ob hanc fidem probabiliùs, ab insignibus & nessariis testibus *Gennadio*,

2. Propter hanc tum obfirmatam vigentem sententiam accidisse probabilius putamus, quamobrem Sermonibus istis verè gemmeis & *Leonis* Pontificis animo nominique in omnem partem consentaneis, quæ debebantur laudes & encomia non satis studuere Majores posteritati commendare; imò nec eorum notitiam exhibere iis quidquam pensi fuisse cernimus, qui hæc tempora propiùs attigere. Et certe *Gennadius* coætaneus, qui Veterum scripta censere in se susceperat, quique propterea *Leonem* non omisit, Sermonum tamen ejus neutiquam meminit, & unicam contra *Eutychen* epistolam illi adscribit c. 70. quod eo sensu dixisse clarum est, quo postea rem explicasse notavimus c. 84. dum de *Prospero* sermonem fecit. Quòd si *Gennadium* eorum memoriam Sermonum prætermisisse contendatur, quia in eos non incidit, ut incidit in Homilias *Maximi* Taurinensis & aliorum inferioris nominis, quos laudavit, tamen etsi posset his opponi *Gennadio* solenne fuisse eorum etiam lucubrationes memorare, quas nactus non fuit, ut in specie Homilias à *Musæo* Massiliensi declamatas edocet, quas non legit: *sed*, inquam, *ego non legi*. c. 79. adeo ut perinde *Leonis* factum toto Orbe celebre celebratumque, notum illi non fuisse excipiendum esset, quod nullus crediderit: hæc nos nihilosecius ultro complectemur.

Anastasio Bibliothec.

Sed etsi ista dederimus, non ita vicissim, id de *Anastasio*, quem *Bibliothecarium* vocant, fas esset admittere; quippequi omnia Rom. Pontificum acta scriptaque investigans, eoque officio fungens, & in Urbe omnia recensens, ubi promptius reperiri ac suppeditari poterant, quæ ad illorum vitas concinnandas præcipua erant: dum ad *Leonem* M. pervenit donaria Ecclesiis ab illo facta minutatim enumerat, ad ingenii autem monimenta quod attinet, hæc tantummodo profert: *direxit fidei Catholicæ tomum & exposuit, damnans omnes hæreses: multas epistolas fidei misit Archiepiscopis, quæ hodie recondita in Archivo tenentur*. Ita ille, in quibus notandæ veniunt hæ dictiones, *direxit*, *misit*, quasi perinde in istis componendis quæ *dirigebantur*, vel *mittebantur*, alium autorem, vel subsidiarium innuere vellet Quidquid sit hæc documenta *in Ecclesiæ Archivo* recondita testatur, de nobiliori autem Sermonum partû, nec volam nec vestigium profert.

Hæc

Hæc testes necessarii vel domestici. Quod si in alterius etiam testimonio stare deberet omne verbum, citò proferretur *Gelasius*, qui *Anastasio* debuerat anteponi, quandoquidem post annos circiter 30. à *Leone* Romanam Sedem occupavit. Hic autem doctissimus Pontifex veterum monimentorum studiosissimus explorator, eorumque præcipuè, quæ Decessores suos autores agnoscebant, præ aliis gnarus, cùm in Concilio Romano an. 494. ad id negotii coacto, SS. PP. opuscula Catholica in Canonem retulit, Synodicam quidem *Leonis* ad *Flavianum*, cum exquisita illius commendatione memoravit: at de Sermonibus illius nomine conscriptis & inter PP. tractatus splendidè referendis, nec memoriam, nec indicium exhibere duxit. Hujus autem tam concordis & servatæ, quasi ex condicto, reticentiæ causa, nulla, meo quidem captû, congruentior assignari poterit, quàm quia Sermones istos *Prosperianâ* limâ perpolitos fuisse jam increbuerat, cujus & quandoque nomen præferebant. Unde quâ ratione *Leoninæ* epistolæ tanquam ab ipso Pontifice scriptæ non asserebantur, quia à *Prospero* digestæ vel *dicebantur*, vel *credebantur*: sic vicissim Sermones ex eadem styli similitudine, ejusdem subsidiarii limam sustinuisse tum existimati, cùm perinde in totum *Leoni* non viderentur adscribendi, multòque minùs in censum *Prosperi* pertrahi possent; qui istis nonnisi quosdam sermonis ornatus, aut alia similia de suo contulerat, eos in incerto relinquere consultius visum fuit.

Imò & à *Gelasio* Pont. illaudati & quasi ex condicto prætermissi.

3. Sed & hinc omnino colligendi ratio præbebitur Conciones omnes cum illo, elegantiori saltem, quo comparent apparatû ad populum recitatas non fuisse. Utque nuper *Liberii* Pontificis ad *Marcellinam* germanam *Ambrosii*, parænesin, seu exhortatorium sermonem ipsemet Mediolanensis Antistes retractans *lib. 3. de Virginibus*, longè splendidiori apparatû, quàm dixit ipse *Liberius* politioris eloquii, ut videtur, satis rudis, vestire studuerat: ita & ejus exemplo *Prosper* Patroni Concionum sensum conceptusque integros servans, eas tantùm studio reddere comptiori curavit, antequam publici juris fierent. Quod certè cùm facundissimis Oratoribus nequaquaquam vitio verterit, qui elegantiùs orationes suas perscribere, quàm recitare nec olim detrectarunt, nec nunc detrectant, id in facto de quo agitur, minùs insolens esset, quòd jam ex præcedentibus circa epistolas notatis autoritatem assumeret.

Sermones eo quo nunc ornatu conspicui sunt, haud pronuntiati.

At de epistolis quidem res clara est, quæ certè ab iis conscribendis consummatæ peritiæ & pietatis virum expostulare

VIII. Causæ cur *Prosper* ad hos expoliendos Sermones perductus fuerit, investigantur.

videbantur. At pro Sermonibus quænam idonea *Prospero* obvenire causa potuit, cur his operam suam locare, symbolamque conferre sategisset? multæ sanè quæ latere nos possunt, at non præcipuæ, & inter eas ista censenda, quòd Conciones illas consentaneum fuerit ab Episcopis & Ecclesiis enixiùs expeti, seu in similium absolutissimum exemplar habendas, seu etiam per ipsos Præsules, ac alios Verbi Ministros, exponendas vel recitandas. Cùm enim pro istiusmodi lucubrationibus colligendis tum non mediocriter vigeret studium, in istas cur longè magis propagatum sit, satis proclive est intelligere. Unde cùm eæ ad multorum expectationem & utilitatem necessariò transmittendæ essent, conveniens omnino fuit, ut *Prosperi* illarum haud dubiè depositarii citò citiùs industriam ac secundas curas provocarint; quò suis omnibus ipsæ constantes numeris, splendoreque famæ atque nomini respondente simul prodirent.

Illa potior occurrit, quia Sermones expetebantur ab aliis Episcopis recitandi.

Sed ne quisquam hæc, quæ de *Leoninis* Sermonibus per alios Præsules reddendis, ac explanandis mox attigimus, gratis excogitata suspicetur; ad hunc planè dimovendum scrupulum, alia ei forsan suggerenda essent exempla, quæ facto autoritatem conciliarent: At & nos unum proferimus, quod ætati ac personis, de quibus res est, coæquatissimè conveniens plurimorum loco forsan habebitur. Quòd igitur hoc ævo non dedignarentur Antistites, Scriptorum eloquentiâ & pietate præcellentium Sermones, seu Homilias commissis eorum regimini populis exponere, fidem nobis egregiam præstat in Catalogo *Gennadius*, qui *Salviani* scripta recensens, c. 67. post alia ait: *composuit versu quasi Hexaëmeron librum unum* : HOMILIAS EPISCOPIS MULTAS : *Sacramentorum quantùm nec recordor*, &c. Quam quidem intermediam lectionem, puram, genuinam, primigeniam invictè probant melioris notæ Codices manu descripti, quorum unum profert Bibliotheca Regia: tres *Colbertina*, qui in hoc ita concordes cùm existant, retinendæ deinceps hujus lectionis omnium aliunde planissimæ necessitatem imponunt. Et hanc tamen aliquando abjectam, vel immutatam non ex alio contigisse recognoscendum est, quàm quia minùs intelligebatur; alii enim haud existimantes superius verbum *composuit*, ista consequentia satis sustinere: *Homilias Episcopis multas*, ad majorem claritatem adjunxere: Homilias Episcopis *factas*, quod redundat, nam ultro id explicat dictio *composuit*: alii in hoc etiam magis laborantes, pro *Episcopis*, verterunt, *ad Episcopos*, quasi forsan inferre voluissent in sacris

Facti exemplum insigne in *Salviano*, cujus homilias ambiebant.

Gennadii textus restitutus, sed ulteriùs emaculatus.

Episcoporum consessibus ipsum in inferiori sacerdotio constitutum, coram Ecclesiarum magistis locutum esse: quod erat hujus ævi consuetudini repugnans, & in nostra fortassis Provincia minus ausum, quòd nuper *Celestinus* in epistola ad illius Episcopos, graviter tulisset Presbyteros, illis præsentibus & consentientibus, *copiam habuisse disputandi*. Unde & ait: *quid illic spei est, ubi, magistris tacentibus, illi loquuntur?* &c. Sed accessere postremùm qui sibi ingeniosiùs illudentes textum omnium pessimè depravarunt; namque his nusquam possibile visum, quorsum Presbyter homilias Episcopis fecisset, vel composuisset? facili negotio rem componendam arbitrati sunt, si ex hac voce *Episcopis* unum apicem *i*, in *u*, commutarent, legerentque: *Homilias Episcopus multas*: tum deinde *Homilias Episcopus factus multas*. Nam ita variant inferioris pretii & posterioris ævi quidam Codd. MSS. & alii editi catalogi; qui quidem sic consentientes multis quasi duplicem facem prætulerunt ad lapsum. Inde enim exorta est, & ut fieri amat, invaluit illa de *Salviani* Episcopatû Massiliæ exacto sententia, à qua nonnisi post pervicaces Eruditorum labores dimoveri potuit. Quippe ut canit alicubi *Prudentius*:

. . . . Sic observatio crescit
Ex atavis male parta, deinde secutis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta.

IX. Salvianicæ Homiliæ à Præsulib. expositæ, *magistri Episcoporum* laudem illi promerentur.

Ultro igitur ex jam delibatis illud consistit *Gennadium* dum de *Salviano* Massiliensi presbytero scripsit: composuit.... *Homilias Episcopis multas*, id planè significare voluisse eum Homilias elucubrasse, quas illius ævi Præsules interdum exponebant ac recitabant. Et certè nequaquam fugit eruditiss. *Baluzii* perspicaciam congruens hæc in omnem partem interpretatio, nam in notis ad opera *Salvianica*, *Gennadii* locum ex MSS. emendatum exponens sic commentatur: *namque*, inquit, *vir eloquens & doctus Homilias scribebat, quæ ab Episcopis deinde recitabantur in Ecclesia.* Hæc viri optimi observatio nostræ consentiens, sed illa magis illustranda est: & quidem ut puto, omnium convenientissimè, si ex ipso *Gennadio*, satis jam eliquato sensui major etiam claritas affundatur. Quod planè facile est consequi ex istis, quæ jam superiùs de *Salviano* scripserat, ubi ait: *Salvianus apud Massiliam Presbyter humanâ & divinâ literaturâ instructus & ut absque invidia loquar*, MAGISTER EPISCOPO-

RUM *scripsit scholastico & aperto sermone multa*, &c, namque per hoc ejus sic notum ac celebratum *Episcoporum magistri* tributum decus, satis perspicitur quo potiori medio id prærogativæ sit indeptus; has nempe Homilias *componendo*, quas Episcopi sibi coaptare non detrectabant.

Non autem quia fuerat *Salonii* & *Verani* EE. in adolescentia institutor.

Sed mihi illud citò præsagio reponendum, me quò *Gennadii* verba satis forsan per se aperta majorem in lucem proveham, alia ejusdem dicta decurtare, quæ integritati suæ servata nil habent omnino cum his quæ volvimus commune, sed prorsus disjunctum: cùm constanter præferant omnes *Gennadii* editiones; *magister Episcoporum SS. Salonii & Verani.* Quod aliunde ex fideli Sanctorum illorum historia habetur exploratissimum; quandoquidem & *Salvianus* ipse *admirandissimos juvenes discipulos quondam suos* fuisse testetur in epistola 8. ad eorum parentem *Eucherium* Lugdunensem, & iste idipsum confirmet in illa ad *Salonium* data, præfixaque libro *de Quæstionib. veteris & novi Testamenti* ejusdem gratiâ digesto. Unde & ex istis nil uspiam in rem nostram pertrahi posse nemo non dixerit. Quæsitum profectò præjudicium, sed omnino fallax, ex quo proinde quod inest fuci citò detergi præstat, ne aliis illudat. Siquidem & istas voces, *SS. Episcoporum Salonii & Verani*, sincero *Gennadii* textui præposterè illigatas omnino præstare ausim, idque his invictis rationibus confici puto.

X. *Gennadii* textus rursus ad primigeniam fidem asseritur, ex ejus testimonii sensib.

Primò namque ut sibi prius interpretationem faciat ipse *Gennadius*, quinam, quæso, sapor istis ejus verbis: *Salvianus divinâ & humanâ literaturâ instructus*, & ut absque invidia loquar, *Magister Episcoporum SS. Salonii & Verani*: Quænam siquidem exurgere poterat *invidiæ* vel levioris occasio, quòd *Salvianus*, in re omnibus nota perspectaque, diceretur *magister* olim fuisse *Salonii & Verani*, eosque pueros vel adolescentes instituisse: nam & hæ partes *Vincentio* etiam Lirinensi concesserant, & similia quotidie videmus accidere, quæ ad *invidiam* prævertendam nullus deprecari cogitaret: nec eâ ex causâ eam potuit deprecari *Gennadius*, nisi omnium frigidissimo ineptissimoque conceptû se ridendum objicere studuerit.

ex *Honorii* ejus dictorum exscriptoris suffragio.

2. Interpolationem istam claram testatamque facit *Honorius* Augustodunensis, qui de more *Gennadium* exscribens, ejus alia omnia, istis omnino resectis ac prætermissis, recitavit.

3. Pro hac lectione pugnant, ac vincunt tres Mss. codd. Bibliothecæ *Regiæ*, quorum alter num. 4025. ante annos 800. exa-

ratus fuit, alii ab annis 600. & 500. His accedunt *Colbertini* quatuor quorum antiquor num. 1893. est annorum 600. reliqui ante annos 400. vel circiter exscripti, qui ad unum omnes in hac lectione conveniunt: *Et ut absque invidia loquar, magister Episcoporum scripsit multa.* Lectio illa igitur omnino retinenda est, & divinare quidem planum, quomodo alia irrepserit, ac deinde prævaluerit (in tantum fugit ingenia nostra veritas) nam legens aliquis penes *Eucherium & Salvianum*, isti datos esse instituendos *Salonium* & *Veranum*, hanc observationem suam Cod. *Gennadiani* oræ diligenter inscribere stimulatus fuit: quod & alii verissimum agnoscentes, sed heic perperam coaptatum non secernere pares, in ipsam orationis seriem additamentum refuderunt. Quàm autem similia crebrò in antiquorum Codd. Mss. lectione occurrant, satis intelligunt, qui aliquando in his terendis otium impendunt.

ex Mss. Codd. consensione.

Porrò si cui etiam satis insolens videri posset *Salviani* autoritatem ac famam, in tantam celebritatem assurrexisse, ut ejus adhuc superstitis conciones assumere & gregibus sibi creditis interdum explanare pretii duxerint horum temporum antistites., adeat ille otiosèque consulat ejusdem S. Presbyteri ad *Eucherium* factum recenter Lugdunensem Episcopum epistolam 2. nam ex ea pressiùs intelliget, quàm ullâ nostra exaggeratione narraremus, quo in pretio penes omnes *Salvianus* extiterit, & quàm parum perinde sibimetipsi decedere potuerint reputare Præsules alii, si ejus quandoque se discipulos profiterentur, qui in ipsum omnium maximum *Eucherium* jus ac magisterium arrogare sibi posse crediderat. Nil igitur mirum si Viri præcipui, quem in humanis etiamnum agentem S. *Hilarius* in Oratione sui decessoris *Honorati* Arelatensis E. *egregium & in Christo beatissimum Presbyterum*: fatis autem functum, post multorum elogia, Card. Annalista non minùs verè, quàm ingeniosè sæculi sui *Hieremiam* nuncupavit: nil mirum, inquam, si Ecclesiastæ talis ac tanti voces, ac Threnos exciperent populis annuntiandos harum & aliarum partium Episcopi, corruptissimis ævi moribus, quos tam scitè pangere, plangereque noverat, sincerè condolentes.

Salviani celebritas magis declarata facto majorem fidem adstruit.

XI. Si aliorum Homiliæ tam studiosè conquisitæ, quanto magis *Leoninæ*

Quòd si demum scriptas ab uno Massiliensis Cleri Presbytero conciones suscipiebant Præsules, & suas facere non aspernabantur, quantò avidiùs ac impensiùs expetendi ac suscipiendi eisdem fuerunt *Leonis* summi Pontificis Sermones, cujus celebritas ac nomen, etiam ex dignitate, jure pendebantur.

Sanè etsi jam satis testatum fecimus erga istiusmodi sacras declamationes ingeniorum hujus tempestatis vehementem affectum, non fugient alia hujus moris exempla volvendis horum temporum monimentis intentos: illiusque haud dubiè insigne deduci poterit argumentum, ex eo quòd iterum *Gennadius* de S. *Honorato* Massiliensi Episcopo signanter animadvertit, qui, ut habet ille, *in homiliarum modum ad utilitatem legentium multa componebat.* Quam methodum præduxisse capessendam *Honoratum*, vix ex alio conjeceris, quàm quia jam expertus erat inter spiritualia esculenta, illa sæculi istius palato longè præ aliis sapere, quæ *in Homiliarum modum* transformabantur. Unde & ex his aliisque semper nostrum eo validius solidatur judicium, circa illas omnium elegantissimas *Leonis* Homilias omnium votis expetendas.

XII. Sermones illi verus semper legitimusque *Leonis* partus censeri debent.

Et sanè si fidei suæ nimiùm prodigus non fuit *Sozomenus*, dum hist. lib. 7. cap. 19. asseruit: *nec Episcopum nec alium quemquam in Ecclesia populum docere*; si in hoc, inquam, & non minimo quidem, fidelis incessit Græcus scriptor (in quo si fefellit, peccati causæ non satis liquent) non potuit exempli novitas plurium animos admiratione non percellere, cùm primùm visus est *Leo* suggestum subire, & coram inter festivitatum solemnia, Verbum annuntiare; in eoque etiam (ut alii forsan dixerint) *forma* fieri *gregis ex animo.* Atque ut Principis facto, solenne est inferiorum animos excitari, & in officium redire socordes, inde magis stimulari potuit *Prosper*, zeli religionis & fidelium salutis semper flagrans Sermonibus illis inter Pontificias occupationes, quâlibet penê datâ occasione, pronuntiatis, si quid deerat nitoris & elegantiæ, de suâ venâ conferre; ut quanto majori cum Autoris sui, sedisque gloria, omnium manibus tererentur, & omnium linguis extollerentur. Et profectò quod de, Apostolicis Sermonibus dictum est, sic & de istis celebrari potuit: *in omnem terram exivit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum*: nam istorum excerpta Sermonum, seu variis officii Ecclesiastici partibus coaptata: seu in Sacramentorum formulis & explicationibus adhibita: seu Lectionariis illustrandis deputata: seu aliis Homiliis, tanquam gemmæ ad annulum, inserta maximam sacri ministerii portionem nobilitarunt. Nos certe inter varias Homilias, in Forojuliensis nostri Capituli Codice pernobili membraneo ante annos 900. exscriptas & ordinatas, ut pro temporis ratione utique recitarentur, non paucos *Leonis* Sermonum centones sæpiùs sparsos animadvertimus;

Psal. 44.

ſed & quàm longè plures, ipſoſque integros, in ſimilibus aliarum inſignium Eccleſiarum Codd. perlegit & recenſuit P. *Queſnellus*. Quæ quidem omnia invictè etiam probant eos non Romæ modò, vel in Italia, ſed in omnibus regionibus ac gentibus ad omnium expectationem, citiùs diffuſos, ubique meritò celebratos eſſe; ut nihil mirum fuerit, ſi illi ſic communicandi ac tranſmittendi, ejus ad quem res præcipuè ſpectabat, ſolicitudinem ac ſecundas curas excitaſſent. Unde & illud exurget, quòd illi ipſi Sermones pro vero legitimoque *Leonis* partû nihiloſeciùs cenſeri ſemper debeant: ſed cui interdum aliquos orationis ornatus contulit vir ævi ſui doctiſſimus & facundiſſimus, qui occupatiſſimo Pontifici à conſiliis, ac epiſtolis, aut præcipuus erat, aut unicus.

Quòd ſi iſtud vel ſatis mediocre mihi in anteceſſum & ab ipſo, ut vocant, *judicii limine* concedatur, etſi *de Vocat. Gentium* libri, ex innumeris, invictis, ac peremptoriis, *Proſpero* videantur aſſerti, ex iſto poſtremo illud demùm accreſcet, ut res ex *Queſnelli* principiis ac probationibus fiat etiam manifeſta: adeo ut tam ille quàm alii quotquot, qui in ejus parte ſunt, in illis ipſis quæ tam appoſitè collegit tractatuum iſtorum ſchematis, cum aliis quæ in *Leoninis* Sermonibus deprehenduntur, conferenda & commenſuranda, citò præjudicaturi ſint hac in verſura, nil aliud effeciſſe *Virum doctum*, quàm ut pro ſententia noſtra feliciter ac ſtrenuè punctum omne referret. Namque figuræ, periodorum ſectio, rythmi, aliique ſimiles orationis ornatus, illi ipſi haud dubiè ſunt, quos Sermonibus *Leonis* affundere potuit *Aquitanus*; cujus & ſuæ ſummæ peritiæ tanta & tam ſplendida dedit in libris *de Vocat.* & epiſtola ad *Demetriadem* ſpecimina. Nam quòd elegantia iſta magis etiam in Sermonibus eniteat, ſatis omnes meminerint, *hoc temporum, materiæ, autoriſque ætatis diverſitati prorſus imputandum: cùm Oratorius character in tantùm ab epiſtolari diſcrepet*, & in literis ejuſmodi figuras *rariores* eſſe oporteat, quàm in Sermonibus: nec ſimiliter obliti erint *non ita de ordinando ſermone, aut ſecandis periodorum membris ſolicitum fuiſſe* Proſperum, qui *rythmis perſæpe vitandis ſtuduiſſe videtur.* ſiquidem hæc & alia multa *ab operibus dogmaticis prorſus ablegantur*, ut ſatis ex concepta *Viri docti* confeſſione demonſtravimus ad finem 1. p. 3. Diſſert. n. 35. & Seqq.

At iterum nobis heic ſiſtendus eſt gradus, nec mirum, quando inter devia ſic incedimus: nam hæ jam primùm inſudaverant prælo paginæ, cùm curis iſtiuſmodi ſatis adhuc diſtenti, Nova obſervatio.

ut fert hominum indoles penitiora rimari, inter Codd. Mss. Bibliothecæ Augusti Principis, ad cujus frequentem aditum non nos magis invitat opum illarum, quibus abundat, exquisita copia, quàm nobilis ejus* Custodis ambienda consuetudo; inter ista, inquam, reverenda vetustatis monimenta, majorem nostris lucem admovere soliciti, nacti sumus codicem optimum membraneum Sermonum & Homiliarum *S. Leonis* ad n. 4023. in quo hæc ad rem nostram spectare nobis visa fuere. Siquidem primò liber ille, ex quatuor Homiliis, quæ in *die assumptionis Anniversario* dictæ notantur, tres tantùm exhibet, priorisque hæc est epigraphes: *Sermo B. Leonis Papæ de ordinatione sua* tum: *Laudem Domini*, &c. ut editi codices, ac deinceps, secundus & tertius Sermo ad hanc normam consequuntur, cum his titulis: *ejusdem de eodem Sermo* II. *Sermo* III. At quartus tandem qui incipit: *sicut honor est filiorum*, &c. quem in *Colbertino* codice, sub *Prosperi* nomenclatura deprehendimus, omnino desideratur: nam in Regio sequuntur: Sermones *de Collectis*: atque ex istis, qui in summa sex alibi reperiuntur, heic nonnisi quinque deprehendi; sextus enim: *Et divinis præceptis & Apostolicis didicimus institutis*, ac iterum *Prosperi* nomine obsignatus in *Colbertino*, abest. Abest denique & Sermo *de jejunio decimi mensis*: *Dispensationes misericordiæ Dei*, nam octo tantum describuntur ex novem sub hac solemnitate dictis, & nonus *Prospero* pariter assertus, eidem, ex hoc codice, non præripitur: in quo utique post octavum Sermonem, describuntur Sermones *de Nativitate*, aliique in Festivitatibus pronuntiati. Hæc certè, quandoquidem omnia judicio parari debent, quocumque loco proferenda erant; ne litis instrumentorum ulla, quæ notitiæ nostræ potuit occurrere, portio, per nos subducta censeretur. Quòd si nostras etiam in hæc conjecturas denuò præmittere, qualiscumque pretii res æstimetur, citò ex istis intellexisse non diffitebimur, sed & alios nobiscum ita intellectum ire satis perspicimus, Sermonum *Leonis* vetustiora exemplaria, hos tres *Colbertini* Codicis Sermones non prætulisse, ut eos re vera non præfert Regius Codex ante annos 500. exaratus: etsi autem de uno vel altero res haud videretur insolens, cùm quisque universos non repræsentet, id in isto singulare semper videri debet, quòd Sermones illi omnium postremi sint, ex iis, qui in assignatis annuis solemnitatibus describuntur. Nam & inde hæc suspicandi rationabilis causa suboriri potest, an id contigerit, quia illæ duntaxat priores Homiliæ à *Leone* pronuntiatæ nomen ejus susceperunt: aliæ posteriores è suggestû non auditæ & inter *Prosperi* schedas & fortunas repertæ ejusdem nomen retinuerunt; etsi forsan nonnisi ipsius limâ perpolitæ fuissent. Hæc alii perpendant, & nos meliora doceant; nam pilam claudi tenebimus.

* D. Thevenot.

DISSERT.



DE SUPPOSITIS S. PROSPERO SCRIPTIS, ET TRACTATIBUS, DISSERTATIO VII.

Viam haud usquequaque tritam in his Dissertationibus emensi, circa ea, quæ *S. Leonis* Epistolas vel Sermones attingunt, nunc ad *Prosperiana* opera delabentes, in aliam multorum vestigiis complanatam tandem regredimur, illorum scilicet Eruditorum, qui in illis emaculandis & secernendis egregiam operam locarunt. Quò fit ut præviis tot probatis ductoribus, aut certum iter tenere, aut commune saltem cum illis discrimen subire securi fiamus: nisi nos iterum ad penitiora quædam rimanda propellat occasio. I. De reliquis operibus *Prosperi*.

Et quidem, ut de tractatibus *Prospero* subjectis primò sermonem instituam, quem nunc latet, opus *de Promissionibus & Prædictionibus Dei*, quod, ea* saltem, quâ in his Dissertationibus usi fuimus, quasi primogenitum exhibet, editio, alterius esse fœtum, *Aquitano* perperam suppositum? Nam ut jam optimè notarunt *Ph. Labbeus* Dissert. de Scriptorib. Ecclesiast. in *Prospero*, ac etiam accuratiùs *Hen. Norisius* Hist. Pelag. lib. 2. c. 14. horum librorum autor, vel ipsomet teste autore, non Aquitanus, sed Africanus fuit, quippequi part. 3. c. 6. *Dimid. temp.* asseverat suis temporibus *Aspare* VI Cos. Car- Ac de subjectis primò

* *Paris. an.* 1672.

Opus de *Promiss. & Prædict.* autoris Africani partus fuit.

thagine constituto, signum diabolicum monstrosumque accidisse, quòd, inquit, *quis illius patriæ civis ignorat? Quædam enim juvencula Araba natione*, ut narrare pergit, dæmone, ob curiosiùs conspectam in balneo Veneris imaginem, arrepta, &c. per duas hebdomadas nihil cibi vel poculi sumens in monasterio mansit: *accidit autem ut quintusdecimus dominicus illucesceret dies, ascendente nobiscum sacerdote, ut matutinum illic sacrificium solitò offerretur.* Et post aliqua: *manu igitur faciem ejus sustentante sacerdote, ne Sanctum projiceret, à quodam Diacono suggestum est, ut calicem salutarem gutturi ejus Pontifex applicaret. Quod ut factum est, statim ut locum illum quem diabolus obsederat, Salvatoris imperio reliquit, sacramentum, quod ore gestabat cum laude Redemptoris transglutisse puella clamavit.* Ecce jam insignis facti testem oculatum, qui in Africæ Metropoli degebat, & aliqua fortè apud Clerum illum dignitate vel officio cohonestatus erat, quod innuere illa videntur: *ascendente nobiscum sacerdote*, &c. degebat autem *Aspare* Conf. hoc est adan. 434. quo contra *Gensericum* invasorem acriter armis decertabatur; dum hoc ipso anno *Prosper* adversùs Massilienses audaciùs tumultuantes calamum resumens *Cassianum* illorum antesignanum, nervosâ tractatione, percellere tandem adductus fuit.

II. Hic autor adolescentiam in Africa transegit.

Quòd autem scriptor ille in Africa, ubi hoc anno 434. morabatur, adolescentiam exegerit, rursus & ipse testis accedit ead. p. 3. *Promiss.* 38. ubi hoc habet: *Nam cum sancta Paschæ solemnis ageretur festivitas, collecta illic & undique omni curiositate adveniens multitudo sacerdotum multorum, pater & dignæ memoriæ nominandus antistes* Aurelius *cœlestis jam patriæ civis, cathedram illic loco Cœlestis & habuit & sedit.* IPSE TUNC ADERAM *cum sociis & amicis, atque ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat, dum curiosi singula quæque pro magnitudine inspicimus, mirum quoddam & incredibile nostro se ingessit aspectui, titulus æneis gradioribusque literis in frontispicio templi conscriptus*: AURELIUS EPISCOPUS DEDICAVIT. Quod cùm templum *Cœlestis*, eodem ibidem assertore Africano, consecratum sit ex occasione legis ab *Honorio Theodosii* minoris filio latæ, quâ templa omnia cum suis adjacentibus spatiis, Ecclesiis contulit, simulque eorum simulachra confringenda indulsit, superest ut hoc facinus contigerit post annum 399. quo datum hoc cum aliis istiusmodi edictum, vel facultas; idque Paschali solennitate recurrente. Si autem Scriptor iste anno circiter 400. in adolescentia constitutus Carthaginem incoluit, ubi anno 434.

Sedem adhuc fixam retinebat, difficilè eum alium, quàm Carthaginiensem, vel Africanum dixeris: multòque minùs in tanto temporis intervallo eundem non mediocris nominis virum, *Augustino* tum in hac Metropoli, tum ex Provinciæ Synodorum occasione in his regionibus sæpiùs diversanti de facie notum fuisse negaveris. At *Prosper* noster & Aquitanus fuisse omnium hucusque consensione, perhibetur, & Hipponensi Antistiti de facie ignotus suomet testimonio proditur, nam ad eundem scribens habet, *ignotus quidem tibi facie, sed jam aliquatenus, si reminiscaris, animo, ac sermone compertus*, &c. Ergo vel ex istis, qui hos libros *de promissionibus & prædictionibus* elucubravit, omnino diversus est *ab Aquitano*: ne dicamus *Gennadium* aliosque, qui post ipsum, Ecclesiasticos scriptores recensuerunt, nusquan eos tractatus *Prospero* tribuisse.

Augustino notus esse de facie potuit:

At *Prosper* nusquam.

Attamen ut ætatis, ita & autoritatis *Gennadianæ* æqualis objicitur *Cassiodorus Senator*, qui explicatè sancto *Prospero* fœtum illum adjudicat lib. *de inst. div. liter* cap. I. ubi hæc habet: *Sanctus quoque Prosper sedulâ curâ legendus est, qui tres libros totius autoritatis divinæ in centum quinquaginta tribus titulis comprehendit, adinstar piscium, quos Evangelica retia de hujus sæculi tempestuosa profunditate traxerunt*. Hæc quidem *Cassiodorus*, ad cujus toties versata verba, nec satis hucusque componi posse visa, sperabamus fore ut novissimus illius operum editor ac illustrator illustrationem adjungeret, sed locum illum observationibus suis vacuum dimisit Vir Doctus, quòd haud dubiè non haberet, unde suum in hoc *Cassiodorum* excusaret. Et nec ipse profectò excusari potest, siquidem de *Prospero* Aquitano suum istud testimonium proferre putavit, ob peremptorias rationes mox allatas. Hanc autem illius fuisse mentem, inde conjici datur, quòd ipsemet ejusdem lib. *de Inst. div. lit.* c. 17. de Historicis Christianis sermonem persequens de *Prospero* ita loquatur: *Sanctus quoque Prosper Chronica ab Adam ad Genserici tempora & urbis Romæ deprædationem usque perduxit*. Quibus verbis quidem hunc *Prosperum*, qui Chronica scripsit, eundem se existimare satis innuit, quem tres libros totius divinæ autoritatis elucubrasse paullò antea testatus erat; uterque enim *Sanctus* illi reputatur. At Chronica illa *Cassiodorum*, *Prosperi* nostri fœtum intellexisse, ex eo quisque credere determinabitur, quòd *Gennadius* Chronica ejusdem nomine prætitulata vidisse testetur in Catalogo, è quo sua haud dubiè expiscatus *Senator*, qui jam citato cap. 17. ejusce operis lectionem impensè commendat.

III. An *Cassiodorus* hanc *Aquitano* scriptionem tribuerit?

IV. Unde hanc operam *Prospero* assignandi data occasio?

Non me latet quidem de duobus *Prosperis* suspicionem nonnullis eruditis injectam; at de eâ conjectura quidquid fuerit, ex ea illud saltem in res nostras accederet, quòd & ejus etiam autoritate roborari posset *Prosperum* nostrum, librorum in quæstione positorum autorem asseri nuspiam valere, sed alterum. Id nunc porrò pensiculatius expendere juuat, unde tamen factum sit, ut hic *Prospero* partus adscriptus & inter ejus opera fuerit recensitus? Et quod ad stylum quidem attinet, nulli ille fucum facere potuit, quippe qui à *Prosperiano* longè distat, cujus nedum nervos, sed nec penè ullas ejus concinnitatis & elegantiæ fibras referre potest, ut alias taceam loquendi formulas huic familiares, quæ *Prospero* nusquam in usu sunt. At si ex styli similitudine non potuit prodiisse deceptio, non sic vicissim ei occasionem præbere nequivit affectuum studiorumque affinitas: nam præterquamquod hic scriptor in *Augustini* lectione satis se versatum prodit, cujus adeoque verba & autoritatem assumit in hoc opusculo, non secus ac *Prosper* in suis; id etiam genuinè fatendum est, Africanum istum, in aliis multis, *Prosperi* genium sibi proposuisse consequendum, ac imitandum. Patet id primò in prima ejus operis linea, ubi toties laudatam à *Prospero Pauli* 1. Corint. 3. 7. sententiam: *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, &c. adducit & ipse præfationis initio, tumque *de Agricultura cœlestis & regalis patrimonii*, quam excoluerunt Apostoli, &c. loquitur ad mentem omnino *Prosperi*, quem in istis frequentem, ac penè nimium fuisse satis in tabulis nostris advertimus. Quòd si hæc allusio minùs intentos non cœpit abducere, residua facilè præstitisse pronum fuit. Namque 2. tum in hac præfatione, tum in consequenti prologo, distributionis operi præscriptæ methodus *Prosperianum* genium quadantenus spirat, quod vel ex hac loquendi formula satis elucescit: *sub gratia manifestâ, quæ occultis semper interfuit*: ubi *occultum*, *manifesto* opponitur, ad eam prorsus similitudinem, de qua sæpe sæpius in collationibus observatio præmissa fuit. Et paullò post sententia *Augustiniana* citatur ab illo, quam *Prosper* antea deflorasse & suis ex *Augustino* excerptis inseruisse reperitur. 3. In multis operæ titulis quædam assumuntur argumenta pertractanda, quæ *Prosper* occupaverat, imò & interdum illius verba depromuntur; namque *Prosperiana* penitus est hæc phrasis p. 1. *Præd.* 3. ubi: *diaboli sententiam eos manere, qui ejus fecerint voluntatem*; quæ tam frequenter in ejusdem *Nostri* responsis adversus calumniantes adhibetur. Sed &

Quæsiti recensentur tituli, per quos hæc opinio invalere potuit.

alii consequentes tituli *: de Vocatione Abraham* c. 10. & seqq. rem pleniùs demonstrant. Et p. 3. *Prom*, 35. inscriptus est titulus *: de Vocatione gentium* : tum *Prom*. 36. hoc assumptum sibi proponit enucleandum: *Quòd Reges Christum in Ecclesia persequentes ad eam humiles adducentur.* Et Prom. 37. *jugum legis Christi etiam Reges suscepisse.* At themata ista præ aliis omnibus *Prosperum* illustrare affectasse convincunt innumera illius operum testimonia, quorum & aliqua in collationibus nostris, & præcipuè ad c. 15. 2. p. 3. *Diss.* & alibi perstrinximus.

Ex his igitur aliisque similibus, quæ facilè in his libris reperirentur, procliviùs crederem sciolos quosdam hâc argumentorum consonantiâ præcipuè delusos, *Augustinianæ* doctrinæ studiosi, sed *Anonymi* fœturam non illaudabilem, *Aquitano* ejusdem acerrimo vindici tribuere primùm cœpisse; unde & in illius operum collectionem titulus ille, cum aliis similiter adulterinis tractatuum inscriptionibus irrepsit: id, inquam, procliviùs existimarem, quàm alium *Prosperum*, eumque sanctitatis famâ decoratum admitterem, cujus nulla memoria, nullus in horum temporum monumentis apex reperiri perhibetur.

V.
Libb. *de vita contemplat. Prospero* Antiquitùs adscripti.

Huic autem sententiæ robur & autoritas inde conciliari posse videntur, quòd & celebres illi de *vita contemplativa* libri, pari ausu, vel inscitia *Prospero* Aquitano sint adscripti. Qui error certè ab antiquo invalere debuit, nam à medio octavo sæculo scriptores habemus, qui sub ejus nomine opus illud laudant. *Chrodogandus* enim Metensis Episcopus, qui hâc tempestate floruit & studio regularis disciplinæ, cui Canonicos suos colla subdere voluit, admodum commendabilis extitit, in Regul. Canonic. *Prosperum* librorum *de vita Cont*. autorem statuit. Item *Jonas* Aurelian Episc. in libb. de *Laical. instit.* tom. 1. Spicilegii *Dacheriani*. Tum Concilium Aquisgranense sub *Ludovico* Pio in causa ejusdem Canonicorum institutionis celebratum an 816. in hanc opinationem abit, & hos tractatus uti *Prosperianos* agnoscit, non secus ac Concilium Parisiense 6. sub eodem Imperatore post annos 13. coactum. At nunc uno ore conveniunt Eruditi partum illum non esse *Prosperi*, sed *Juliani* cognomento *Pomerii*, natione Mauri, qui Arelate Rhetoricam, magnâ famæ laude, docuit, auditoremque habuit *Cæsarium* Magnum, hujus urbis posthàc Episcopum, ut testatur ejusdem S. Pontificis vitæ liber. Hujus porrò sententiæ probationes suppetunt innumeræ, nam ex ipsiusmet autoris testificatione ut primum argumentum ducamus, iste (quod soler-

Juliano Pomerio rectè jam vindicati sunt.

ter ante omnes advertit *Jac. Sirmondus* in notis ad Aquisg. Concil. de *Hilario* Arelatensi qui obiit anno 449. laudem contexit lib. 2. c. 9. quasi ejus quem longè satis ante, diem supremum obiisse supponit, quod æqualis illi *Prosper* asserere non potuisset. Quam enim urget rationem *H. Norisius*, loco jam citato, quòd nempe *Prosper* non ita liberaliter *Hilarium* laudasset, cùm *Hilarius* Semipelagianorum in Galliis coryphæus fuerit, ut ipsemet *Prosper* testatur in literis ad *Augustinum*; quod, inquam, heic excipit Vir doctus, non usquequaque consistit: namque in ipsis literis, *Prosper* Semipelagianorum Coryphæum nusquam denigrat *Hilarium*, quem è contra *meritis clarum, præcipuæ autoritatis & spiritualium studiorum virum* collaudat, *admiratorem & sectatorem in aliis omnibus* Augustinianæ *doctrinæ*; sed qui *de hoc, quod in querelam trahit*, apud *Augustinum ipsum, sensum suum conferre* velle spondet. Quæ certè studia atque promissa alium prorsùs, quàm partis alicujus antesignanum subindicant. Sed & hæc sincerissimis *S. Prosperi* sensibus & affectibus quadantenus detrahere videtur persuasio, quòd debitis exinde laudibus Præsulem fraudare voluisset; quem opinionibus licet erroneis, sed ab Ecclesia non rejectis inhærentem, seu potiùs circa eas dubium & animi pendentem, *meritis clarum* nihilosecius & *spiritualium studiorum virum* dudum agnoverat & prædicarat.

Nosirius. S. Hilario Arelat. haud satis æquus.

Pro Juliano Pom. aliæ *Isidori* & Mss. Cod. graves autoritates.

At ad alias rationes concedamus, quæ ex altero, dùm opus vero autori restituent, necessariò illud deinceps à *Prosperiana* hæreditate secernent. Ac primùm S. *Isidorus* lib. de script. Eccles. c. 12. explicatè libros istos *Juliano Pomerio* adscribit, his verbis: *Alios quoque tres libros edidit de futuræ vitæ contemplatione, vel actuali conversatione, nec non etiam de vitiis & virtutibus*: quâ certè recensione omnis operæ distributio & tractationis argumentum conscribuntur: ut ex libri tertii præfatione clariùs perspicitur. 2. laudatus *Sirmondus* Cod. Ms. S. Salvatoris vicecomitis vidisse testatur, in quo libri illi, *Juliani Pomerii* nomine prætitulantur. Et eodem fide dignissimo assertore, in collectione Canonum codicis Andegavensis, *Sancto Pomerio*, sic enim vocat, rursus adscribuntur tractatus illi. Quò fit ut melioribus certioribusque indicibus partus ille legitimo parenti postliminiò restitui non possit.

VI. *Juliani* fama fortunaque magis investigatæ.

Fuit porrò hic *Julianus Pomerius*, dùm hæc scripsit, ex Rhetoricis disciplinis ad Ecclesiasticos gradus provectus; neque enim credere par est *Julianum* Episcopum, cujus jussu stylum

arripuit, autorem illi fuisse, ut de Clericorum officiis tractaret, antequam gradu auctus esset, cui Ecclesia magisterium & aliorum institutionem permittit. Sed & *Gennadius* hunc presbyterum ordinatum tradit: *Ennodius* Ticinens. Episc. exquisitè laudat lib. 2. epist. 6. quam ipsi inscribit, ubi hæc sub finem: *nunc vale mi Domine & circa me Ecclesiasticæ disciplinæ magis exerce fautorem*, &c. Ad eundem etiam duas epistolas transmisisse legitur *Ruricius* Lemovic. nam & ipse *Æonium* Arelatensem rogat, lib. 2. cap. 8. ut *Pomerium* ad se venire jubeat. Hunc autem cùm tunc *Abbatem* appellet, argumento est eum ab *Æonio* monasterii regimini, post adeptum sacerdotalem ordinem, præpositum fuisse, quemadmodum ipsemet Pontifex *Cæsarium* jam factum presbyterum monasterii Abbatem pariter constituerat. Dum porrò recogito *Cæsarium* huic suburbanæ sodalitati defuncti Abbatis loco suffectum, pulsat interdum mentem suspicio, num ille *Juliano* magistro quondam suo hac in præfectura successor tunc extiterit, quem quidem hàc tempestate jam annis gravem existimare consequens habemus. Quod etiam innuit *Gennadius* in Catalogo c. 98. quem & ille concinnans, aut amplificans circa annum 494. ait: *scripsisse & alia dicitur & adhuc scribere..... vivit usque hodie conversatione Deo dignâ aptâ professioni, & gradui.* Quibus etiam & duabus postremis vocibus & Monachatum illius & Sacerdotium designat.

VII. Quidam *Gennadii* MSS. codd. in *Juliano* desinunt.

Porrò nec monere frustra fuerit, in hoc *Juliano*, MSS. plerosque *Gennadii* Codices Scriptorum Ecclesiasticorum recensionem perfecisse, quod etiam ex *P. F. Chiffletii* animadversione, in Bibliotheca sua pariter declarat *Aub. Miræus*, qui ab illo » per literas didicerat, penes se esse Gennadii *librum unum pervetustum, edito non pleniorem, imò contractiorem à fine*, in quo » Pomerius *nonagesimoquinto, eoque ultimo capite* recensetur, *Honorato* Massiliensi Episcopo præterito. *Sanè*, pergit *Miræus*, vitam S. *Hilarii* Arelatensis, quam autor Chronologiæ Lirinensis » huic *Honorato* inscribit, solo vulgati *Gennadii* fretus testimonio, *Petrus Saxius* in Pontificio Arelat. ex MS. Cod. vindicat » *Reverentio* seu *Ravennio Hilarii* successori. Et sunt alia quæ » mihi suspectam faciunt illam apud *Gennadium*, *Honorati* Massiliensis mentionem. Hæc *Miræus*, ex observato per *Chiffletium* *Gennadii* Codice MS. cujus quidem lectio & deductæ inde suspiciones sustineri utcumque possent, ex altero MS. Cod. Biblioth. *Colbertinæ* annorum circiter 600. de quo jam memini-

At propterea suspecta non sunt, quæ in aliis codd. de *Honorato* Massilien. subjuncta fuere.

mus, quippequi pariter *Honoratum* Massiliensem præterit, etsi ille in Scriptorum recensendorum tabula conscribatur. Verùm enim verò si ex probatorum Codd. Mss. fide numeroque pendenda res est, tam *Chiffletii*, quàm *Miræi* citò conjecturæ dispungentur: siquidem longè plures eundem repræsentant *Honoratum* Massiliensem, quàm qui prætermittunt: Et omnium antiquior Cod. Cœnobii S. *Germani* Pratensis istum commemorat ante *Maximum* Taurinensem, *Petronium* Bononiensem, &c. Deinde, quod adverti præcipuè debet, non omnes recenset Scriptores codex quilibet: in quibusdam enim desideratur *Evagrius*, in aliis *Celestius*, in aliis & frequentiùs ipse *Gennadius*, imò & in Regio C. MS. num. 4025. cujus vetustas septem sæcula prætergreditur, *Hilarius* Arelatensis omnino excidit exemplatoris industriæ, quod de *Honorato* conjici meritò posset. Sed de eo id etiam gravius occurrit, quòd cùm *Gennadius*, post emissum primò Catalogum, varia eidem additamenta subjunxerit, seu autorum qui ab inde floruerunt, seu jam laudatorum, qui alios tractatus emiserunt (ut satis ex lectione patet, & signanter in *Fausto*) facilè contingere potuit, ut *Honoratus* qui postremus omnium meruit, in quibusdam exemplaribus non observetur, quæ juxta priora autographa descripta fuerunt.

VIII. *Pomerii* libri *de vita Contemp.* cuinam nuncupati?

Sed ut ad *Pomerium* redeamus, præter ea quæ notata sunt, nil ad res nostras ex ejus libris expiscari licet: inscripti sunt illi quidem *Juliano* Episcopo, sed incertum cujus sedis fuerit Episcopus. Observatur sanè hujus nominis Pontifex Carpentoractensis in Epaonensi concilio anni 517. subscriptus, cui hanc operam cur dedicatam non judicemus, non obstare hucusque videntur tum ratio temporis, tum regionum distantia: sed ut erat hoc nomen eâ tempestate commune, alii etiam esse potuere *Juliani*, quorum alteri lucubrationes suas nuncupasset *Pomerius*. Nam si fides autori vitæ S. *Honorati*, quæ circumfertur, sedit inter Forojulienses hujus nominis Pontifex, quem cùm iste ejusdem *Honorati* & *Caprasii* ex Italia reducum hospitem narret, nos in Dissert. *de Initiis*, &c. eundem cum *Quillinio*, ad quem extant *Leporii* retractationis literæ, fuisse conjeceramus. At quia consarcinatori solenne est remotiores temporum epochas conjungere, vel conjunctas distrahere, potuit ille *Julianum* Episcopum inter hæc tempora deprehendisse: post *Victorinum* utique qui anno 506. Agathensi Concilio nomen dedit: cujusque extat epistola ad *Ruricium* Lemovisen-

An *Juliano* Carpetoract. vel Forojul.?

movicensem, & istius ad *Victorinum*. Ipso autem Fori-julii sedente, *Julianum Pomerium* regiones nostras collustrasse & cum nostris necessitudines habuisse singulares probabimus in *Secretis Lirinensibus*. Ex hac autem ejus in his partibus consuetudine, haud dubiè afflatam illi opinationem suspicamur, quâ ex laudati *Isidori* testimonio primum edíscimus, eum in octo libb. *de Natura Animæ* quos conscripsit, secundum *Tertulliani* erroribus labefactasse, dum eam corpoream *fallacibus* etiam *argumentis* adstruere contendit. Nam tum magnâ famæ laude celebrabatur *Faustus* Monasterii Lirinensis in Forojuliensi territorio, post *Maximum* Reïensem tum Episcopum, Abbas, qui quidem sententiæ penè consepultæ cineres suscitare & quasi gymnasium aperire non detrectans, eam etiam scriptorum monimentis acriter defendisse perhibetur: contra quem ex adverso stetit *Claudianus* Viennensis Ecclesiæ Presbyter, litisque arbitrum selegit *Præfectorium Patricium, doctissimum virum, & opt. C. Sollium Sidonium*, his enim nominibus, in epistola libris suis præfixa illum convenit. Arbitrum illum, inquam, statuit *Fausto* licet amicissimum, sed qui amiciorem sibi veritatem satis cumulatè testatus esse videtur, dum libros illos tot exquisitis præconiis celebravit in sua ad *Claudianum* epist. lib. 4. 3.

Quibus ille in Forojul. tractû necessitudinibus junctus.

Ibidem hausit ex *Fausto* Lirin. errorem, de animæ corporeitate, quam libb. suis inspersit.

Quod superest suos de *animâ* libros *Pomerius*, ad ejusdem *Iuliani* Episcopi, cui eos, *de vita contemplativa* inscripsit, petitionem digessit, eodem assertore *Gennadio*, qui alium presbyterum nomine *Verum* memorat hujus operis edendi cum *Iuliano* promotorem. Atque in hujus fortunam cùm hucusque vix quidquam deprehendam animadversum, haud scio an prior feliciter conjecerim *Verum* istum, ab eo non diversum esse, quem tam exquisitis præconiis commendat *Salvianus* epistolâ suâ septimâ, eidem & *Apro* inscriptâ; quæ quidem tanto majorem Viri celebritatem arguunt, quantò major ipse *Salvianus* in his etiam laudibus parcior fuisse nobis videtur. Sed hæc rursus seu *Julianum*, seu *Verum* extra Provinciam, vel ejus viciniam quærendos non esse satis arguerent. At pro *Vero* illud etiam majus occurrit, quòd inter hæc tempora in Arausicanorum Præsulum serie, nominis hujus observetur Præsul, quem ab isto nostro diversum non crediderim; non illo quidem, cujus nomen inscriptum legimus epistolæ Provincialium Episcoporum ad *Leonem*, pro instauratione jurium Arelatensis Episcopi (quod insigni κατα χρήσει sibi persuasit *Quesnellus*, in notis ad hanc epist. ubi

Veri celeberrimi viri, quo petente, scripsit *Pomerius*, fortuna primùm inumbrata.

Eutropium Arausicanum *Veri* decessorem, sub quarti sæculi finem sedisse tradit: cùm constanter sequentis medium prætergressus sit, & ab *Hilaro* Pont. Max. nec non *Sidonio* jam Episcopo literas susceperit) sed illo *Vero*, qui post *Eutropium* sedit, hoc exeunte sæculo, cujus & vitam scripsit, teste *Sigeberto*. Istius enim optimè concurrit temporis epoche, cum *Juliani*, ac *Salviani*, à quibus laudatur, gestis.

Quesnelli lapsus.

X. Alia opera *Prospero* tributa aut subjecta similiter, aut dubia.

Quod superest, præter ista opera *Prospero* supposita, alia non animadverti, alicujus nominis, ac celebritatis, quæ sub ejus nomine circumferantur. Extat quidem confessio *Tyronis Prosperi*, quam primum *Jac. Sirmondus* publicavit anno 1619. ex Bibliot. Vaticana, post *Eugenii*, & *Dracontii* carmina; at in qua vix aliquid deprehendere licet, *Prosperi* stylo satis simile, aut ejus famæ valde consentaneum: pro qua illi asserendâ, multùm solicitudinis impendi debeat. Magis moveret fragmentum in pervetusto Cod. MS. tractatuum & Serm. S. *August.* Bibliothecæ *Colbertinæ*, nuper à me deprehensum, cujus epigraphes præfert: *de caritate, de libro* Prosperi, nam in hoc excerpto, in quo caritatis ac Crucis Christi laudes satis eleganter perstringuntur, non desunt aliqua ramenta quæ elocutionibus ac nobilibus *Aquitani* sensis respondent. Unde si hæc Paraphrasis libri ab eo, hac de re, conscripti fragmentum non est, quod vix crederemus, summa quædam facilè nobis haberetur eorum quæ de hoc argumento ex aliis ejus libris deflorata fuerunt. Sed hæc otiosiùs investigandi se dabit occasio, cùm rem ipsam exhibebimus.

Prosperi liber de Caritate.





DE CHRONICO
SEU
CHRONICIS
S. PROSPERI.

DISSERTATIO VIII.



Superest & Chronicon, seu Chronica (nam ita variè opus illud citant Veteres) ejusdem nomine obsignata, quæ *Prosperianum* similiter partum omnes existimarunt: sed audio nuperos quosdam æstimatores in hanc sententiam ægrè concedere, imò & alios ab ea penitus recedere & alteri *Prospero*, quàm Aquitano nostro Chronicon illud adjudicare. Inter istos eminet jam laudatus P. *Garnerius* è Soc, JESU, qui Dissert. 3. ad *Marii Mercat.* opera, duos *Prosperos* statuit & Chronici autorem, ab *Augustini* discipulo secernere non hæret. Unde & *Gennadii* testimonio, qui ex his quæ composuisse dicitur *Prosper*, legisse ait *Chronica ejus nomine prætitulata*, opponit Vir doctus: *Sed an verum autorem fronte prætulerint, an alium mentita, adhuc est sub judice lis in cœtu Doctorum?* Agitur heic itaque de famoso opere, quod *Prospero* Aquitano vindicetur, aut eidem cum *Garnerio* penitus abjudicetur; quam cùm nostrarum partium sit eventilare quæstionem, aliqua mihi ad ejus plenam re-

I. Chronicon, *Prosperi* rursus, in subjecti operis suspicionem nuper adductum

solutionem videntur investiganda. Ac primùm Antiquorum autoritates adduci & excuti debent, quæ Aquitanum *Prosperum* Chronici autorem asserunt. Tum 2. rationes & argumenta inde referri, per quæ alii memoratum opus huic Scriptori servandum non esse contendant. Quibus tandem depulsis ac elevatis, 3. subsequentur rationum & autoritatum vis atque robur, quorum ope, veluti nativis suis ponderibus librata vetus sententia perstabit tandem immota, & inconcussa.

Quibus titulis & rationibus eidem vindicetur.

Quod ad autores spectat, qui Aquitano *Prospero* Chronicon adscribunt, ii sunt magni nominis viri, testesque omni ut aïunt, exceptione majores, quos ementitam inscriptionem decepisse suspicio non esse potest. Stabit itaque verbum omne *in ore duorum, vel trium testium*, quibus auditis, ad alterius argumenti partem facilè patebit aditus, imò & ad eam resolvendam accessus omnis.

II.
Testes & indices pro *Aquitano* quales & quanti?

Qui primus ordine temporis se se sistit, eò attentiùs auscultandus est, quò vel ex nomine *Aquitani* popularem, & conterraneum: ex studio & professione, Chronographum, seu temporum calculatorem: ex ævo συγχρόνῳ se prodit: & ex gestis tandem ac necessitudinibus, cum eodem *Prospero*, consuetudine ac familiaritate probabilissimè conjunctum. Is est *Victorius* vel *Victorinus* natione pariter Aquitanus, qui ex *Leonis* Pontificis jussione, cui erat à consiliis & epistolis *Prosper*, procurante *Hilaro* R. E. tum Diacono, postea Pontifice, Cyclum Paschalem indagatione cautissimâ concinnavit. Iste autem in præfatione ad *Hilarum*, ita loquitur: *Recensitis fidelibus historiis Veterum, Beati scilicet Eusebii Cæsariensis... Chronicis, prologoque, ac proinde his quæ à sanctæ memoriæ Hieronymo, hisdem Chronicis sunt adjecta, presbytero, perquem in latinum quoque probantur translata sermonem; hisque etiam quæ* à sancto & venerabili Viro PROSPERO, *usque ad consulatum Valentiniani Aug.* VIII. & *Anthemii, constat fuisse suppleta; reperi à mundi principio ad diluvium..... A cujus* (Nini) *tempore, gestarum rerum publici scriptores esse cœperunt. Quapropter Vir venerabilis prædictus Eusebius Chronicorum ab hinc exorsus est historiam, volens industriæ suæ fidem mundanorum quoque Annalium coætaneo relatû perpendi, & professæ veritatis etiam Gentilium literas testes sciscitari, contentus præterita sæcula sacris voluminibus explicari, ætates tantùm summatim retrò generationum ex Prologi textu patefaciens, & operis plenitudine sub annorum recapitulatione pariter comprehendens: cujus tenorem Vir venerabilis* PROSPER *secutus, hisdem Chronicis, hæc eadem egregiâ brevitate composuit, ut eorum initium à*

1. *Victor* seu *Victorius* Aquitanus.

Mundi inchoaretur exordio. Hæc *Victorius* Aquitanus, qui hoc in arduo opere non alios secutus esse declarat duces, ac signiferos, quàm *Eusebium*, *Hieronymum*, ac *Prosperum*: quem *sanctum ac venerabilem*, tum *venerabilem Virum* appellat, quâ vel simili nuncupatione designatur *Aquitanus* noster, apud Antiquos; ne quis alium à populari suo indigitare voluisse *Victorium* suspicetur.

Sed ne hac dubitatione tantillùm pulsemur aliæ rationes, & invictæ quidem illæ, penitus prohibent. Namque 1. si scriptor ab *Aquitano* diversus, isque *sanctus ac venerandus* Chronica illa digessisset, quî fieri potuisset, ut vir talis ac tantus alteri *Prospero* famâ itidem florenti coætaneus, cum ipso tamen indiscretè acceptus, nullâque notâ distinctionis ab ipsis coætaneis iisque diligentissimis scriptoribus, Posteritati fuisset commendatus? 2. Quòd si hæc Chronica alium *autorem mentita* essent, *quàm fronte præferebant*, ut subdubitat *Garnerius*, hæc *Gennadio* forsan, aut alii cuilibet potiùs quam *Victorino Aquitano*, fucum fecisset inscriptio. 3. Cùm probet indubitata Chronologia *Victorinum* opus suum literarum monimentis tradidisse anno 457. quo aut adhuc superstes erat Notarius *Leonis Prosper*, aut paullò ante, ut contendit *Labbeus*, excesserat, claro clarius est Aquitanum Calculatorem, Romæ forsan scribentem conterranei sui scripta ignorare non potuisse, nec tanti ponderis operam ementiti larvatique scriptoris autoritati permisisse. Quòd si vel cogitasset, quot post *Hilarum* Diaconum, alii præstò fuissent viri docti ad eum dedocendum comparati? Quàmve plures post *Victorii* obitum, hanc ejus hallucinationem aut notassent, aut castigassent? Quæ certè graviora momenta suggerere visum est, in antecessum illius omnium gravissimi, quod ex Chronicorum styli cum *Prosperiano*, comparatione coæquatissimâ, postea reducendum omnem in perpetuum difficultatem eliminabit. Sed alii qui præmitti debent testes examinandi sunt.

Quàm peremptoria sit ejusdem assertio.

Victorio Aquitano *Gennadium* Massiliensem subjicimus, cujus assertioni quemadmodum autoritatem confert ætate superior ille, ita & istius testimonium alter, post annos circiter quadraginta, Virorum illustrium Catalogum curiosè recensens robur conciliat; dum explicatè Chronicorum autorem *Prosperum* Aquitanum & Massiliensium adversarium determinat. Quod ne & ei fortuitò elapsum esse dubitaretur, illud ipsum in duobus insignibus locis retractat. Namque non satis habens (dum de *Prospero* loquitur c. 84.) eidem pro primo ingenii partû, Chronico-

III. 2 *Gennadius* Massiliensis.

rum opus his verbis adſcripſiſſe: *compoſuiſſe multa dicitur, ex quibus ego* CHRONICA *nomine illius prætitulata legi, continentia à primi hominis conditione, juxta divinarum Scripturarum fidem, uſque ad obitum Valentiniani Aug. & captivitatem urbis Romæ à Genſerico Wandalorum rege factam*, &c. quaſi, inquam, hæc tradere non ſatis illi fuiſſet, & poſterorum dubitationes auguratus eas antevertere ſategiſſet, poſt duo capita, de *Victorio* jam laudato ſermonem habens, hæc ad illius mentem profert: *compoſuit Paſchalem curſum indagatione cautiſſimâ, poſt quatuor priores qui compoſuerant, id eſt Hippolytum, Euſebium, Hieronymum* & PROSPERUM. Sed nec ſic iſta prætermittenda ſunt: dum enim inaudimus *Gennadium* aſſerentem, P*roſperi Chronica legiſſe continentia à primi hominis conditione, juxta divinarum Scripturarum fidem*, & ea *uſque ad Valentiniani obitum perduxiſſe*; in memoriam revocandum, fidem jam feciſſe *Victorium*, quòd Proſper, *Euſebii* pariter à *Mundi principio* hiſtoriam ſuam ſeu Chronologicos calculos auſpicantis, &c. tenorem ſecutus, *hiſdem Chronicis hæc eadem egregiâ brevitate compoſuit, ut eorum initium à Mundi inchoaretur exordio.* . . . . & inſuper ad *Valentiniani Aug.* Conſulatum hæc continuavit. Quibus quidem ita mirè invicem coëuntibus, nunc id nobis certum exploratumque eſt, *Gennadio* alia non fuiſſe ſuppeditiata Chronica, quàm ea quibus uſus eſt ipſe *Victorius*, eaque tandem *verum* non *ementitum* autorem prætuliſſe; quandoquidem illius operis, penes utrumque diligentiſſimum ſcriptorem, par invenitur & una delineatio.

IV. 3. *Caſſiodorus.* Calculatori & Hiſtorico ſuccedat ſcriptor utroque ſtudio commendandus *Caſſiodorus Senator*, de quo prælocuti ſumus, qui etſi ſolus per ſe tantam fortè, quantam alii ſibi non prærogaret autoritatem, iis tamen ducibus ac fidejuſſoribus præ aliis poſterioribus audiri debet: quòd ipſe *Proſperi* ſubpar *Gennadii* lucubrationum peritus, & Chronici alterius concinnator, iſtius lucubrationes ſæpe ſæpius non tractare, reſumereque non potuerit; ut etiam ex hac neceſſitate ejus partus internoſcendi major illi potiorque debuerit facultas accedere. Is autem quod ante notavimus, c. 17. *de inſtit. divinar. liter.* habet: *Sanctus quoque* Proſper CHRONICA *ab Adam ad Genſerici tempora & Romæ deprædationem perduxit.* Cur autem ille *nominis ementiti fuco* non credi debeat eſſe deceptus, jam pariter monuimus.

Atque in iſtorum trium teſtimoniis ſiſtere proponebam, ſed conſpectui noſtro quartus ſe exhibet, & ille tam nobilis ac re-

verendus, ut ejus assertionem, nec citra illius injuriam, nec citra jurium *Prosperi*, nostrorumque vis ac splendoris imminutionem, præteriri posse videatur. Et hic quidem alter est insignis calculator & Historicus, *Isidorus* videlicet Hispalensis, in Bætica, post *Leandrum* germanum, sexto exeunte sæculo, Episcopus; cujus hanc lib. 6. Origin. c. 17. assertionem legimus: *Paschalem Cyclum* Hypolitus *Episcopus temporibus* Alexandri *Imperatoris primus conscripsit. Post quem probatissimi Autores* Eusebius *Cæsariensis*, Theophilus *Alexandrinus*, PROSPER *quoque natione* AQUITANUS, *atque* Victorius, *amplificatis ejusdem festivitatis rationibus, multiplices circulos ediderunt.* Hæc accuratus scriptor, qui suâ, ævique sui fide, eam quæ præcedenti sæculo his Chronicis habebatur ultrò adhibuit ac confirmavit: quin de aliis posterioribus in medium proferendis amplius soliciti simus. Nam & huic etiam præcedentes omisimus *victorem* Tunnonensem in Africa Episcopum, qui à Consulatu XVIII. *Theodosii* Jun. Historiam persequi testatur, *ubi* PROSPER *reliquit* (quòd utique postremum ejus exemplar auctius non habuerit.) Quem & victorem *Johannes* Abbas Biclariensis continuans à *Justino* juniore ubi desierat alter, qui præierant *Eusebium*, *Hieronymum*, nec non & PROSPERUM *Virum religiosum*, atque *Victorem* Tunnonensem initio operæ laudare non omittit. Quæ non persequimur.

V. 4. *S. Isidorus* Hispalensis.

5. Et *Victor* Tunnonen. 6. nec non *Johannes* Biclariensis.

Ex istis namque luce meridianâ clarius est *Prosperum*, *Aquitanum* scilicet, Chronica literarum monimentis tradidisse, quibus & coætanei scriptores versatissimi, in Ecclesiæ causa ex illius jussu usi sunt; aliique sagaces deinceps viri citra suppositi tituli metum, eadem suis genuinis lineamentis repræsentarunt, ac commendarunt. Sed dum *Victorii* opus Ecclesiasticâ præceptione digestum hoc loci rememoro, *Prosperianæque* hujuscemodi lucubrationis laudes à *Victorio*, sua ex præfatione, mox adductas mente revolvo, incessit illico dubitatio *Prosperum* hoc anno 457. quo scripsit ejus popularis, non fuisse superstitem; non quidem quia eum vocat *sanctum ac venerabilem Virum* (quod, tenui conjecturâ, putavit *Labbeus*) sed magis, quia si tum in vivis fuisset *Prosper*, ei majore nominis scientiæque claritate commendabili, id onus præ aliis cessisset; nisi eum graviora etiam Ecclesiæ negotia intentum tenuerunt & occupatum; aut ipse illud negotii in popularem transmittere procuravit. Quod etiam longè probabilius existimo, imó & ex aliis penè certum habeo his supervixisse *Prosperum*.

Prosper Aquitanus Chronici verus & indubitatus autor.

VI. *Victorii munia diligentiùs explorantur:*

At quandoquidem ad hæc delapsi sumus, de *Victorio* id etiam liceat adjicere, quòd illum Clero Romano verosimiliter adscriptum reputans ejus illustrator accuratissimus *Ægid. Bucherius* è Soc. JESU, nec tamen ullâ suam opinionem ratione firmans, hâc satis solidâ juvari posset, quæque ex ipsa *Hilari* ad *Victorium* epistola eruitur, ubi hæc habet: *Quapropter, dilectissime Frater, tantâ rerum ambiguitate permotus, tuæ dilectionis studio fidenter* INJUNGO, *ut per otium diligenter inquiras, vel unde supradicta diversitas oriatur*, &c. Quæ profectò verba quandam Superioris autoritatem exprimunt, quâ quantumlibet gradu sublimis *Hilarus* non haud dubiè usus fuisset, erga alios, extra Cleri Romani subjectionem constitutos. Quod enim Ecclesiastico ministerio fuisset addictus iste, non tam ex iis convincitur, quæ c. 2. Comment. notat idem *Bucherius*, ex *Hilari* epistola, in qua *honorabilem, dilectissimum & sanctum Fratrem Victorium* vocat, quæ quandoque laudum præconia Viris piis ac religiosis adscribebantur; non tam, inquam, id ex his colligi debet epithetis, quàm ex eis, quæ vice versa *Hilaro* redhibet ipse *Victorius*, quem *Dominum verè sanctum ac verè venerabilem in Christro Fratrem* appellat. Quo quidem *Fratris* nomine nunquam laici quamvis insignes ac religiosi Ecclesiæ ministros & inter eos minùs R. F. Archidiaconum nuncupassent. Quòd si porrò *Victorius* & Ecclesiæ minister & Romani Cleri alumnus fuit, quæ citat Chronica *Prosperi*, Aquitani juribus novo titulo vindicari debent: si alîus enim hoc eodem patronymico decorati operâ istiusmodi usus fuisset, magis ac magis illum à *Prospero* Romani Pontificis *Notario* & assessore, quem de facie noverat, secernendi incubuit illi necessitas.

Unde Aquitano Prospero Chronicon certiùs asseritur.

VII. *An Prosperi quod superest Chronicon illud ipsum sit, quod ex Veterum fide digessit Aquitanus?*

Sed hæc jam satis ursimus, utque, unde disgressus est, redeat sermo, & Chronica *Prosperum* scripsisse & ea nullo suppositionis vitio notata, pura, genuinaque, coætaneis, subparibusque autoribus innotuisse pro certo ratoque statuendum est. At quia & *Aquitanus* noster Chronicas tabulas conscribere potuit, quæ etsi per duo aut tria sæcula illibatæ remanserint, potuerunt tamen posthàc excidere, aliæque istarum loco subjici, quod non est infrequens: id ultro inquirendum superest, utrùm Chronicon illud, quod *Prosperi* nomine circumfertur, illud ipsum sit, quod *Aquitanus* digessit, an aliud ab hoc omnino diversum? Quod quidem etsi non affirmet, cum quo nobis res est, *Garnerius*, & in id solum Viri docti vergat intentio, ut probet Chronici istius scriptorem *Prosperum*, à Collatoris &

Massiliensium

Massiliensium adversario diversum esse: quia habet iste, tum in opere contra eundem *Collatorem*, tum in aliis, aliqua satis palmaria, quæ Chronici testimoniis apertè reluctantur, hæc primò elevanda est exceptio; antequam aliam quam in nobis metipsis suscepimus, ex styli similitudine & assuetis comparationibus penitus, ac penitus exæquandam assumamus.

VIII. In Conciliorum Africæ recensione Chronographum *Properum* ab *Aquitano* dissidere contendit *Garnerius*.

Expendamus itaque capitalia illa, quæ *Aquitanum* à Chronologo *Prospero* dissidentem produnt, certè contrarietatem illam præcipuam in hoc uno locat Vir eruditus: quòd autor Chronici ad Consulatum *Honorii* XII. & *Theodosii* VIII. hæc de Concilio Carthagine congregato referat: *Quibus Consulibus Concilio apud Carthaginem habito 214. Episcoporum, ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta perlata sunt; quibus probatis per totum Mundum hæresis Pelagiana damnata est.*

Queis quidem ista ex c. 10. adversus *Collatorem* ab *Aquitano* relata ex diametro opponi putat, quæ sic habent: *Erraverunt Africana Episcoporum Concilia, quæ decretis suis constituere utrumque Dei donum esse, & scire quid facere debeamus & diligere ut faciamus..... Erraverunt ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in epistola, quam suis constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ Sedis Antistitem B. Zosimum sunt allocuti: constituimus in* Pelagium *atque Cœlestium per venerabilem Episcopum Innocentium, de beatissimi Apostoli* Petri *Sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur, gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari.* In his igitur compugnantiam apprehendit Vir doctus, inter Chronici Scriptorem & Collatoris adversarium, quòd iste *duorum Conciliorum meminit, & in altero Canones conditos, in altero 214.* Patres *consedisse* scribit: quod, inquit, Chronographus Prosper non admittit; siquidem *nomine Synodalium decretorum*, de quibus loquitur, *octo Canones dogmatici*, in Concilio utique Carthaginiensi prolati, *intelligantur.* De quibus enim aliis, quàm de istis Canonibus dogmaticis mentionem heic fecisset Chronographus? Tota itaque in eo versatur contradictio, quòd Calculator non distinguit duo Concilia, quæ propriis characteribus *Aquitanus* designat, atque determinat. Quod etsi tam mirum videri non deberet, ut videlicet idem scriptor sub brevibus epocharum notis, Historica compendio digerens, ea non tam explicatè secreverit, quæ postea aut Oratoris, aut nervosi disputatoris partes explens prolixiùs extendit, ac enucleavit: licet, inquam, nemini videri debeat

Quàm umbratilis esset ista dissensio?

insolens, quod quotidie fieri amat, attamen & quia in his magnus offensionis lapis jam positus fuit, hunc & aliis quotquot viis removere, ne lædat incautos, nonnullum opere pretium fore putamus. Sed erunt aliqua prænotanda.

IX. In uno eodemque 214. Episcopor. Concilio editi canones.

Et primò quidem illud pro certo exploratoque resultare debet Concilium illud Carthaginiense plenarium, in quo 214. Præsules adunati memorantur, illud ipsum esse in quo celebres octo dogmatici Canones cusi sunt. Cujus quippe facti celebrem, nec ulla in hoc suspicione temeratum testem, assertoremque habemus P*hotium*, qui, quod nos fugit, Concilii istius exemplar, hæc scribens præ oculis manibusque cùm haberet, præcipuè audiri, & eidem fides adhiberi debet. Sic autem ille sua in Biblioth. cod. 53. ubi hæc expressè habet. *Lectus liber seu Synodus adversùs Pelagium & Celestium, Carthagine in summa æde habita, Honorio* XII. Cos. Kal. Maii, *in Basilica Fausti. Præsedit in ea Aurelius Episcopus, simul cum Donatiano Teleptensi primæ sedis Episcopo Provinciæ Bysacenæ, quibus ædfuerunt variis è Provinciis sacerdotio præstantes viri numero ducenti quatuor & viginti.* (Qui quidem duplicatus decimus numerus facilè irrepere potuit, ut pro quatuor & decem, additum sit quatuor & viginti; si nimirū pro ιδ positum est κδ', unius apicis mutatione, quod pronum est.) Tum sic persequitur: *damnat hæc Synodus anathemate eos, qui asserent Adamum mortalem esse conditum*, &c. recitatque horum Canonum partem. Quibus subjungit: *scripserunt vero & Theodosius & Honorius Imperatores, contra eosdem hæreticos, ad Aurelium Episcopum*, &c. Hæc vir sagax *Photius*, cujus clarissima testificatio omni commentario clarior existit: adeo ut nulla deinceps dubitatio subire debeat, quominùs in hoc numerosissimo Patrum consessu, quos habemus Canones adversùs *Pelagianam* hæresim conditi, promulgatique sint.

Ex *Photio*, qui Acta vidit & canones recitavit.

X. Concilium istud intra duas celebres consessiones, datis insterstitiis, habitas transactum.

Secundò illud ex *Prosperi* testimonio rectè posse videtur adstrui celebrem illam Synodum, in qua confecta est *Pelagiana* hæresis, duas sessionum suarum statas periodos habuisse, quibus omne negotium absolutum fuit: quod etsi ex jam relatis 10. c. lib. contra *Collat.* verbis utcumque possit colligi, tamen ex Carm. de *Ing.* c. 3. pleniùs & explicatiùs eruitur, ubi quippe sic canit *Prosper*.

Tu causam fidei flagrantiùs Africa nostræ
Exequeris, tecumque suum jungente vigorem
Sedis Apostolicæ solio, fera viscera belli

Conficis, & lato prosternis limite victos
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, GEMINOQUE *senum celeberrima* COETU,
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.
Nec sola est illic Synodorum exerta potestas;
Seu quos non possent ratione evincere Nostri
Vi premerent, discussæ artes, virusque retectum est
Hæretici sensus, nullumque omnino relictum
Docta fides, quod non dissolveret, argumentum.
CONDITA SUNT, ET SCRIPTA MANENT, *quæ de cataractis*
Æterni fontis fluxere undante meatû:
Et ter centenis Procerum sunt edita linguis,
Sic moderante suam legem bonitate severâ,
Ut qui damnato vellent de errore reverti
Acciperent pacem, pulsis qui prava tenerent.
An alium in finem posset procedere SANCTUM
CONCILIUM, *cui dux Aurelius, ingeniumque*
Augustinus erat, &c.

Invictè probatur ex *Prosperi* Carmine.

XI. Et variis in istud observationibus ac momentis illustratur.

Quæ certè gemina versuum decas si otiosiùs expendatur, multa suppeditabit observatû dignissima. Ac 1. notum fit ex tota hac serie & ex his quæ præcedunt, heic copiosè ac eleganter Concilii Carthaginiensis plenarii 214. Præsulum numero nobilitati consessum amplissimum designari, atque describi: cui &, prohibente determinati Patrum congregatorum numeri declarationem, metri lege, numero rotundo, *ter centenis* linguis conscribit Poëta, quos tantum ex ipsiusmet aliis testimoniis 214. convenisse liquidum est.

2. De hoc venerando consessu, ad quem *de cunctis urbibus almi convenisse* memorantur Pontifices, ut dictum est, immediatè subjungitur, quod GEMINO *Senum* illorum COETU sit *Africa celeberrima.* Quæ verba majori charactere ideo notata mihi sunt, quia aut majorem lucem, aut majorem indaginis causam præbere videntur. Siquidem, ut id semper altè retinere præstat, heic de unico Concilio mentionem fieri, quod & postrema carmina magis inculcant: *an alium in finem posset procedere Sanctum Concilium*, &c. ut illud inquam, menti juvat infigere, nullo modo poterit Africa in unâ Synodo, censeri *gemino senum cœtu celeberrima*, nisi hæc ipsa Synodus ad ne-

gotium conficiendum duobus insignibus Comitiorum epochis terminata dicatur. Idipsum magis evincunt quæ consequuntur, ubi dum habet: *nec sola est illic Synodorum exerta potestas*, magis hoc plenarium Concilium coarctat, ubi non præcedentium solùm, quæ frequentissima in his regionibus habita sunt, autoritas adhibita memoratur, sed ventilatæ adversariorum rationes, propalatæ technæ, omnesque exceptiones validis argumentis refutatæ, literarumque monimentis consecratæ produntur. Hinc & in eo deinceps illud suave excogitatum est emollimentum, ut qui errorem ejurare vellent pacem reciperent, qui secus, pellerentur & exularent. Quod jam fuerat *Innocentii* ad PP. Carthaginienses sapiens consilium, cujus hæc sunt verba: *quòd si damnaverint, erit in potestate Pontificum, illis aliquatenus subvenire & talibus aliquam curam præstare vulneribus, quam solet lapsis Ecclesia, cùm resipuerint, non negare.* Porrò & ad illos à communione resectos, pulsosque hujus sententiâ Concilii Præsules respicit *Noster*, cùm adversus *Collatorem* hæc habet initio: *pulsi Pontificio: & communione privati querantur quasi de felicitate nostræ victoriæ, & arment in nos linguas suas, qui exulare à veritate, quàm cives Ecclesiæ esse maluere*, &c. Hæc omnia in Concilio isto gesta sancitaque fuerunt, ad quæ sanè integrè conficienda, ut erant de novo tractandæ quæstiones, audiendæ partes, aut ad legitimam citationem præfigendæ dilationes, & alia hujusmodi disponenda, penè par esset duos Senum illorum' consessus variis vicibus & temporibus habitos admittere, etsi eos tam expressè non memorasset *Prosper*. Fuit itaque in unius ejusdemque tenore Synodi *geminus* Patrum *cœtus*, dato aliquot dierum, vel etiam mensium intervallo, bis adunatus, ad quam toties convenere 214. summi sacerdotes. Imo & quia variant satis in hujus mentione numeri Mss. Codd. lectiones, aliis utique 214. aliis 217. statuentibus, suspicari pronum esset in uno consessu tantùm 214. in altero 217. Patres numeratos fuisse: difficile enim creditû totidem prorsus, nec plures nec pauciores, primâ vice comparuisse, quàm qui secundâ convenerunt. Si hi porrò, datis interstitiis, sic transacti sunt conventus, in uno Canones conditos, in alio epistolam ad *Zosimum* his Canonibus præpositam fuisse consequens erit.

3. Quæ enim de Canonibus in hac Synodo conditis jam ex *Photio* retulimus, invictè ex hac *Prosperi* locutione rursus demonstrari possunt, ubi canit: CONDITA *sunt* & SCRIPTA MANENT, ubi enim aptiùs & connaturaliùs ex omni-

bus in Synodo gestis, hæc verba aptari possent, quàm istis pronuntiatis & in omne ævum constabilitis Canonibus, ac Decretis; nam & hæc etiam propriè *de cataractis æterni fontis undante meatû fluxisse* meritò laudari poterant. Hinc autem res tota, quæ in istis Africanis contra *Pelagianos* præcipuis Conciliis censendis ac extricandis multorum animis crucem fixit, sic planissimè ac brevissimè ad rectam veræ Historiæ normam componi posset, si dicatur Concilium plenarium 214. Episcoporum an. 418. ad Kal. Maii adunatum condidisse Canones octo, hosque ad aliam sessionem determinasse publicandos. Quamobrem datis ad illam induciis jam exactis, convenientes iteratò Patres numero 217. (aut 214. si jam totidem adfuerant Kal. Maii) Canones illi, post denuo ac diligentissimè eventilatam *Celestii* causam promulgati sunt & ad *Zosimum* Papam perlati, qui ut quàm primùm *probati* sunt, *per totum mundum hæresis damnata est*: ut mox in Chronico & alibi *Prosper*. At istis ulteriùs immorari non ducimus, ne novarum cum P. *Quesnello* contentionum regerminaret nobis occasio: quippequi hæc ex Chronico prolata retrahit ad Concilium anno anteriore *per Autumnalia*, celebratum; nam nobis & aliis forsan magis juverit audire *Prosperum*, quo, scilicet huic *ter centenorum* Patrum *gemino* consessui *decreta condita* tribuente, istisque aliunde Kal. Maii notam præferentibus, vel ex eo convincitur illa generalia 214. Præsulum Comitia, per Autumnalem tempestatem, coacta non fuisse: sed in Verna consequenti, Collegium semel & iterum adunatum in *gemino cœtu* perfecisse, quæcumque contra Hæresin decreta notantur. Nam alia prætermittimus, quæ rem longiùs protraherent, qualis esset præcipuè circa primam *Honorii* contra *Pelagium* & *Cælestium* sanctionem anni 418. disquisitio; siquidem de secunda adversùs eorundem fautores satis Dissert. 4. disseruimus. At quia & in ista posteriori affirmat *Augustus* se in priori *secutum esse judicium* Aurelii Carthaginiensis, *quo constat*, inquit, *eos ab universis justâ sententiæ examinatione damnatos*, heic gravis, fateor, oritur difficultas, cùm edictum Ravennæ prid. Kal. Maii datum, nusquam ad Canones ipsis Kal. Maii Carthagine conditos referri possit: sed nunquid hæc Regiæ præceptionis verba idonèe & connaturaliter referri possent ad alia prævia quævis, sed posteriora maximè celebrata, pro Hæreticorum damnatione, *Aurelio* duce, Concilia? quæ tametsi satis crebra fuisse doceamur ex Actis, aut quæ illa laudant, *Aurelii* ipsius & Collegarum epistolis, nobis etiam cre-

Quesnelli sententia circa Autumn. Concilium an. 417. perstricta ex *Prospero* & actis Synod.

briora repræsentant *Garnerius*, ac etiam *Quesnellus*. Nam ad Edicti epigraphen, seu additamentum illi appositum quod attinet, sic habens: *incipit sacrum Rescriptum*: acceptis Synodi SS. gestis; quos majusculos apices alii interpretantur, *supra scriptæ*, Synodi scilicet, cujus Canones 8. Kal. Maii conditi, immediate antea in Codd. reperiuntur descripti: ad hoc additamentum, inquam, quod spectat, non ex ipsius fide acta, sed ex actis ipsis, ejus fides pendenda venit. Unde si Canones istos condiderunt PP. Carthaginienses Kal. Maii, quorsum eorum rationem habere potuit *Honorius* in Rescripto pridie dato? quorsum igitur ad illos respiceret ejus inscriptio? Quid porrò si ipsi inscripti apices, SS. exprimerent *Sacro sanctæ*, ita ut ista *incipit Rescriptum*, *acceptis Synodi SS. gestis*, apposita primùm fuerint, ad significandum, Regiam sanctionem promulgatam, post accepta alius cujusvis in hac causa prolati *sacro-sanctæ Synodi* judicii gesta? Quæ tandem aliis, post celeberrimos Cathag. Canones, Rescripta præponentibus, inde orta est occasio præjudicandi ex istorum intuitu legem fixisse *Honorium*; ex quâ vi præjudicii has literas, SS. ad suprascriptam vel supradictam Synodum, quæ superius descripta erat, determinare pronum fuit. Sed & aliæ lectiones non habent nisi, *acceptis Synodi gestis*.

XII. *Garnerius* ulteriùs refutatur.

Quaquaversum ergò res inspiciatur, salvus stat Poëtæ sensus circa res *Pelagianorum* in *hoc gemino* Præsulum *cœtu* confectas. At nunquid idipsum, circa postremum istud Concilium ambabus, quod aïunt, ulnis suscipit Vir eruditus *Garnerius*? bonum factum: sed & inde Chronographum *Prosperum* ab *Aquitano* diversum statuit, quòd ille Chronicis in tabulis suis duas illas varias, prout descripsimus, sessiones non distinguat, & hæresin *Pelagianam*, Concilio unico apud Carthaginem habito 214. Episcoporum, damnatam conclamatamque fuisse pronuntiet. Verùm quid si illud etiam in suis tabulis consignavit Chronographus? & post priorem consessum 217. Episcopor. consignatâ *Valentiniani*, *Constantii* & *Placidiæ* filii nativitate, rursus posuit: *Carthaginis Concil. contra* Pelagianos: ut certè lectionem illam præfert MS. Cod. *Augustanus*, ad cujus fidem Chronicon editum fuit in Biblioth. PP. edit. Colon. ut monet *Norisius* lib. I. *Hist. Pelag.* c. 14. cum quo ægrè ferimus hæc verba imprudenter ab exscriptoribus erasa, quòd repetitionem supervacaneam esse censerent: ille secus hanc veriorem lectionem existimet; nos ob vetustatis ac sinceritatis privilegium, saltem retinendam fuisse contendimus. Nec enim istis magis instare ducimus

nam & id porrò verissimum est in hac una plenaria Synodo *gemino* PP. *cœtu* nobilitatâ, rem omnem exactam esse, nec duo distinguere Concilia debebat *Prosper*, ubi sciebat unico transactum esse negotium. Quæ enim *Aquitani* verba c. 10. adv. *Collat. Garnerius* urget: *erraverunt Africana Episcoporum Concilia, quæ decretis suis constituere utrumque Dei donum esse. . . . . Erraverunt ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in epistola, quam suis constitutionibus prætulerunt, ita B. Zosimum sunt allocuti*, & alia quæ supra retulimus: hæc, inquàm, verba tantùm abest ut *Garnerii* opinionem roborent, quod è contra penitus, disjiciant, & integram utriusque concordiam patefaciant. Namque 1. dum *Collatoris* impugnator *Concilia Africana* memorat, pluralem pro singulari numerum ut frequens est, accipere potuit: & heic etiam plausibiliùs, quia duo etiam Concilia, *geminus* ille *cœtus* censeri poterant 2. De unico enim Concilio ibi agi, patet ex autoritate quam laudat, quæ ex can. 4. Concilii Africani apud Carthag. habiti Kal. Maii *Honor.* XII. & *Theod.* VIII. Coss. depromitur. 3. loci istius etiam ex *Garnerii* testificatione, lectiones variant, aliis: *erravit Africæ Episcoporum Concilium*, aliis: *erraverunt Africæ Episcopi*, præferentibus. Id autem insuper ex relata verborum serie elucescit, quòd scilicet heic unica censetur operâ, quâ decreta illa quæ constituta sunt in Concilio, eadem prorsus, nec alia, præmissis 214. Patrum literis ad *Zosimum* fuerunt perlata. Quæ certè plana sunt, & ex verborum sensu naturaliter consequuntur. At si quæ semel constituta fuerunt ad Romanum Pontificem, prout necesse erat, transmissa sunt, hæc non in duabus variis Synodis, sed intra præstitutos unius ejusdemque terminos fieri magis conveniebat.

XIII. *Prosper* sibi magis ac magis concors reperitur.

Sed agamus jam, & demus Viro docto non in uno, sed in duobus diversis Conciliis promulgatos Canones, & epistolam datam esse, an ideo quia hæc non satis secernit Chronographus *Prosper*, quæ alibi magis distinxit, ideo de tam præclaro opere suo, ab Antiquis tam impensè laudato, ac commendato penes Eruditos periclitabitur? Quidni & illud non frequens dicam, sed solenne, ut qui, per Chronicas tabulas compendiis Historicis digerendis operam navant, aliquos eventus affinitatem invicem habentes, aut minùs præcipuos contrahant, vel prætereant: quos, si Historiam integram texant, aut cum adversariis rem habeant diligenter distinguent & ampliabunt. Quid igitur mirum si *Prosper* intra quasdam nobiliores epochas Historiæ breviculum, ad *Hieronymi* normam persequi desti-

nans, duo Concilia in unum finem æquè conspirantia, nec longo temporis intervallo inter se distantia, sub nobiliori epoche conscribens, & quæ deinde gesta sunt carptim attingens negotii totius notitiam comprehendisset; quam pleniorem & explicatiorem posthàc indidit, cùm potentissimos, jactantissimosque obtrectatores aggredi coactus prolixioris sermonis occasio data illi fuit. Et quidem rei tam claræ atque consuetudinariæ alia exempla non proferimus, quæ Historicos & Chronographos versantibus adeo usquequaque obvia sunt. Nec per ista itaque tam tenuia frivolaque de abjudicandis *Prospero* Chronicis vel suboriri deberet dubitatio. Sed ut hæc eadem magis ac magis propellatur & eliminetur, quid expressius ex styli locorumque comparationibus eliciendum est; conferemus itaque locum *Prosperiani* Chronici cum aliis, in quibus de adducto in quæstionem argumento tractavit alibi noster *Aquitanus*. Rem ecce.

XIV. *Prosperi* Chronographia, cum aliis ejusdem dictis & assertionibus ritè coæquat.

Ex Chronico.

Honorii XII. & Theodosii VIII.

1. His Consulibus Concilio apud Charthaginem habito 214. *Episcoporum*, ad Pontificem *Zosimum* Synodalia *decreta* perlata sunt, quibus *probatis* per *totum Mundum* hæresis Pelagiana damnata est.

Ex aliis Prosperianis *operibus.*

1. Fidem autem hominum donum Dei esse fateamur & cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem, contra inimicos gratiæ Dei, *totus Mundus* implexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus gratiam Dei per JESUM CHRISTUM, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare, &c. Ex Resp. ad Object. 8. *Gallor.*

2. Erraverunt Africana Episcoporum Concilia, quæ *decretis* suis constituere utrumque Dei donum esse & scire quid facere debeamus & diligere ut faciamus.... Erraverunt ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in epistola quam suis constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ Sedis Antistitem B. *Zosimum* sunt allocuti: constituimus in Pelagium atque Cœlestium, per venerabilem Episcopum

pum Innocentium, de beatiss. Apostoli Petri Sede prolatam manere debere sententiam, donec apertissimâ confessione fateantur, gratiâ Dei per JESUM CHRISTUM, &c. Ex c. 10. con. *Collat.*

3. Quando Africanorum Conciliorum *decretis* beatæ recordationis Papa *Zosimus* sententiæ suæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem, gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum. *Ibid.* c. 41.

4. Convenere tui de cunctis urbibus a'mi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu,
Decernis quod Roma probet, *quod regna sequantur:*

In his quatuor locis per nos descriptis expressè loquitur *Aquitanus Prosper*, de frequentissima 214. Episcoporum Synodo, quam attingit Chronicon. At licet in paucioribus istius breviculi verbis, vix ullæ similitudinum fibræ cum aliis *Prosperianis* locutionibus expectandæ essent, insunt tamen aliquæ, quæ eandem selectorum utriusque columnæ schematum venam etiam subindicant. Etenim retinet in-primis Chronici textus numerum 214. Episcoporum, quem priores duæ *Prosperianæ* periodi nobis exhibent. 2. Ut unus vocat: *Concilium Episcoporum* apud, &c. ita alter num. 2. habet: *Africana Episcoporum Concilia,* vel *Africæ Episcoporum Concilium*, ut fert alia lectio. 3. Quæ illi dicuntur: *Synodalia decreta*, isti similiter: *decreta*, &, *Conciliorum decreta* censentur. 4. Hæc ad Pontificem *Zosimum* perlata memorantur (cum epistola Patrum utique, ut credere necesse est:) At illi ipsi Patres num. 2, in *epistola quam suis constitutionibus prætulerunt, Apostolicæ sedis Antistitem B. Zosimum ita sunt allocuti*, &c. 5. De horum *decretorum* confirmatione habet Chronicon: quibus *probatis* (à *Zosimo* de quo sermo.) Et ex adverso *Prosper* num. 3. *Decretis* Papa *Zosimus* sententiæ suæ robur annexuit: & num. 4. de Concilio eodem loquens: *decernis quod Roma probet*. 6. Sed hæc posterior locutio: per *totum Mundum* hæresis Pelagiana damnata est; quid etiam aliis splendidius præfert, habet namque cum ista num. 1. maximam affinitatem: quorum constitutionem contra inimicos gratiæ Dei *totus Mundus* implexus est; ubi *totius mundi* ad hanc constitutionem seu decreta approbationis accessus notabilis est. Tum & hæc Chronici dictio, aliis istis num. 3. & 4. sic redditur: *ad impiorum detruncationem, gladio Petri, dexteras omnium armavit Antistitum*: atque: *Decernis quod regna sequantur*. Quæ quid aliud exprimunt, quàm hæresim *Pelagianam* exinde *per totum Mundum* damnatam? An ista magis invicem cohærere consonareque poterant? XV. Ductæ ex stylo similitudines, quàm paruiæ & congruentes?

At nec ob id solum nostræ sunt adhibitæ comparationes, ut inter columnares textus sibi respondentes esse convincerentur, sed etiam eâ de causâ accersitæ sunt, ut quæ ex serie positæ curiosiùs examinarentur & conferrentur. Namque ut alibi *Prosperianum* stylum longè congruentius stylo tractatuum *Anonymi* aptari & per omnia commensurari demonstravimus, quàm ejusdem *Prosperi* tractatus indubii inter se conveniant: ita forsan & in istis *Prosperum* non tam sibi convenire patescet, quàm cum eo, quod illi negare contendunt, Chronico. Etenim si omnia scrupulosè versanda, in *Prosper* non tam sibi in relatis locis consentit, quàm illa ipsa cum suo Chronico conveniunt.

illo primùm compugnantiam interesse causaretur, quòd trecentos, seu *ter centenos* Patres convenisse testetur *Prosper in* carmine, qui alibi *ducentos tantum & quatuordecim* annumerat. 2. Sententia illa quæ ab his 214. præsulibus pronuntiata memoratur num. 1. *quorum constitutionem*, inquit, *totus Mundus implexus est, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus gratiam Dei*, &c. sententia, inquam, illa non in Episcoporum epistola, de qua nullus heic apex, sed in ipsa constitutione innuitur esse comprehensa. Et tamen ex num. 2. schemate, compertum primò nobis est, hanc ipsam sententiam non constitutionibus seu decretis, sed epistolæ ad *Zosimum* insertam. 3. Et illa iterum epistolaris sententia, quibusdam præviis notabilibus verbis hoc num. 2. refertur, quæ num. 1. non exscribuntur. An ex istis diversitatibus, aut compugnantiis hæc non in uno, sed in duobus Conciliis 214. Episcoporum transacta esse quis nunc comminiscetur? nam respondentem ad *Gallorum* objectiones, ab *Collatoris* adversario secernendi non recurrit occasio. An exinde tandem rationabilius id colligetur, eidem Scriptori eadem quandoque facta, dictave contrahere, dilucidare, vel amplificare, pro data occasione, liberum fuisse, quin per hæc tractatus ei aliunde, probatis titulis, asserti ullam in suspicionem trahi possint?

XVI. Errores reliqui in Chronico *Prosperi* ab *Garnerio* notati leves & excusabiles

Et non me latet quidem Virum doctum *Garnerium* subjicere quosdam errores à se insuper in Chronico deprehensos, ut sunt anni Pontificatus *Bonifacii* non exactè consignati, *Hieronymi* obitus eodem anno positus, quo *Constantius* ab *Honorio* in consortium regni assumitur, &c. unde tandem ultro fatendum ait: *Chronographum ab Augustini discipulo differre.* Sed præterquamquod in annorum numeris per summa apicum capita dispositis facillimè potest error irrepere, & III. anni pro IV. IX. menses pro X. cito & procliviter etiam diligentioribus excidant: & potuit Chronographus conjungendo mortem *Hieronymi* cum assumptione *Constantii*, annum ab Imperatoria indictione, mense Septembri inchoante, computare. Etiamsi tamen concederentur istiusmodi lapsus, tanti illi, nec tam palmares sunt, quamobrem Chronicon istud tam certis & egregiis indicibus ac lineamentis *Prospero* tributum in discrimen adduci posset, ut inter ignoti parentis fortunas distraheretur. Æquiores eidem haud dubie Veteres, qui alios longè magis palmares errores, citra recogniti Autoris status periculum, in hoc Chronico sustinuerunt, & alii ad hanc judicii sapientioris normam sustinent. Etsi enim *Noster* exempli causâ, Cyclum Judaicum, annor. 84. quem Romanum fecit, à 3. *Claudii* Imperii anno feliciter auspicatus, per Consulares Fastos, integro priori Cyclo, rectè deduxerit: quàm abhinc in devia deinceps abductus sit, quàm Fastos præturbarit, quàm Chronologicos

characteres immaniter luxaverit, *Victorioque* populari suo, aliisque quasi facem ad lapsum prætulerit? satis experiuntur Eruditi illi, quibus improbus, at non inglorius concessit labor istas tot retro temporum abscessiones componere. Namque & isti hos quotidie cruciatus devorant, quin propterea hoc opus Aquitano *Prospero* abjudicare cogitent, satis etiam ex Veterum Chronologorum lectione conscii, quantâ cautione ac indulgentia prælegendi sint. Quod certè tantò magis in *Garnerii* ipsius, Viri etiam doctissimi æstimatione non prævaluisse mirum est, quantò & in eodem puncto, seu articulo, quo contra *Prosperum* sic decernit, fatetur illum, propter suum *Augustini* Africanorumque incredibile studium, multa attribuere solitum esse Africæ Patribus, velut autoribus, in quibus gerendis aut cooperatorum tantùm, aut etiam adjutorum partes verè tenuerunt. Siquidem enim tantundem indulgentiæ in eundem Chronographum istiusmodi talia quandoque peccantem respersisset, partum insignem legitimo patri servasset purum & illibatum. *Diss. 3. p. 245.*

XVII. *Garnerius* nimiâ exploratione labitur.

Sed & sic iste suam aliis difficultatibus causam haud ultro involvisset, dum in eadem *Prosperi* Chronographia errorem alterum postremò rimari contendit, ubi ait: *Deinde* Prosper Constantium *prodit servum Dei an.* 418. *à Pelagianis Romæ pas-* « *sum, & tamen sanctus ille laicus, sine* scriptura rem strenuè « gessit, priusquam vel *Hieronymus*, vel *Augustinus* scriptis pu- « gnaret. Pugnarunt vero Sancti Doctores jam inde ab an. 412. « Hæc ipse. Sed aut horum verborum sensum non assequor, aut *Constantius* ille Dei servus potuit an. 418. à *Pelagianis* Romæ passus esse, & contra *Pelagianos* rem *strenuè sine scriptura gerere*, ante an. 412. quo *Hieronymus* vel *Augustinus* scriptis pugnare cœperunt. Quidni & inde *Pelagianorum* persecutionem sustinuisse credendus est *Constantius*, quia, ante *Augustinum* & *Hieronymum*, bellum iisdem indixerat? Quid heic nisi cohærens, consequensve? Unum enim fateor apertè falsum comminisceretur Chronographus *Prosper*, si *Constantium* à Pelagianis *Romæ passum* proderet, ut contendit Vir doctus, qui veritus forsan ut hoc verbum, *passus*, satis *martyrium* exprimeret, expressit ipse, his ad marginem verbis appositis: *de Constantii servi Dei martyrio*. At nil tale nobis ingerit *Prosper*, hoc citato loco, in quo hæc solùm habet. *Honorio* XII. & *Theodos.* VIII. *Constantius servus Dei ex Vicano Romæ habitans, & pro gratia Dei devotissimè Pelagia-* *Ibid.*

nis resistens, factione eorundem, multa pertulit, quæ illum sanctis confessoribus sociaverunt. At quoniam satis notum & exploratum est, quo significatû latiori, penes Antiquos, accipiatur *Confessoris* nomenclatura, non est cur in tam liquidis perspectisque detineamur. Sanè *Baronius* ad hunc annum, eadem *Prosperi* verba referens, sensum ultra verba sic rimari sibi licitum esse non putavit, nec hoc martyre Ecclesiasticos Fastos augere duxit. Quæ cursim indicare conduxit, ut vel ex ista nimia Viri versati exploratione minùs feliciter succedente, deponant alii propositum, si quod inesset, similia tentandi. Vix enim aliud, quàm conjecturas inanes prorsus ac spernendas deinceps assumere & exaggerare possent; qui partum omnium Chronographorum, omniumque ætatum consensione *Prospero* tributum, eidem præposterè abjudicare molirentur.

XVIII. *Prosperiani* Chronici ampliores severioresque vindiciæ.

Et sanè tanta fœtus istius movet nos dignitas, ut quoniam *Prosperiana* lineamenta præsentiora nunc nobis sunt, eadem propiùs ad istam Chronici lucubrationem admoveamus; quò tandem, si utraque in omnem partem coire pro explorato remaneat, omnes in antecessum depulsæ censeantur offuciæ, quæ viros doctos, aut alios incautos rursus morari possent, vel decipere: ne citò *Prosperum* nostrum internoscerent. Rem omnem itaque paucis exequimur. Quandoquidem ergò egregius assertor est *Victorius*, *Prosperum* non modò *Eusebii* & *Hieronymi* Chronica *continuasse*, sed & insuper, ad prioris imitationem, eorum *initium à mundi exordio inchoasse*, isque partus qui in duobus exemplaribus Lodonensibus remansisse asserebatur ab *Arnaldo Pontaco*, in suis ad *Eusebianum* Chronicon commentariis, datus est nobis integer à *Labbeo* tom. 1. *Bibliot. novæ Mss.* aliqua ex priori ejusdem operis parte schemata præcerpere visum est, quæ *Prosperianam* venam satis referunt, in brevi laterculo carptim exhibenda: antequam quæ in altera parte extant majori operâ & prolixioribus collationibus reducamus.

Prosper abbreviator *Eusebii*, & quandoque censor.

Dum porrò asserimus *Prosperum* Chronicon suum à mundi exordio duxisse, non ita illud accipiendum est quasi novum opus, ad novæ Chronologiæ exactioris calculos, apparare sibi proposuisset. Quin potius in eodem concinnando Chronico non nisi Epitomatorem *Eusebii* prodere se voluit, ut de eo jam egregiè fidem fecisse *Victorius* reperitur, cujus superiùs allata verba sunt ista: Eusebii *tenorem Vir venerabilis* Prosper *secutus hisdem Chronicis, hæc eadem, egregiâ brevitate, composuit, ut ini-*

tium eorum à Mundi inchoaretur exordio. Quæ rem expressè testantur, convincuntque Aquitanum *hæc eadem* Eusebii Chronica, *egregiâ brevitate* perstrinxisse. Sed idipsum opera ipsa *Prosperiana* demonstrat. Nam ut *Sirmondus* Hist. Prædest. c. 5. opportunè monet : *Chronicum hoc*, *Chronici* Eusebiani, *quousque cum* Hieronymi *supplemento porrigitur*, *mera est Epitome*: *unde & Epitomen Chronicorum interdum vocant*, *aut excerpta ex Chronicis*, *quia inde* Prosper *omnia decerpsit*, *nisi quòd Consulum fastos*, *quibus illi carebant*, *à Christi usque Baptismo*, seu ut vocat ipse, ab ejus manifestatione, *suis* Prosper *locis inseruit*, *ac cetera quoque deinceps ad operis finem de suo contexuit*. Attamen etsi iste Abbreviatoris duntaxat partes susceperit, & suorum in priori Chronicorum parte *Eusebium* atque *Hieronymum* contrahere voluerit, non ita tamen eorum, quod & notabimus, vestigia ἐκ τῶ πόδος pressit, ut eos quandoque non abjecerit, phrasesque ac periodorum membra, de suo non concinnarit; imò & calculos alios non supposuerit. Unde & semper locuples ad Ecclesiasticæ Historiæ integritatem censeri debet accessio, quòd monimentum istud tandiù inter tenebras densiores servatum, sine ullo decremento ad nos tandem illæsum pervenerit. De alia autem Chronici parte, quam idem *Prosper* prosecutus est, ubi ab *Eusebio* ductam continuationem *Hieronymus* absolvit, non est cur moneamus eam variis additamentis ab ipso *Prospero* illustratam, quod editi Codices alii aliis auctiores satis repræsentant; ad fidem utique MSS. exarati, quorum quæ posterius reperta sunt exemplaria, Historiam perducunt ad annum 455. hoc est usque ad Wandalicam Urbis deprædationem, cùm alia eidem, ante annos undecim sub Consulatu *Theodosii* Aug. XVIII. & *Albini*, terminum posuissent.



Ex priori parte Prosperiani *Chronici*.

XIX. Conspectus 1. Tabulæ 1. p. Chronici.

1. Adam cum esset annorum 130. genuit Seth. Seth cum esset an. 205. genuit Enos. &c.

2. Quidam putant. D. N. JESUM CHRISTUM xv. anno regni *Tiberii Cæsaris*, id est *duobus Geminis Coss.* crucifixum: quo anno, secundùm indubitabilem Lucæ Evangelistæ autoritatem, baptisatum eum esse manifestum est, & Evangelium regni Cœlorum prædicare cœpisse. Secundùm vero *Johannis* Evangelium festivitati Paschæ Judæorum ter Dominum interfuisse cognoscimus, ut appareat tertium fuisse illud Pascha, quod verus Agnus suo sanguine consecravit. Proinde Consules quidem à manifestatione Domini, id est à *Rufino Gemino* & *Rubellio Gemino* Coss. inchoamus, sed tertios ab iis Consules Dominicæ Passioni adscribimus sequentes; quod autoritas tradidit & ratio.

Incipit annotatio Consulum cum Historia.
Rufino Gemino, & Rubellio Gemino.
Vinicio & Longino.
Sulpicio & Sulla.

Ecclesiæ Hierosolymorum primus Episcopus ordinatus est Iacobus, qui habitus est frater Domini.

. . . . Prisco & Vitellio, &c. . . . . .

3. Severo III. & Antonio.

Quæstione ortâ in Asia inter Episcopos, an secundum legem Moysi XIV. mensis primi Pascha observandum esset, Victor Rom. Urbis Episcopus, &c. plurimique Ecclesiarum pastores, *quid* eis *probabile* visum fuerit literis ediderunt. . . . . .

Quid manifestum, *Quid probabile*, &c.

4. Crispo II. & Constantio.

Arius presbyter ab Alexandro Episc. de Ecclesia Alexandrina ejectus, multos suæ impietati sociat, prædicans Patrem & Filium & Spiritum S. non esse unius ejusdem naturæ, aut ut expressiùs dici-

tur essentiæ, ut pote creaturam, Spiritum vero S. creaturam creaturæ, id est ab ipso filio creatam. Ad quam perfidiam coarguendam Synodus CCCXVIII Episcoporum in Nicæam congregata omnes *hæreticorum* machinas Homousii oppositione *dejecit*.

4. *Hæreticorum* commenta *disjecit*. (Præf. c. *Collat.*

Tum: istorum machinæ fractæ sunt, &c. Ibid. c. 41. & alibi.

XX. Animadversiones.

1. Ne suspicio oriretur Chronici exemplaria Lodonensia, quæ legisse atque habuisse testatur laudatur *Pontacus*, ab eo, quod dedit nobis *Labbeus*, esse diversa, attendendum est duntaxat initium operæ, cujus priora membra quæ exscripsimus refert ipse *Pontacus* eadem planè, quæ profert editio *Labbeana*.

2. Uti initium *Prosperiani* Chronici ab *Eusebiano* sic discrepat: ita &, præter alia multa, hoc secundum thema de anno Dominicæ Passionis ab *Eusebii* & *Hieronymi* Chronicis abest; propterea quod iste *Noster* hujus epochem tribus annis antevertere ducens, quæ alioquin cum cycli sui 84. annorum rationibus non coisset, rem fusiùs explicare debuerit. Porrò & ab inde incipit *Prosper* (ut ipse testatur) Chronologiam per Consulares fastos dirigere, quam per Olympiadas ordinare pergit *Eusebius*.

3. Si quæ mihi ex tanta comparationum, similitudinumque versura comparari potuit facultas, hoc schema *Prosperianam* venam referre videtur, vel in istis: *Quid eis probabile visum fuerit*, &c. quæ crebrò occurrunt apud *Prosperum*.

4. Non solùm heic *Prosper* fusiùs refert hæresin & condemnationem *Arii*, quàm in *Eusebiano* Chronico memoratur, sed & illud membrum: *omnes hæreticorum machinas Homousii oppositione dejecit*, omnino *Prosperianum* unicuique forsan videbitur: tam frequenter *Aquitanus* has locutiones occupat & sibi coaptat. Unde & nil mirum si quemadmodum ille præfatam descriptionem ampliavit & illustravit, ita & hanc postremam loquendi formulam usurparit, quæ posthac in *Eusebii* Chronicon irrepserit: seu illa ab ipso *Prospero* suppleta, ut alia quidem de suo supplevit, ampliavit, aut perstrinxit: sive ab exemplatoribus deinceps apposita fuerit. Imò sicut *Hieronymus* in *Eusebiano* Chronico quid simile fuerat ausus, & non solùm ei suas, sed & *Eutropianas*, *Victorianasque* phrases & observationes assuerat, inde hoc exemplo firmatus ad similes ausus stimulari eo magis potuit *Aquitanus*, & hæc aliaque tabulis istis inserere; ut jam Viri eruditi satis circa alia monuerunt.

XXI. Conſpectus, 2. tabulæ p. 2. Chronici.

Ex Chronici 2. parte.

1. Neſtorius C. P. Epiſcopus novum Eccleſiis molitur errorem inducere prædicans Chriſtum ex Maria hominem tantùm........ cujus *impietati* præcipua Cyrilli Epiſcopi *Alexandrini* Epiſcopi induſtria & Papæ *Cœleſtini* repugnat autoritas.

1. *Ætio* II. *& SigisvultDeo.* In Africa Genſericus Rex Vvandalorũ intra habitationis ſuæ limites volens Catholicam fidem, Africana impietate ſubvertere, quoſdam noſtrorum Epiſcopos, eatenus *perſecutus eſt*, ut eos privatos jure Baſilicarum ſuarum etiam civitatibus pelleret, cùm ipſorum conſtantia nullis ſuperbiſſimi Regis terroribus *cederet*.

3. *Baſſo & Antiocho.* Congregata apud Epheſum plus ducentorum Synodo Sacerdotum, Neſtorius cum hæreſi nominis ſui & cum multis Pelagianis, qui *cognatum errori* ſuo juvabant dogma, damnatur.

4. *Theod.* XVII. *& Feſto* Hâc tempeſtate Julianus Ecclanenſis jactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem *dudum* amiſſi Epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, *multimodâ arte* fallendi, correctionis ſpeciem præferens *molitus* eſt in communionem Eccleſiæ *irrepere*. Sed his inſidiis

Ex aliis Proſperianis *operibus.*

1. Per *Cœleſtinum* etiam Orientales Eccleſiæ geminâ peſte purgatæ ſunt, quando *Cyrillo Alexandrinæ* urbis Antiſtiti glorioſiſſimo fidei defenſori, ad execrandam Neſtorianam *impietatem*, Apoſtolico auxiliatus eſt gladio.... con. *Collat.* c. 4.

2. Martyres inter tormenta & multiplicata ſupplicia *perſequentibus* non *ceſſerunt*, & quorum exemplis glorioſiſſimis totus Mundus illuſtris eſt, &c. (*Exp. Pſal.* 118.

3. Ad execrandam Neſtorianam impietatem Cœleſtinus Apoſtolico auxiliatus eſt gladio quo etiam Pelagiani, dum *cognatis* confœderantur *erroribus*, iterum proſternerentur. Ibid. c. *Collat.*

4. *Narratur ſerpere quidam*
Scriptor quem dudum *livor aduſſit edax.*
Et fallax multâ *contegat* arte *caput.*
(Epig. in abtrectat. *Auguſt.*)

4. Damnatum à Catholicis ſenſum & multis poſtea hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, hoc apud ſe ingenio

ſervaverunt

Sixtus Papa, Diaconi Leonis hortatû, vigilanter occurrens nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit, & ita omnes Catholicos de rejectione *fallacis* bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primùm superbissimam *hæresim Apostolicus gladius detruncavisset*.

servaverunt, ut in hac... Sed in hac professione quomodo vasa iræ *molirentur irrepere*, gratia Dei, &c. (Epist. ad *Ruffin.*

4. De prostrati *dudum* dogmatis nullum membrum sinatur assurgere. (c. *Collat.* c. 42.

4. Ad impiorum *detruncationem gladio* Petri dexteras omnium armavit, &c. *ibid. c.* 41. *tum supra n.* 1. *Apostolico* auxiliatus est *gladio*. Et epist. ad *Ruffin.* rursus: *hæresim* in suis adhuc *detruncationibus* palpitantem, invicto verbi *gladio* debellaret.

XXII. Animadversiones.

1. *Nestorii* hæresis eodem *impietatis* nomine hinc & inde designatur: & ad ejus exterminium, eorundem Actorum opera atque autoritas recensentur, *Cyrilli* nempe Alexandrini, atque *Cœlestini*, &c. Quod porrò heic habet Chronicon: præcipua *Cyrilli* Episcopi *industria*. &c. revocat in memoriam vocem illam: *industria*, *Prospero* semper consuetam esse, cùm de Pastoribus sermonem instituit, qui hæreticorum dogmata detegunt & impugnant. Sic ille prorsus ad *August.* scribens ait: *excubante itaque pro membris Christi vigilantissima* INDUSTRIA tua, &c.

2. De figuris & locutionibus à *Prospero* assumptis ad Martyrum constantiam describendam, vel extollendam multa retulimus. *Diss.* 3, p. 2. ad c. 15. l. 2. *de Vocat.* quæ ad hoc schema referri possunt.

3. Heic non tam verba: *dum cognatis confœderantur erroribus*, &c. atque: cum multis, *qui cognatum errori dogma*, &c. non tam verba, inquam, quàm perfecta utriusque, in duobus capitalibus factis, sensa attendenda sunt; sed de his mox plura ocurrent.

Germana consensionis absolutissimæ lineamenta.

4. Hoc Chronici fragmentum tanta exhibet *Prosperianæ* venæ fluenta, tamque in partibus & in earum connexione stylum illum diffundit, ut vel ex eo totum opus Autori suo vindicandum esset. Quid enim hæc: Julianus *quem dudum* amissi Episcopatus cupido exagitabat, &c. Quid hæc, inquam, ab istis diversum spirant? narratur quidam *Scriptor*, serpere, *quem dudum* livor adussit, &c. Quod & adverbium *dudum* à *Nostro* frequenter assumptum etiam quæ sequuntur demonstrant. Sed & hæc locutio: *multimodâ arte fallendi*, &c. nunquid & ad istam alludere videtur: Et *fallax multa* contegat *arte*, &c. Porrò artes illæ, quibus usus est *Iulianus*, dum correctionis speciem præferens MOLITUS EST *in Ecclesiæ communionem* IRREPERE, sed his insidiis, &c. nunquid graphicè illas delineant, quibus larvati *Pelagii* sectatores *damnatum à Catholicis sensum, & multis postea hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, eo ingenio servaverunt... sed quomodo vasa iræ* MOLIREN-

TUR IRREPERE, &c. Utrobique enim eædem fraudes & versutiæ deteguntur, & hâc communi locutione significantissimâ : *molitus est irrepere.* Et : quomodo *molirentur irrepere.* Sed & communis illa transitio per particulam, *sed*, conformem lineam non deformat. Tum : sed *his insidiis* Sixtus Papa *vigilanter* occurrens, mox retractatam locutionem objicit in columnari textû desideratam, ex eadem ad *August.* epist. ubi : excubante *vigilantissimâ* industriâ, & adversùs hæreticarum doctrinarum *insidias* pugnante, &c. Quæ quidem has Chronici voces : *vigilanter*, *insidias*, &c. in eodem sensu occupant. Sed omnium splendidissima & unicè *Prosperiana* formula hæc est : quasi *superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncavisset.* Quam ex adverso tertiùm ingeminat *Aquitanus*, tanto & tam patenti consensu, ut his denuò chartas explere superfluum sit.

XXIII. Conspectus 3. tabulæ.

1. *Valentiniano* VIII. & *Avieno.*

Marciani edictis *Apostolicæ Sedis autoritatem secutis*, Synodus Ephesina damnatur, & apud Calchedonem celebrari Concilium Episcopale decernitur, ut *correctis venia* mederetur & pertinaces cum hæresi depellerentur.

2. *Opilione VC.* . *Cos.*

Synodus Calchedonensis peracta, Eutyche, Dioscoroque *damnatis* : omnes autem qui se ab eis retraxerunt, in communionem recepti, confirmatâ universaliter fide, quæ de Incarnatione Verbi, secundùm *Evangelicam & Apostolicam doctrinam* per S. Papam Leonem prædicabatur.

* 455. 3. Eodem anno Pascha Dominicum die VIII. Kal. Maii celebratum est, pertinaci intentione Alexandrini Episcopi, cui omnes Orientales consentiendum putaverunt, quamvis S. Leo XV. Kal. Maii potiùs *observandum* protestare-

1. Verba ponemus sensus & fidei, quam ex *Apostolicæ Sedis autoritate* defendimus. (Proœ. c. *Vinc.*

1. *Scivus* correctis *veniam non esse negandam.* (Epig. 71.

2. *Ut qui damnato vellent de errore reverti*
Acciperent pacem, *pulsis qui prava tenerent.* (*de Ing. c.* 3.

2. Plurimi qui ad perceptionem *Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ* saluberrimis ejus disputationibus imbuuntur *initio*, & *in fine rursus meminit* : *Apostolic Evangelicæque doctrinæ.* (ad *Ruff.*

3. Quorum tamen *toleranda* magis est intentio, *quàm* desperãda correctio..... nobis sit studium, quieta patientia... semperque à Deo petere ut in omnibus voluntatibus, ipse teneat

tur. Extant ejuſdem Papæ epiſtolæ ad Clementiſſimum Principem Marcianum datæ, quibus ratio veritatis ſolicitatæ evidenter patefacta eſt, & quibus Eccleſia Catholica inſtrui poteſt, quòd hæc perſuaſio ſtudio unitatis & pacis *tolerata* ſit potiùs, *quàm* probata, nunquam deinceps imitanda, *ut quæ* exitialem attulit offenſionem, omnem in perpetuum, perdat autoritatem.

primatum qui ſe dixit eſſe principium. (Perorat. c. *Collat.*

3. Venerabilis memoriæ Pontifex Cœleſtinus præceſſorum ſuorum ſtatuta inviolabiliter *ſervanda* cenſebat : *ut quod* ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari. (*Ibid.* c. 41.

1. Et hæ per ſe ſatis patent locutionum formulæ : *Apoſtolicæ Sedis autoritatem* ſecutis. Et : ex *Apoſtolicæ Sedis autoritate :* Tum *correctis venia mederetur : correctis veniam* non negandam. Et iſtis ſimilia ſunt, quæ 2. num. conſequuntur, queis & alia non pauca ejuſdem venæ ſubjici potuiſſent. Sed graviora nos avocant, quæ facilè paginarum præſcriptos limites explerent, niſi rem altiùs auſpicaremur. XXIV. Anidmadverſiones.

2. De *Damnatis* erroribus, vel Hæreticis, nec de *Evangelica*, *Apoſtolicaque* doctrina, quid ulterius iis adjungendum putamus, quæ toties de his dictionibus annotavimus.

3. Quod ſupereſt, in 3. num. Chronici parte, meta conſcribitur, quam Calculis ſuis apponere duxit *Aquitanus*, ſed & heic non ſecus ac ſupra ſinceræ lineæ exſculptæ ſunt ; quibus quaſi poſtremis ſuis vocibus ſe manifeſtandum objecit; ne de hoc fragmento, quod in antiquis editionibus non extat, & in pluribus codicibus Mſſ. deeſt, injiceretur ſuſpicio. Poſt toties porrò proditos in medium deprehenſarum ſimilitudinum meliores indices, ab æqui Lectoris indulgentia ſperandum mihimet blandiebar, ut id fidei meæ nunc concederetur, ne ad alias *Proſperianas* periodos huic fragmento Chronici comparandas adigerer: non ſanè quia illas reperire diffidebam, ſed quia ad earum explorationem poſtremam operam locaſſe jam mihi pollicitus eram. At hæc inſperatò, „ nec inquirenti prorſus intercurrerunt : Quorum tamen *toleranda* magis eſt „ intentio, quàm deſperanda correctio, . . nobis ſit ſtudium, ut in omnibus, „ & alia quæ ſequuntur, quæ ſatis aptè adverſæ periodi contexturam referunt. Sed preſſiùs & connaturaliùs hunc omnem ſtylum & ambitum exprimit alia „ quæ ſequitur: venerabilis *Cœleſtinus* ſtatuta inviolabiliter ſervanda cenſebat, „ UT QUOD ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari ; „ quo certè curſu fluit hæc illi reſpondens : S. *Leo* proteſtabatur.. nunquam „ deinceps imitanda, UT QUÆ exitialem attulit offenſionem, omnem in per„ petuum perdat autoritatem:

Mirabilis dictionum concentus inſperatò occurrens.

Sed alia iſtius ad Chronicon appendicis à *Proſpero* poſtremùm appoſitæ veſtigia, ſi lubet, indagemus: cur ſiquidem eam tam curioſé partem expenderit? cur iſtius Pontificiæ ad *Marcianum* epiſtolæ tam expreſſam mentionem ? cur

temporum calculos, aliasque rerum circunstantias heic tam sedulò reduxerit? non alia quandoque mihi causa videtur, quàm quia horum omnium pars magna fuit *Aquitanus* ipse, qui ut à consiliis, ita & ab epistolis *Leoni* M. assidens hanc ipsam ad *Augustum* datam, nomine Romani Pontificis specialiter dictasse credendus est. Quod ex stylo satis colligi datur, nam (ut aliqua minutula prætercam, quæ & graviora tamen in his sunt) hæ mihi formulæ *Prosperianæ* præsertim haberentur: QUIA ergo IN illa supputatione NON leviter » delinquitur, SI in PRINCIPIO Sacramenti veritas non tenetur, *obsecro* » clementiam vestram, *ut* studium vestrum præstare dignemini, &c. namque istis absolutissimè commensurantur, quæ ante annos circiter 26. *Prosper* ad » *Augustinum* scripserat, sic prorsus rogans: unde QUIA IN istis NON » mediocris virulentiæ fibra nutritur, SI PRINCIPIUM salutis malè collo- » collocatur, SI...... diligentiam pietatis tuæ *obsecro*, UT quæ in istis quæ- » stionibus obscuriora sunt.. *digneris* aperire, &c. Quæ autem luculentiùs & continentiùs decurrere possunt? Sed & heic tantò illa notabiliora, quòd intra eũdem epistolaris styli characterem adhibita eandem splendidiùs venam demonstrent: quam & ad alia orationum genera, ad uniuscujusque mensuras & modos, accommodare tam ad manum erat *Aquitano*. Sed quia habet adhuc epistola: scrupulum *hujus solicitudinis* Ægyptii absolvant, huc postremò ea referimus, ad quæ nobis etiam illa Chronici videntur allusisse: ratio veritatis *solicitatæ* patefacta est. Quod porrò ad rem spectat, non istheic monet inopportunè *Quesnellus*, ex hoc ultimo *Prosperiani* Chronici additamento, in quo *paullo iratior de Paschate scribit* Aquitanus, *apparere pro sua sententia ipsum decertasse*. Quod & verissimum ex multis jam ostendimus. Sed & quid simile notare poterat, dum attingit *Vir doctus* quæstionem, circa idem festum, ante annos undecim ortam, pro quâ *Cyrilli* Alexand. & *Paschasini* Libybæi sententiæ à *Leone* exploratæ fuerunt; siquidem idipsũ reducens *Prosper* in Chronico habet: *Hoc anno* (444.) *Pascha Dominicum* IX. *Kal. Maii celebratum est*, NEC ERRATUM EST, *quia inde* XI. *Kal. Maiarum dies Passionis fuit: ob cujus reverentiam Natalis urbis Romæ sine Circensibus transiit*; namque hâc suâ, quod *non erratum est* contestatione, satis rursus significat hanc, se inconsulto, receptam non fuisse definitionem: à qua tam impensè erroris suspicionem amolitur. At in istis paullò mirùm videri potest, quorsum idem *Quesnellus* ad an. 455. *Dissert.* I. de gest. *Leonis*, ubi tam liquidò ei *apparuit* pro suâ sententia decertasse *Prosperum*, quem adeoque ab *Aquitano* nusquam diversum existimat, adduci potuit *Dissert.* 12. ut *Augustini Discipulum* ab *Chronographo* secerneret; nisi forsan eum pertraxerint *Garnerii* dubia, quem toties in aliis ibidem impugnat.

Quesnelli observatio.

XXV. *Pithœanum Prosperi* Chronicon infartum & interpolatum.

Sed sentio jam queri nonnullos, meque forsan fraudulentæ reticentiæ penè postulare, quòd de *Prosperianis* Chronicis sermonem texens ejus scienter mentionem suppresserim, quod è celebri *San-Victorina* Parisiensi Bibliotheca Vir literatissimus *Petrus Pithœus* edi primùm curavit, sub nomine *Prosperi*; quem præfert MS. codex, & quem ab *Aquitano* diversum facta in

utroque opere diversè relata manifestè convincere videntur. Et fateor quidem me Chronici istius omnem præterire memoriam aliquando deliberasse; tum quòd illud verè *Prosperi* Aquitani, sed infartum & interpolatum existimarem, tum ne in finem pergens, contentiosum funiculum uni aut alteri Eruditorum parti mecum ducendi occasionem ingererem: quorum alii hocce Chronicon alteri *Prospero* vindicantes, ejus pretium, forsan ultra verum valorem, attollunt: alii verò partum *Prospero* vaferrimè suppositum criminantes, ut faciliùs genuinus suffocaretur, in eodem cuncta doli mali, vel falsitatis postulant. Ita enim hac in causa ex toto penè discinditur Doctorum chorus: & mihi sanè ad residuos, licet pauciores, accedere magis congrueret, qui nec opus istud alteri *Prospero*, Antiquis omnibus ignoto, tribuunt, nec vicissim veteri *Prosperiano* Chronico illigatos ab interpolatore hos aut alios eventus, ut falsos, & fictitios traducunt; eosque notabiles præcipuè, qui ex aliis testimoniis sinceris autoritatem sibi prærogant. Ut quid enim non potuit vir probatæ fidei perplura istiusmodi connectere, etsi plurimùm in aliis peccaverit? Porrò operam ex *Prosperianâ* coaluisse dubium non est. 1. enim *Prosperi* nomen exhibet, nec *Tyronis*, aut aliud cognomen præfert, unde ab alio distingueretur; quanquam nec si *Tyronis* nomen præferret, eum ab Aquitano *Prospero* secernendi præberi posset occasio, cùm nobis fidem præstet *Sirmondus* Hist. Prædes. c. 5. *Prosperi Aquitani cognomen id fuisse*; adjiciens *Pithoeum* etiam *rei haud ignarum*, Tironem, *de suo adjecisse, quia eundem ipsum utriusque Chronici autorem fuisse in animum induxerat.* Quæ nobis apprimè consentanea sunt, in quo sensit Vir doctus *Pithœus*, qui hoc Chronicon primus edidit, utrumque opus ejusdem esse *Prosperi Aquit.* Et sanè quòd hâc solâ nomenclaturâ descriptus sit, cum ipso Codice, titulus, unicuique proclive fuit Chronographiam pro *M. Prosperi* Aquitani partû primò cognoscere, etsi deinceps cum aliis additionibus, ad privatum, ut credere par est, usum, interpolatus fuerit. 2. Posset forsan in hac hypothesi abnutivi, quod vocant, argumenti tantò magis autoritas prævalere, quantò manifestum jam fecimus, post *Aquitanum*, multos continenter successisse Chronographos rerum, personarumque, qui hæc argumenta pertractarant, curiosiores indagatores, quàm ut plenè credi posset, *Prosperum* illum ita eorum studia curasque fugisse, ut nullus in ejus nomen & animadversiones inciderit. Nam si quis uspiam incidisset h d dubiè

Quibus argumentis evincatur?

hoc, vel illas Posteritati commendare non detrectasset: aut si hæc eum tenuisset incuria, quis aliunde ortam non procliviùs existimaret, quàm ex eo quòd hanc operam è *Prosperi* nostri centonibus consarcinatam animadvertisset? 3. Inde major recurrit occasio suspicandi hoc opus ad privatam alicujus eruditionem ita fuisse digestum. Quàm enim pronum sit tabulas Chronologicas ab aliis primùm concinnatas nostris alibi, inter legendum, factis observationibus locupletare, & utrasque deinceps intermiscere, ac de novo ad memoriam levandam ordinare, diurna nos edocent experimenta? Sic porrò *Hieronymum*, *Eusebii* quæ continuavit Chronica, suis non semel animadversionibus & phrasibus, etiam ex *Eutropio* depromptis respersisse nullo non patet erudito: sic & *Prosperum* suas rursus in hoc opus dictiones invexisse jam deprehendimus. Sed heic interpolator, aut privatus illustrator novum suæ doctrinæ periculum facere voluit, dum Historiæ aliquot eventus de suo inseruit, & Consulares Fastos, quorum decorem in Historicis ac necessitatem minùs assequebatur, in totum abdicare nil pensi duxit.

XXVI. Alii ejus mixturæ probatiores indices.

Sed istis omnibus instant graviora, namque *Prosperi Pithœanum* Chronicon indices adhuc patentes servat, quibus illud ex veteri decerptum conflatumque esse liqueat. Etenim 1. utrumque à *Valentis* obitû ducit initium 2. Utrumque hoc initio, iisdem verbis & elocutionibus utitur. Ut enim *Aquitanus Hieronymi* calculos persequens scribit in secunda parte: *Igitur Valente à Gothis in Thracia concremato*, *Gratianus cum fratre Valentiniano* XLI. *regnat annos sex*: sic alter in hunc omnino modum: *Igitur Valente à Gothis in Thracia concremato*, *Gratianus cum fratre Valentiniano regnat annos sex*. At qui è sua quamlibet exili vena Chronicon digerere destinasset, non procul dubio primas operæ suæ lineas ex alienis mercibus defrustatas sic devenustasset: quantominùs autem si lucubrationenm publico juri committere proposuisset? 3. Ille deinde multa contrahit, quæ *Prosper* fusiùs enarrat, mox aliqua immiscet, quæ *Prosper* omittit, in eisque suo duce destititus in Chronologia præcipuè multimodè peccat. 4. Tum itentidem per summa capita ad illum reversus, ejus tandem vestigia circa Concilii Calchedonensis tempora adeo tenaciter premit, ut ipsum exscribat: sicque, qui sub initium *Prosper* innotuit, nonnisi & ille deinceps loquitur; & ad finem usque, non *Prosperiana* membratim, sed uno tenore sibi succedunt, ac consequuntur. Quæ quidem omnia

ſic coeuntia ſatis ſuperque produnt non heic opus novi Chronologi, ſed interpolatoris duntaxat obſervationes acceſſiſſe veteri.

At & iſta lucubratio tam in fine, quàm initio *Proſperianis* opibus ita conſpicua facilè fucum facere potuit Collectori, qui Chronographorum corpus in unum arctare volumen, poſt *Sigeberti*, quem illis aggregavit, ætatem, ſatagens, Chronicon iſtud interpolatum *Proſperi* nomen exhibens, ejuſque hiſtoriæ nobiliorem partem repræſentans, præ aliis puris, ac genuinis, Collectioni ſuæ inſerere duxit, homo ad dijudicandum impar. Quod ſatis vel ex ejus, ad calcem exſcripti *Proſperiani* Chronici, monitione colligi poteſt, quam ſic ex Mſ. Cod. eruimus. *Hucuſque* Proſperi *Chronografia, in qua Dominicæ Incarnationis annos non annotavimus, quia in ſubſequenti Chronografia eadem penè & eo ampliùs, quæ à* Proſpero, à Sigeberto *monacho ſub annis Domini recitantur, à triceſimo octavo primo Dominicæ Incarnat. Incepta, quo Jeronimus Presbiter Chronicorum ſuorum finem fecerat.* Tum: *Incipit Chronografia* Sigeberti. Hæc Compilator, qui jam jam ſubodoratus *Proſperianum* iſtud Chronicon peſſimè calculos ſuos deducere, non hucuſque ſagax eſſe potis fuit, ut heic interpolationes ſecerneret, & genuina *Proſperi* exemplaria diligentiùs inquireret. Præterea ſuam imperitiam prodit, ſiquidem inſinuat *Proſperum Dominicæ Incarnationis annos*, in Chronico conſignaſſe; cùm illud per Conſulares Faſtos proſecutus fuerit. Ut ut ſit celebrius erat iſtud Conſulare *Proſperi* Chronicon, quàm ut hominem in Chronologicis verſatum fugiſſet. Sed, ut jam notavimus, imperito facillimè illudere potuerunt initia & finis operæ, quæ tam ſincerè totum *Proſperum* referebant ac conſequebantur: ut ex utriuſque operis collatione res illico ſub oculos cadet. Et jam quidem id de principio ſatis animadverſum. Nunc ut reſiduâ examinis curâ Lectorem eximam, utriuſque Chronici nobilem partem, uſque ad finem, in una vel altera tabula repræſentabo.

Unde maximè fucum paſſus eſt Collector?

Chronicon Prosperianum *vulgatum.*

XXVII. Conspectus 4. tabulæ.

1. Synodus Calchedonensis peracta, Eutyche, Dioscoroque damnatis; omnes autem qui se ab eis retraxerunt in communionem recepti, confirmata universaliter fide, quæ de Incarnatione Verbi, secundùm Evangelicam & Apostolicam doctrinam, per Sanctum Papam Leonem prædicabatur.

2. Attila in sedibus suis mortuo, magna primùm inter filios ipsius certamina, de obtinendo regno exorta sunt: deinde aliquot gentium, quæ Chunis parebant, defectus secuti causas & occasiones bellis dederunt, quibus ferocissimi populi mutuis incursibus contererentur.

3. Apud Gothos intra Gallias consistentes, inter filios Theodorici Regis, quorum Thorismundus maximus patri successerat, &c.

4. Inter Valentinianum Aug. & Aëtium Patritium, post promissæ invicem fidei sacramenta, post pactum de conjunctione filiorum, diræ inimicitiæ convaluerunt, & unde fuit gratia caritatis augenda, inde exarsit fomes odiorum, incentore, ut creditum est, Heraclio spadone; qui ita sibi Imperatoris animum insincero famulatû adstrinxerat, ut eum facilè in quæ vellet impelleret.

5. Cùm ergo Heraclius sinistra omnia Imperatori de Aëtio persuaderet, hoc unum creditum est saluti Principis profuturum, si inimici molitiones suo opere præoccupasset. Unde Aëtius dum placita instantiùs repetit, & causam filii commotiùs agit, Imperatoris manu, & circunstantium gladiis crudeliter confectus est, Boëthio Præfecto Prætorio simul perempto, qui eidem multâ amicitiâ copulabatur.

Chronicon

Chronicon Prosperianum *Pithœanum.*

1. Synodus Calcedonensis ubi Eutyche, Dioscoroque damnatis, omnes qui se ab eis retraxerunt in communionem recepti, confirmatâ universalirer fide, quæ de Incarnatione Verbi, secundùm Evangelicam & Apostolicam doctrinam, per Sanctum Papam Leonem prædicabatur.

2. Attila in sedibus suis mortuo, magna primùm inter filios ipsius certamina, de obtinendo regno exorta sunt: deinde aliquot gentium, quæ Chunnis parebant, defectus secuti causas & occasiones bellis dederunt, quibus ferocissimi populi mutuis incursibus contererentur.

4. Inter Valentinianum Aug. & Aëtium Patricium, &c, *ut ex adverso.*

5. Cùm ergò. . . . . Aëtius placita instantiùs repetit & causam filii commotiùs agit Imperatoris manu & circumstantium gladiis crudeliter confectus est; Boëthio Præfecto Prætorio simul perempto, qui ei multâ amicitiâ copulatus erat.

Non esset cur his observationes nostras adjiceremus, res enim per se satis loquitur. Quis enim tam bardus, qui non videat, unum ex altero ad verbum depromptum? sed eâ heic postremùm licentiâ usus est interpolator, vel exemplator, quam in reliquis etiam usurpavit: tertii enim numeri facinus ex adverso notatum suppressit. Et num. 5. postquam primas duas voces oppositi schematis assumpsit, prætereito consequenti membro, sermonem illigat cum secundo. Quæ & alia similia patenter unum & idem opus arguunt. Observantiuncula.

Chronicon Prosperianum *Vulgatum*.

XXVIII. Conspectus 5. tabulæ.

6. Mortem Aëtii mors Valentiniani non longo post tempore consecuta est, tam imprudenter non declinata, ut interfector Aëtii amicos armigerosque ejus sibimet consociaret; qui concepti facinoris opportunitatem dissimulanter aucupantes egressum extra urbem Principem, & ludo gestationis intentum, inopinatis ictibus confoderunt; Heraclio simul, ut erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine Regia ad ultionem tanti sceleris accenso.

7. Ut autem hoc parricidium perpetratrum est, Maximus Vir gemini Consulatus & Patritiæ dignitatis sumpsit Imperium: cui cum periclitanti Reipublicæ per omnia profuturus crederetur, non sero documento, quid animi haberet probavit. Siquidem interfectores Valentiniani non solum non plectrit, sed etiam in amicitiam receperit, uxoremque ejus Augustam amissionem Viri lugere prohibitam, intra paucissimos dies, in conjugium suum transire coegerit.

8. Sed hâc incontinentiâ non diu potitus est, nam post alterum mensem, nuntiato ex Africa Genserici Regis adventu, multisque nobilibus ac popularibus ex Urbe fugientibus, cùm ipse quoque, datâ cunctis abeundi licentiâ, trepidè vellet abscedere, septuagesimo septimo adepti Imperii die, à famulis Regiis dilaniatus est, & membratim dejectus in Tiberim sepulturâ quoque caruit.

9. Post hunc Maximi exitum, confestim secuta est multis digna lachrymis Romana captivitas & Urbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit, occurrente sibi extra portas S. Leone Episcopo, cujus supplicatio ita eum, Deo agente, lenivit, ut, cum omnia potestatis ipsius essent, tradita sibi Civitate, ab igne tamen & cæde atque suppliciis abstineretur.

10. Per quatuordecim igitur dies, secura & libera scrutatione, omnibus opibus suis Roma vacuata est, multaque millia captivorum, prout quique, aut ætate aut arte placuerunt, cum Regina & filiabus ejus Carthaginem abducta sunt.

11. Eodem anno Pascha Dominicum, &c. ut in *pag.* 394. & 95.

Chronicon Proſperianum *Pithœanum.*

6. Mortem Aëtii mors Valentiniani non longo poſt tempore conſecuta eſt ; tam imprudenter non declinata, ut interfecti Aëtii amicos armigeroſque ejus ſibimet ſociaret : qui concepti, &c. *ut in adverſo.*

7. Ut autem hoc parricidum perpetratum eſt, Maximus Vir gemini Conſulatus & Patriciæ dignitatis ſumpſit Imperium : qui cum periclitanti Reipublicæ profuturus per omnia crederetur, non ſero documento, quid animi haberet probavit : ſic quidem ut interfectores Valentiniani non ſolum non plecteret, ſed etiam in amicitiam reciperet, uxoremque ejus Augusti amiſſionem viri lugere prohibitam, intra pauciſſimos dies in conjugium ſuum tranſire cogeret.

8. Sed hâc incontinentiâ non diu potitus eſt. &c. *ut ex adverſo.*

9. Poſt hunc Maximi exitum, confeſtim ſecuta eſt, &c. *ut ex adverſo.*

10. Per quatuordecim igitur dies ſecura & libera ſcrutatione, &c. *ut ex adverſo.*

Heic omnia ſibi invicem in omnem partem reſpondent, niſi fortè in una, vel altera ſyllaba ſit mutatio. Porrò unam epocham, vel narrationem num. 11. exhibet vetus *Proſperi* Chronicon, quam *Pithœanum* recens, ut interdum ſolet, prætermittit, de qua pluribus ſuperiùs

Et satis superque res omnis in propatulo est, constatque perinde non opus novum heic intentum fuisse, sed inter veteris initium, atque extrema, quædam duntaxat interspersa, quæ tamen parenti genuino suum semper fœtum illibatum servarent & incolumem; cujus utique nomen tam constanter retinuit. Citra ullam itaque fraudem potuit interpolator ille procedere, & ea supplere, quæ privata sua eruditio, quamlibet in Historicis aut Chronologicis tenuis, ipsi suggessit. Et de ejus quidem fortunis ut promam quod sentio, quantùm ex quibusdam factis Chronico illi *Prosperiano* infartis colligere licet, aut ille Provincialis fuit, aut in Provincia ætatis plurimùm exegit; nam de Proculo *Massiliensi*: de *suspecto adulterio* Remedii *Episcopi*: de Patroclo *Arelatensi*, *infami mercatû sacerdotia venditante*: de *Honorato*, *Minervio*, *Castore*, *Joviano* Monasteriorum insignium Abbatibus, qui Lirini & in Stœchabus florebant: de *Cassiano*: *Arelate* & aliis quæ in Provincia hâc tempestate contigerunt fusiùs edisserit, quàm ut extra hoc solum degisse credi possit; cùm præcipue ad ista consignanda, alia quædam illustriora prætereat. Quo semper magis hæc roboratur conjectura, opus illud privato usui litatum esse; in quo quippe peculiaris Historiæ capita, præ Universalis ejusdem factis, eventibusque, seliguntur & congeruntur.

XXIX. *Prosperiani* Chronici interpolator, cur *Provincialis* existimari debeat?

Ceterùm, ut alia omittam, quis in animum inducet, duos ejusdem nominis *Prosperos*, eâdem in Gallia Chronicon ambos scripsisse, idemque ambos à *Valentis* morte auspicantes, ad terminum, hoc est ad *Valentiniani Aug.* VIII. & *Anthemii* Consulatum, urbemque à *Genserico* captam, perduxisse: Quis, inquam, id sibi persuadere, duosque *Prosperos* eodem ævo, eodemque in regno, literarum famâ florentes, quorum unus alterius verba, locutiones, ordinemque rerum, nobilissimâ in parte, perscripserit ex integro, secutusque sit, admittere satius duxerit; quàm unum eundemque *Prosperum* Aquitanum, & hunc solum suâ tempestate cognitum, solum à posteris celebratum Chronici utriusque autorem, quo modo explicuimus, profiteri?

Unicus *Prosper* Aquitanus, hâc ætate, doctrinæ literarumque famâ florens.

Quod residuum est, inter alia indubitata *Prosperi* opera, censenda postremùm venit ejus in 50. posteriores *Psalmos expositio*, quæ illi hucusque tanquam legitimus fœtus adscripta fuit? Et quorsum hæc illi posset abjudicari, quæ Autoris venam ubique regerit, sensusque ab *Augustino* Magistro ut plurimum ductos, sed stylo suo reductos ubique spargit? Quòd sæpe sæpiùs feliciter experti sumus, per nostras præcipuè comparationum tabulas, hujus Commentarii excerptis non raro nobilitatas. Sunt & 388. Sententiæ ex S. *Augustini* libris à *Prospero* collectæ, de quibus, & Psalmor. exposit. alibi plura.

XXX. Reliquorum operum *Prosperi* brevis recensio.



DE POETICE S. PROSPERI DUBIA AC GENUINA.

DISSERTATIO IX.



E Prosaicis *Aquitani* lucubrationibus satis huc usque tractatum est, & postulat instituti ratio, ut illius Poëticen aggrediamur; utque spuria à genuinis in primis separare mos nobis est, de Poëticis opusculis, *Prospero* perperam adscriptis, quid juvat carptim præmittere. I. Poëtice *Prosperi*, spuria: dubia: genuina.

Horum insignius censeri debet Poëma de *Providentia*, cujus corpus heroicis carminibus constat, prologus habet his sua intermixta pentametra. Et hoc quidem satis licet nobile à cunctis *Prospero* nunc abjudicatur, quia *Pelagianis* sensibus infuscatum contendunt; quos ad penitus suffocandos magis viriliter insudavit Christi gratiæ vindex indefessus, quàm ut in hæc postea adeo molliter delabi potuisse videatur. Exemplo sunt ista: Carmen *de Providentia Prospero* subjectum creditur:

Nulla tamen placitos Domino non edidit ætas
Quos licet ob meritum vitæ, bona multa manerent
In mortem vitiata tamen natura trahebat, &c.

Atque: *Unus enim pater est cunctorum & semine recti*
Nemo caret.

Quia *Semipelagianos* quosdam sensus operi suo inspersit.

Deinde: *Filius esse Dei, si vis, potes, omnipotens te*
Spiritus umbratum verbi virtute creavit.

Tum post alia:

Sed quia liber homo & sapiens discernere rectis
Prava potest, in se intus habens discrimina rerum,
Jusque voluntatis, quo temperat arbitrium mens.
Si tamen ancipitis cæca inter prælia vitæ
Non de se tumeat, sed votis tuta modestis
Inde putet totum posse, unde accepit & esse.
Insita sic nobis patriæ virtutis imago est:
Longo justitiæ qua multùm exercita cultu
Seu speculo lumen divinum imitata referret

Et sub finem ait: *Si tamen Assertoris opem festina voluntas*
Præveniat, &c.

II. Est tamen viri pii & eruditi, at non forsan *Hilarii*.

Quæ quidem gratiam à voluntate præveniri debere innuunt. Sunt & alia istiusmodi per opus respersa, quorum multa licet ad Catholici sensus normam aptari possent, vix tamen omnia ad *Prosperianos* conceptus congruenter reducentur, quia de arbitrii naturali possibilitate, de virtutum residuo post peccatum semine, aliter interdum mentem suam aperire studuit *Aquitanus* noster, ut in tota Dissertationum serie satis perspcici datum fuit. H. *Norisius* Hist. Pelag. lib. 2. c. 13. *Hilarium* Arelatensem hujusce Poëmatis autorem suspicatur, *cùm illum*, inquit, *Semipelagianum esse apertè pateat.* Quod si tam apertè pateret, ac putat Vir doctus, magis hæc illi suspicio ableganda esset: cùm *Hilarius* è contra, nullo ex probato testimonio, ad *Semipelagianorum* partes transiisse convinci possit: ut in *Lirinensium Secretis* fusiùs ostendimus. Ad carminis porrò autorem quod attinet, nil ultra ex *Gennadio* Scriptorum sui temporis recensitore, pro *Hilario* expiscari datur, quippe qui postquam de eodem in Catal. c. 69. ait: *absque personarum acceptationibus, omnibus castigationem ingessit* (ut præfert MS. Codex Bibliothecæ Benedictinæ S. *Germani* Pratensis, ante annos mille in membrana exaratus, cùm alii tam editi quàm MSS. habeant: *sine personarum exceptione* vel *acceptione omnibus castigatum opus prædicationis ingessit*, quæ sensum adeo clarum non reddunt, & minùs cum consequentibus cohærent) post ista, inquam, sic relata, nonnisi *aliqua* & *parva* antùm *Hilarium*

Gennadii lectio restituta.

edidiſſe refert Maſſilienſis Presbyter, ex quibus, quæ illi præcipua eſt, S. *Honorati* Arelatenſis vita duntaxat recenſetur. Liberalior quidem, quod jam notavimus, nobis alter *Honoratus*, Maſſilienſis ſcilicet, in *Hilarii* vita, quem præter multa præclara copioſaque relicta ingenii monimenta, compoſuiſſe teſtatur: *etiam verſus fontis ardentis.* Quod præconium ſanè iſtis *de Providentia* verſibus congruenter aptari poſſet, etſi forſan divinare tam obvium non eſſet, cur *Gennadius* illorum memoriam omnem conſepeliſſet, ſi tam eorum ſenſa, quàm autorem *Semipelagianum apertè* cognoviſſet. Et profectò hæc licet in nonnullis cautè legenda ſit opera, Viro pio tamen, ac erudito, & *Hilario* pari non eſſet indigna. His enim paucis demptis, religioſi ſcriptoris partes omnes explet, imò & in aliis non paucis ſentit ut *Proſper*, Anonymus iſte; ſic enim piè ac eleganter divinam ſcientiam ad *Noſtri* mentem explicat: Autor quandoque ſentit & loquitur ut *Proſper*.

At verò æternum nil effugit, omniaque adſunt
Salva Deo: nihil eſt illi tardumve citumve,
Nec dilata unquam, nec feſtinata putemus,
Quæ veniunt noſtris mutantur tempora rebus.
Nam quod ubique agitur, quod geſtum eſt, quodque gerendum eſt
Ante oculos Domini puncto ſubſiſtit in uno
Una dies cui ſemper adeſt chras, atque heri noſtrum.
Sed quamquam examen Deus omnia ſervet in illud, &c.

Si enim revocentur quæ 2. p. 3. *Diſſert.* ad c. 34. lib. 2. *de Vocat.* latè perſecuti ſumus ex *Proſpero*, his omnino concinere perſpicientur. Nec ſolùm iſte *Proſperianos* ſenſus aliquando conſequitur, ſed verba illi familiaria & elocutiones ſæpiùs frequentat: ut ſunt hæ: *profundum, vipereus, fibra, turbo, mores almi, gladius verbi*, pro decretis & conſtitutis Eccleſiæ. Tum: *res occiduæ*, pro caducis & temporalibus: *Rex* & *Tyrannus*: pro Deo & dæmone: & aliæ hujuſmodi dictiones obſervantur, quas jam ſæpiùs ex *Proſpero* reddidimus, ut nec actum agere neceſſum ſit. Teſte autem *Labbeo* de Scriptor. Eccleſ. putarunt *Jo: Heſſels* & *Jo. Olivarius*, quos & ipſe non improbat, annexum fuiſſe opuſculum illud Poëmati *de Ingratis*, non quòd initio *Proſperi* exiſtimatum ſit, ſed ut remedium veneno conferri poſſet: ne cum eſſet pernicioſum, ſuo careret antidoto, ſi ſejunctim legeretur. Quin ego procliviùs exiſtimaſſem ex iſtis *Proſperianis* lineamen-

tis primùm deceptos librarios, hoc opus incunctanter *Aquitani* fortunis addixisse, eâ penè indiligentiâ, quâ tractatus alios istius stylo magis repugnantes eidem adscribere non dubitarunt: nisi illud ipsum ab *Hincmaro*, uti *Prosperianum* recognitum esse mox advertissem, quæ sententiam antiquiorem probant. Huic autem occasionem dare potuit, quòd Scriptor iste ævo *Prosperi* floruerit, carptimque suo in carmine Vvandalorum, Getarumve, seu Gothorum in solum nostrum impressiones attigerit, quarum & *Aquitanus* noster & testis & narrator fuit in Chronicis.

IV. Dubiorum & suspicionum expositio, & ad Eruditos provocatio.

At vel ex istis abjudicandum esset carmen *Hilario*, qui ad hæc tempora non pervenit, quandoquidem humanitatem explevit anno 449. Quæ omnia profectò dum attentiùs considero, neque hâc tempestate & in nostris Galliarum, seu septem Provinciarum regionibus, ubi hæc præcipuè contigerunt, Scriptores alicujus nominis huic elucubrando carmini satis idoneos animadverto, vix prohibere possum, quin *Prosperianæ* illæ venæ eidem intertextæ me quandoque vellicent, ut in ipsum *Prosperum* tunc adhuc superstitem convertar. Mentem utique pulsante suspicione, ne quemadmodum ille in elucubrandis, *de Vocatione omnium Gentium* libris, ad aliqua consultò dilapsus est emollimenta, quæ alium primâ fronte repræsentarent: ita & heic in eundem finem collineans, carmen ad hanc normam consignarit, quod ejus *de Ingratis* nuncupati, severiores omnes sensus non exereret & tamen, quod præcisè ad fidem spectat, aptè secerneret. Sanè hoc ab Poëta ultro præstitum demonstrare suscepit quidam * Vir doctus, cui si alios suffragari audirem, minùs à meis dimoverer suspicionibus; quanquam nec dissimulare possem mihi longè magis semper videri separatum carmen à sensibus castigatissimis *Aquitani*, quàm Anonymum *de Vocat.* tractatum. Unde, quousque ex severiorum Criticorum placitis major lux affulgeat, judicium cohibere longè præstat.

* P. Bun. *Neusser* in vita S. *Hilarii* ad d. 5. Maii t. 2. *Bolland.*

V. Carmen ad uxorem, dubium, an sit *Prosperi* vel *Paulini*?

Carmen Anacreonticon *ad Uxorem*, non inter subjecta affictaque *Prospero* quidem, sed nec inter certa ejus Poëmata censeri potest. Inter dubia igitur locandum est & verè dubitandi locus extat, an ejus sint? *Rosvueydus* enim Vir eruditionis non vulgaris, *Prospero* cujus nomine circumferebatur opusculum abjudicavit, & S. *Paulino* Nolano, dum ejus opera recenseret, adscripsit: cognitâ utique causâ, ut videtur. Sed judicium illud expostulat doctus juxta atque accuratus ejusdem *Paulini* novissimus editor & Scholiastes tom, 2. Dissert. 6. ubi

quanquam

quanquam fateatur carmen ad *Paulinianum* stylum & sermonem satis accedere, locutionesque istiusmodi designet ad solitum, tamen asserere non dubitat poësim istam aliis *Paulini* carminibus suaviorem, liberiùsque fluere. Tum hæc subjungit: *At quod istud carmen Paulino potest abjudicare illud nempe est, quòd universum Orbem in ea generali eversione rerum & perturbatione describit, quam expertum est ab anno 407. Occidentis imperium. Verùm Paulino tunc temporis non necesse fuit, ut se & uxorem ad Christianam vitam hortaretur & designaret quomodo facultatibus suis uterentur. Arbogastus maximas in Occidente turbas fecit, cùm anno 392. 15. Maii juniorem Valentinianum strangulari jussit & diadema Eugenio imposuit. At illud carmen hæc non adumbrat.* Hactenus *Paulini* illustrator, qui quidem egregiè animadvertit his temporibus, quibus Romanum Imperium tantis infestationibus premebatur & succutiebatur, necesse non fuisse *Paulino Therasiæ* sanctissimæ conjugi talem adhortationem inscribere, quæ prævio dudum sponso, christianæ vitæ cursum, cum eo tam laudabiliter emetiebatur, nisi & *currentem* quandoque *monere* non inutile quis dicat.

Quæ prohibent ne censeatur *Paulini*.

Porrò & inde prohiberi testatur laudatus Autor, ne carmen illud *Paulino* assignet, *quòd*, inquit, *in quatuor Mss. Codicibus* Prospero *tribuatur, in nullis* Paulino, *cujus historiæ prorsus non respondet.* Quod certè grave videri debet: nam & hi Mss. Codices, quasi testes & indices quatuor censeri poterunt, qui *Prosperi* juribus instaurandis inserviant; nos istis quatuor, quos non vidimus, & de quorum adeoque vetustate nihil asserere fas nobis est, quintum adjungimus, quem præ manibus habemus optimæ notæ in politiori membrana ante annos DCCC. ut judicamus, exaratum. Is ex Massiliensi Civitate ubi etiam clarior & carior *Prosperi* memoria, in hanc Aquensem Metropolim transmissus, ut amplissimi Senatoris, amplissimæ Bibliothecæ fortunis non accrescere non potuit, ita nec pariter manere mihi hùc advenienti tantus thesaurus incognitus, qui ab hujus copiosæ supellectilis Possessore, quæ continua solatia, cum multis & præ multis etiam suscepi, cum intimis grati animi sensibus non possum non prædicare. Porrò Codex iste nonnisi *Prosperi* epigrammata exhibet, quibus sententiæ ab eo ex *Augustino* decerptæ præponuntur, nec alia describere sibi proposuisse videtur exemplator. Post consignatum ergo epigramma 97. *de cohibenda ira*, &c. hoc versu expliciens: *crescere non cupiens perdit adepta tepens*, immediatè subjungitur, *metrum Anacreonticon;*

Quæ inducere videntur ut *Prospero* tribuatur, sunt Codd. Mss. quatuor.

Bibliothecæ *Thomassina* Cod. MS. quintus accedit.

ſed cujus ïambi, propter membranæ anguſtias, in eadem linea duplicantur, hoc tenore:

Age jam precor mearum comes irremota rerum,
Trepidam, brevemque vitam Domino Deo dicemus,
Celeri vides rotatû, rapidos dies meare,
Fragiliſque membra mundi, minui, perire, labi,
Fugit omne quod tenemus, neque fluxa habent recurſum,
Cupidaſque vana mentes ſpecie trahunt inani..
Ibi nunc imago rerum, ubi ſunt opes potentum,
Quibus occupare captas animas fuit voluptas.

. . . . . .

Atque heic expliciunt verſus, ſimulque pagina, Codexque deſinunt, quod ita de induſtria factum probant, appoſita quæ ſequuntur verba: *finit liber.* Deſiderantur itaque in hoc Codice, quæ ab aliis exhibentur exhametra cum pentametris, ïambis iſtis cohærenti conceptuum ſerie ingenioſè illigata. Quæ & conſuetudo quidem haud extranea cenſenda eſt *Proſpero*, qui Carmen ſaltem *de Ingratis* omnium celeberrimum duplici verſuum ſpecie variare duxit, aliter enim in Prologo, quàm in Poëmate cecinit. Quæ porrò *Paulini* hiſtoriæ prorſus non reſpondere videntur Viro docto, rerum temporumqe circunſtantiæ, carmine, de quo quæſtio eſt, deſcriptæ, *Proſperi* perſonæ congruentiùs forſan aptarentur; quippe quem, ſub exitum quarti ſæculi, & ſub conſequentis initium Chriſtianæ pietatis ſtudia magis afficere primùm potuerunt, ſuam ut Conjungem ad pares auſus tam ſuavium conſiliorum incitamentis ſtimularit.

Aliæ etiam conjecturæ *Proſpero* conſentaneæ.

VI. Verſus ad uxorem nativis *Proſperi* lineamentis reſperſi.

Ad id etiam faceret *Bedæ* in fine lib. *de Arte Metrica* teſtificatio, qui carmen iſtud *Tyroni Proſpero* diſertè adſcribit: *metrum Anacreonticon*, inquit, *quo uſus eſt* Proſper Tyro *in principio exhortationis* ad conjugem, *ita dicens*: age jam precor, &c. Faceret rurſus, excerptum de quo jam præfati ſumus ſub finem Diſſert. præced. præferente: *de caritate*, *de libro Proſperi* nam in hoc fragmento, quædam reſperguntur verba, quæ ad Carminis ſenſum ſatis alludere videntur; ut ſunt iſta: *congregavit nos in unum Chriſti amor*, *exultemus in ipſo jocundemur*, *timeamus & amemus Deum vivum*, *& ex corde diligamus nos alterutrum*, &c. Quanquam & ea ad Proximi dilectionem trahi poſſunt.

Sed nec omnino carent *Prosperianis* lineamentis hæc carmina, ista saltem absque diligentiore examine, primo conspectû, paruerunt: *mille modis* miseros mors rapit, &c. quæ mihi illa Carm. de *Ingr.* ubi iterum de humanæ vitæ miseriis loquitur, reddiderunt: his *& mille modis* semen variantibus, &c. Tùm carminis istius elocutio: nec lædit blandum mitia *Colla jugum*: *Aquitano* perfamiliaris esse mihi illicò perhibita est, nam *Epig.* 42. subdanturque pio *colla* domanda *jugo*. Et *Epig.* 97. iterum: captaque servili subdere *colla jugo*. Sic deinceps hi sub finem versus:

Nec tamen ista mihi de me fiducia surgit
Tu das Christe loqui, Tuque pati tribuis.
In nobis nihil audemus, sed fidimus in Te:
Quos pugnare jubes, & superare facis.
Spes igitur mea sola Deus, quem credere vita est.
Qui patria civem me dedit alterius.
Sorte patrum occiduum *jussus transcurrere* mundum
Tum: *Quâ steterо* adversis: *hâc utar mente* secundis.

Isti, inquam, versus castissimis *Prosperi* sensibus pleni sunt, ejusque veros affectus sincerè reddunt & locutiones interdum eædem sunt, ut ista: *Quos pugnare jubes & superare facis*, &c. à *Prospero* centies ingeminata. At ista rursus uti singularior: Quâ stetero *adversis*, hâc utar mente *secundis*, uti, inquam, hæc singularior, quâ *adversa*, *secundis* concinnè opponuntur, ita & ipsa *Nostro* veluti propria & penè innata censeri debet, quam utique toties & metricâ & solutâ oratione retractat. Sic enim Epig. 17. in eundem sensum canit: Quæ nunc obsessa ADVERSIS, non plena SECUNDIS, &c. Imo & sequentia hujus. Epigr. ubi: *non capiet mundus, cui via Christus erit:* quædam alia Carminis adumbrant, ut: *Spes mea sola Deus*, &c. Sed ut ad priorem locutionem revertamur, danda est alia persimilis ex prosaicis *Prosperi* operibus, nam in expos. v. 11. & 15. *Psal.* 138. ait: Quia ergo & ADVERSA vitæ istius & SECUNDA non carent tentatione, utrinque fit nox, &c. Item & *Psal.* 144. Nobilis etiam recurrit similitudinis scintilla, in hac locutione *Epig.* 14. in quo legitur: Quorum animum MUNDUS non tenet OCCIDUUS: ubi quidem *Occidui* epitheton mundo oppositum splendidè reducit illud carminis: OCCIDUUM jussus transcurrere MUNDUM, &c. Sed & *Occiduum*, *Occiduaque*, *Prospero*

familiarissima passim notare non moramur.

At quid ergo de tam egregio carmine statuendum? non præsumo sanè, post quasi cohibitum repressumque circa illud aliorum judicium, plenè decernere: animique etiam pendere fateor: nam etsi hinc videam quid paullò comptius & elegantius, quàm quod præfert, reliqua Poëtice *Prosperiana*, ne opus *Aquitano* abjudicare deliberem, inde retinet me magis ætatis circumstantia, quâ elucubrari debuit. Cùm enim conversionis initio digestum illud sit, ut minùs tunc erat Cœlestibus assuefactus atque distentus *Aquitanus*, ita magis juvenilis ejus animus arti & concinnitati studens procliviter hanc elegantiam affectare tum potuit, quam maturior sanctiorque factus postea respuerit, vel neglexerit. Hæc itaque aliis otiosiùs libranda remitto, à quibus dum meliora opperiar, quæ meum mage privatum judicium determinent, contendam ne publicum in alio mox excutiendo circumveniri possit.

VII. Epitaphium hæreseos *Pelag.* & *Nestoria.* quo jure inter dubia *Prosperi* opera à *Garnerio* locatum:

Etenim in istis duobus Poëticis tractatibus, quotquot *Prospero* vel omnino suppositi, vel valde dubii censebantur comprehendi hactenus inaudieram. Sed alium insperatò scrupulum ingerit Vir ille doctus, quem Chronica eidem *Aquitano* denegantem jam audivimus & impugnavimus; siquidem Dissert. 7. caput 7. huicce destinat indagationi: *inquiritur*, inquit, *in versus quosdam* Prospero *tributos, de societate hæresis* Pelagianæ, *cum* Nestoriana. Isti autem versus illi sunt quos hâc epigraphe adornatos inter opera Prosperi legimus: *Epitaphium* Pelagianæ & *Nestorianæ Hæreseon.* Hoc autem Epitaphium, inquit *Garnerius*, „ commmuni utriusque hæresis tumulo inscriptum fertur à *Prospero*, & in quo *simile* quiddam *ænigmati* legitur, alteram Hæ„ resim, alterius fuisse matrem simul & filiam. Dicitur enim „ *Nestoriana* Pelagianæ quem dederat ortum, ab ea vicissim „ recepisse. Tum post aliqua Epitaphium recitat, quod sic incipit:

Nestoriana lues successi Pelagianæ
Quæ tamen est utero progenerata meo
Infelix miseræ genitrix & filia natæ,
Prodivi ex ipso germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis
De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in summa armatur ab imis
Congrua bellandi tempora non habui.

At consanguineæ post tristia vulnera fraudis
Aspera conserui prælia fine pari.
Me tamen una dedit victam sententia letho
Illa volens iterum surgere bis cecidit.
Mecum oritur, mecum moritur, mecumque sepulchrum
Intrat, & inferni carceris ima subit.
Quæ nos præcipites insanâ superbia mersit,
Exutas donis & tumidas meritis.
Nam Christum pietate operum & mercede volentes
Esse Deum, in capitis fœdere non stetimus:
Sperantesque animi de libertate coronam,
perdidimus, quam dat gratia, justitiam.
Quique igitur geminæ miseraris busta ruinæ,
Ne nostro exitio consociere cave.
Nam si quæ Domini data munera serò fatemur,
Hæc homini credis debita, noster eris.

Hæc autem, sic persequitur Vir doctus, *ingeniosè quidem & acutè dicta fateor, sed verè an secus, opus est diligentiùs inquirere.* Inde accuratè à tertio sæculo, quo *Samosateni* deliria patefacta sunt, Mariam χειστοτόκον, vel θεοτόκον negantia, unde *Nestorio* præluд cœpit, per succedentia tempora eruditè decurrens, Hæreseo istius originem progressumque curiosiùs investigat, colligitque tandem Poëtam non rectè usurpasse *Nestorianæ* luis nomen, eique *Leporianam* hæresim pro *Nestoriana* illusisse. Sed dandam tamen eò faciliorem veniam Poëtæ censet, quod ipse quoque *Cassianus* & in eodem peccaverit & suam in sententiam traxerit amicum *Leonem* M. aliosque postmodum plures eorum autoritatem secutos. Sed ne tam prolixæ disquisitioni, quæ nos longiùs abduceret, diutiùs inhæreamus, cum hæc minùs castigata & ad severiores historiæ leges exacta Poëtæ narratio, non id tamen valeat inducere, ut propterea abjudicetur *Prospero* carmen, in quo vel duces, vel adstipulatores habuit *Cassianum* & *Leonem* M. ex ipso *Garnerio* in his videtur esse sistendum. Si enim talia Oratoribus tam sanctis & tam seriò disserentibus, quantò indulgentiùs idipsum Poëtæ condonandum, qui non tam seriò & ad Historiæ normam heic eloqui, quàm probrosè, summoque dedecore consepultis erroribus, laxatis habenis, inflatisque, ut, aïunt tibiis illudere voluit? Quo facili negotio vindicandum?

Quæ cùm ita sint limites antiquâ omnium consensione po-

VIII. Epitaphii verba sensaque *Prospero* ad miraculum consentanea.

sitos heic transire & opus *Prosperianis* etiam locutionibus affectibusque apprimè aliunde consentaneum in levem subjectionis suspicionem pertrahere, vel ex istis, religioni ducendum esset. At quid his ipsis etiam habemus expressius, é *Prosperi* repetitis utique testimoniis elicitum; qui cum non soleat *Nestorianæ* Hæreseos profligationem & damnationem narrare, quin istis simul *Pelagianis* iteratò inflictas anathematis sententias agnoscat & inculcet: inde magis ex omni parte collucet ratio consentitque, quî proclive fuerit *Aquitano* utriusque perniciosi dogmatis tumulo idem epitaphium appendere; quod tenebat prædicabatque eâdem censurâ perstrictum, jugulatum, ac detruncatum. Sed de hoc rursus *Prosperum* audiamus, nam jam ejusdem testificationes mox supra adduximus, dum illum Chronographo per omnia concinentem ostendere curabamus. sic autem utrobique: *Basso & Antiocho: congregatâ apud Ephesum plus ducentorum Synodo Sacerdotum, Nestorius cum Hæresi nominis sui* & CUM MULTIS PELAGIANIS, QUI COGNATUM ERRORI SUO JUVABANT DOGMA, DAMNATUR. Heic multos *Pelagianos*, qui *cognatum errori* Nestoriano *juvabant dogma* cum *Nestorio* damnatos ab Ephesina Synodo refert *Aquitanus* in Chronicis. At hæc ipsa *Cassiano* hanc erroris utriusque contesserationem probè noscenti rursus exprobat, cum adversùs illum peculiari libro confligit, ubi ad cap. 42. majoribus animis detonans ait: *Per hunc virum*, Cælestinum, *etiam Orientales Ecclesiæ* GEMINA PESTE *purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis Antistiti ad execrandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio; quo etiam* PELAGIANI, *dum* COGNATIS CONFOEDERANTUR ERRORIBUS, ITERUM PROSTERNERENTUR. In his jam animadvertimus perfectum unius & ejusdem Oratoris consensum; nunc illius ipsius, cum Poëta concentus audiendus nobis est. Ac primò quæ dicitur in carmine *Nestoriana*, *Pelagianaque lues*, heic: *gemina pestis* renuntiatur 2. CONSANGUINEA *fraus*, per COGNATUM *errori* dogma benè redditur. 3. Hinc: *in capitis* FOEDERE *non stetimus*, apertè alludit ad ista: *dum cognatis* CONFOEDERANTUR *erroribus* 4. At & integer versus: *me tamen una dedit victam sententia letho*, &c. indubitanter ad Ephesinæ Synodi judicium respicit, quo cum *Nestorianis*, *Pelagiani* iterum *prostrati* sunt. 5. Sed & illud: ITERUM, quid habet significantius & sequenti Pentametro commensuratius: illa volens ITERUM surgere bis cecidit, ubi *iterum de*

Pelagiana hæresi loquitur *Prosper*: iteratosque illius conatus, iteratis repressionibus propulsos utrobique testatur. 6. Habes & postremùm: GEMINÆ *ruinæ busta*, quæ, GEMINÆ *pestis* locutionem denuò reducunt. Sed hæc supereffluunt, & illa verborum mutua consonantia, sensuum cognationem aut superat, aut adæquat.

IX. Exquisitum *Cyrilli* Alex. pro Epitaphii *Prosperi* veritate, contra P. *Garnerium* testimonium.

Quæ sané omnia si magis examinasset ipse *Garnerius*, prospexisset illicò Epitaphii autorem etsi, ut putat, ab Historiæ fide recedentem, ad *Prosperum* tamen ita accessisse, ut ipsum exscripserit, unde & illum agnoscendi major etiam suppetebat illi facultas. Quòd si porrò Viri docti judicium magis juvaret expendere, non tam fortè, quàm sibi ipse persuasit veram abdicavit Historiam in Epigrammate *Prosper*. Siquidem vel „ ipsomet teste *Garnerio*, cùm *Nestoriana* hæresis docuisset Do- „ minum Jesum, ut quidem videtur Poëtæ, naturæ meritis di- „ gnitatem, quâ Christus esset consecutum fuisse, P*elagiana*, „ multo post tempore, velut hinc enascens asserere ausa est sin- „ gulos homines iisdem naturæ meritis, gratiam quâ fiunt filii „ Dei accipere, Quæ cum assertio invalesceret, *Nestoriana* hæresis „ penè annis confecta, atque emortua cœpit inde reviviscere, „ atque ita error qui à capite Christo in membra, id est in ho- „ mines defluxerat, à membris postmodum ad caput quasi re- „ diit, quod canit Epitaphii scriptor: sed audiendus ille est. Hactenus *M. Mercatoris* illustrator, qui multa in his peccasse Poëtam inde pergit ostendere. At hæc ipsa ejusdem affectata interpretatio vadem etiam habet ac suffragatorem, & illum quidem omni laude majorem, magnum nempè *Cyrillum* Alexand. qui cùm *Nestorianæ* hæreseos præcipuus debellator fuerit, P*elagianamque*, seu *Celestianam* itidem perdomuerit, ac suffocarit, utriusque erroris interna, connexionemque ac originem penitiùs novit, quam ut ejus ulli testimonium leve, vel exaggeratum videri posset. Illud autem tam insigne exhibet nobis P*hotius* Cod. 54. suæ Bibliothecæ, ubi refert: *exemplar Actorum ab Occidentis Episcopis adversùs* Nestoriana *dogmata*, Pelagiana enim cum istis, ut videtur, satis confundit P*hotius*, vel ipsa potiùs Actorum exemplar; namque sic præferre testatur librum.

Hic liber refert, inquit Photius, *eandem esse* Nestorianam & Celestianam, *hæresin*, *testemque laudat* Cyrillum *Alexandrinum Antistitem*, *ad* Theodosium *Imp.* Nestorianam & Celestianam *hæreses* CONSPIRARE *scribentem. Planum id est, inquit*, Cy-

rillus, Celestiani *enim de corpore seu membris* Christi, *hoc est, de Ecclesia pestilenter ista jactant: non Deum ipsum, id est Spiritum S. fidem ipsis omniaque ad vitam pietatem, & salutem necessaria privatim dividere unicuique prout velit, sed constitutam hominis naturam (quæ per transpositionem & peccatum beatitudine excidit, atque à Deo separata morti tradita est) pro merito voluntatis uniuscujusque Spiritum S. & appellare & repellere.* Nestoriani *verò de ipso etiam* CORPORIS CAPITE Christo *eadem sentire* & *affirmare audent. Asserunt enim, quandoquidem nostræ naturæ particeps sit factus* Christus, *& Deus omnes homines similiter salvari velit, unumquemlibet etiam, per arbitrii sui libertatem, proprium peccatum corrigere. Quamobrem qui ex* Mariâ *est editus, non esse Verbum, sed ex ea genitum*, OB NATURALIS VOLUNTATIS DIGNITATEM HABERE VERBUM CONCOMITANS: *cùm solâ istâ nobilitate, & eadem appellatione communicet cum ratione filiationis.*

X. *Prosper* denuo pro suis sensibus pugnat ac triumphat.

Hæc M. *Cyrillus* peritissimus in paucis, utriusque morbi accessuum, excessuumque medicus, cujus adeoque pronuntiata omnes Epitaphii sensus mirè deinceps illustrabunt, atque suffulcient; ubi inter plura splendidè coeuntia, hæc fortè magis intermicabunt: *Nestoriani de ipso etiam* CORPORIS CAPITE *Christo eadem sentire audent*: atque: DE CAPITE *ad* CORPUS *ducere opus volui.* Hæc sanè magis P*rosperum* afficiebant, quippequi *Nestorii* errorem recensens in Chronico, istud præcipuè de *Christi divinitate pro merito collata*, exaggerare sategit; cujus, ad Consulat. *Tauri, Felicisque*, hæc sunt verba, à prisco deinceps Chronologo, penes *Liberatum* Diaconum, ad verbum deprompta: *Nestorius C. P. Episc. novum Ecclesiæ molitur errorem inducere, prædicans* Christum *ex* Maria *hominem tantùm, & non Deum natum, eique Divinitatem collatam esse* PRO MERITO. *Huic impietati præcipuè* Cyrilli *repugnat autoritas.* In quibus satis perspicitur non minùs heic, quàm in Epitaphio *Aquitani* nostri oculis ac menti magis etiam obversata esse dicta *Cyrilli*, quàm ipsos Ephesinos Canones; quorum aliqui *Nestorii*, *Celestiique* dogmata conjunctim damnantes, eundem hæresibus tumulum assignabant, unde etiam magis sustinerentur Epitaphii communes utrique sensus. Nam alia, majora erant, quæ quod *ænigmati simile* viro docto videbatur, omnino dilucidant: & quorsum clarius aliunde dilucidari potuissent, quando *Prosper ipse*, ut sibi interpretationem faceret, reductus fuit? Unde & posthàc frustraneum esset *Cassiani* c. 2. lib. 5. de *Incarnatione*, aliorumque

que in hos ſenſus conſpirantes autoritates accumulare, at non ita forſan abs re erit præmonere perenne *Proſperi* jubar *Auguſtinum*, eidem in apparando sororiantibus hæreſibus ſepulchro præcurſorem extitiſſe, quando maximè c. 15. *de Prædeſt. SS.* & 24. *de don. Perſev.* fidelem edocuerat Diſcipulum arcana prædeſtinationis ipſius Prædeſtinatorum capitis Chriſti Domini, quem *ſine ullo merito præcedentis voluntatis*, ſed ſolâ Dei gratiâ ſuam adoptionem ſuſcepiſſe ſcribens, *Neſtorianam* hæreſim, ante ortum, præfocaſſe perhibetur, jamque *victam* Pelagianam, *unâ* utramque *ſententiâ letho dediſſe*. Quaſi præſagus ille fuiſſet ſuppetiarum, quas *Neſtorianis Pelagiani* ferre poſſent, aut penitius jam perſpexiſſet Vir ſagax, proclive quàm ſit, depectâ Chriſti gratia, cum *Pelagio*, cum *Neſtorio* deinceps Chriſtum ipſum è medio tollere. Tam utique conſentaneum eſt, quod de membris, id de CORPORIS CAPITE, & *de* ipſo CAPITE AD CORPUS OPUS DUCERE. Sed hæc non ad liberandam, ſed ad extollendam & illuſtrandam Poëtæ fidem ultro ſufficiunt; quin etiam neceſſe ſit cum *Garnerio*, ad hæc magis ac magis componenda, *Leporii* hæreſeos occaſionem recenſere, qui in *Pelagianis* ſenſibus, quos acriter tuebatur, *Neſtorianos* etiam ante ipſum *Neſtorium* involvens & utroſque per Foro-julienſem, ac Maſſilienſem Paroëcias, in quarum altera monachum profeſſus erat, diſſeminans, ab illarum Civitatum Epiſcopis SS. *Proculo* & *Cyllinio*, ſuam ob contumaciam, pulſus, & in Africa, quò transfretarat, ab *Auguſtino* dedoctus, eodem ſequeſtro, ſuis eſt Præſulibus, per dogmatis ejurationem, reconciliatus. De quibus plura in noſtra Eccleſiæ Forojul. Hiſtoriâ, expendenda erunt.

Carmen *de Ingratis* nunc cenſendum venit, nobile quidem, magnis ſententiis, magnis ſenſibus, magnificis denique verbis & locutionibus coaleſcens, & in quo unicè collineat Poëta, ut detecto *Pelagianorum* errore, *Maſſilienſibus* oſtendat ſe eorum veſtigia euſque premere, ut vix alii, quàm occulti *Pelagiani* cenſeri debeant. Hoc porrò Poëma omnium ſplendidius, prolixiuſque quæ *Proſper* edidit, ſemper pro ejus genuino partû cognitum celebratumque meritò fuit, non enim ibi alia, aliiſque verbis & elocutionibus canit, quàm quæ in reliquis ejus dogmaticis tractatibus exaggerantur. Ut ſatis ſuperque in tribus Diſſertationibus, quâlibet datâ occaſione, demonſtravimus. XI. Carmen *de Ingratis* mille verſuum.

Epigrammata porro ſeptem & nonaginta, quorum argumentum, ex his quas ipſe ſelegerat *Auguſtini* ſententiis, unicuique præ- XII. Epigrammata 97.

ponit, vel ex eo, *Prosperi* esse judicarentur: sed in tota illorum serie, ita Gratiæ divinæ dogmatibus, aut explicandis, aut defendendis intentus est *Noster*, adeoque pristinis conceptibus retractandis assuefactus, ut ex omnibus operæ lineis se se proderet inter millenos internoscendum, etsi omnes usquequaque Mss. Codices, omnes editiones, & ætates talem non præferrent.

XIII. Cum aliis duobus contra obtrectatorem *S. Augustini.*

Non aliud profectò ferendum judicium, de duobus, quæ supersunt *Prosperianis* Epigrammatis, *in Augustini obtrectatorem* aculeatè elucubratis; tam & illa pari autoritate *Aquitano* asserta eundem reducunt, atque reclamant. Sic enim habet primum.

Contra Augustinum narratur serpere QUIDAM
Scriptor, quem dudum livor adussit edax,
Qui caput obscuris contectum utcumque cavernis
Tollere humo miserum perpulit anguiculum.
Aut hunc fruge sua æquorei pavere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.
Quæ concepta fovet promat, quæ parturit edat:
Seu vetere armatur dogmate, sive novo.
In quoscumque sinus spirarum torqueat orbes,
Et fallax multâ contegat arte caput;
Currentem attritos super aspidas & basiliscos,
Declinare senem vipera non poterit.

XIV. Ecquis ille sit, qui carpitur obtrectator, inquiritur?

At aliquem, vel ex istis, sentio jam studio, solicitudineque teneri amplius investigandi, ecquis ille sit *Augustini* ignotus hucusque obtrectator, qui in tantum Doctorem etiam scribere meditatus erat? Et hæc me quoque tenuit cupido & ad aliquam, fateor, inquisitionem nuper me perpulit, sed cujus explorationem in arcanis reposueram, suo etiam tempore, reserandam. Verùm enim uerò ad illud qualecumque sciendum & expendendum perinde major forsan aderit stimulus; propterea-que quia nondum manum de tabula tollere contigit, rem exponere juvat, eâ imprimis mente, ut alibi destinata, ad Eruditorum judicii normam, aut stare pergat, aut omnino dispungatur.

Siquidem *à Secretis* meis *Lirinensibus* sacratissimis promendum mihi nunc secretum est, & ex novello plantario, in quo ordinando & illustrando totus penè sum, præcox fructus est decerpendus, cui adeoque aliquid succi, suavitatis, nec non

frondium, quibus alibi condietur & adornabitur, heic deesse necesse erit; quia hùc alioquin reducendæ essent nimiæ laboris nostri partes, quod tam prolixum, quàm ab instituto alienum foret. Ut itaque rem breviùs expediam, in hac mea Diatriba, quæ de *Secretis Lirinensium* inscribitur, quæque certè latebras illas ignotas hactenus & penè inaccessas, magnâ totius professionis Monasticæ, sed præsertim Lirinensis accessione, primùm prodet: quia inter maximos illos Ascetas & Archimandritas, qui Secreta nostra penetrarunt, è præcipuis censeri jure debet *Vincentius*, Lirinensis dictus, Commonitorio, quod adversùs Hæreses elucubravit, celebratissimus, de eo inter plura hæc etiam tria assumimus fusiùs probanda.

Secreta Lirinensia ex aliquo immaturè prodita.

1. Quòd *Vincentius* è Monasterio Lirinensi in hæc * Montis Capo-fulvi Secreta magno religionis & anachoreseos ardore secedens, in illis Commonitorii scribendi & digerendi propositum sumpserit, ibidemque operam agressus sit, quam non uno tenore, sed inter varia temporis spatia perfecerit. Quæ singula ex ipsius *Vincentii* testimonio maximè demonstrantur, quippe cujus sub initium libri, hæc est assertio: *locus autem, quòd Urbium frequentiam turbasque vitantes remotioris villulæ, & in eo secretum Monasterii incolamus habitaculum, ubi absque magna distractione fieri possit illud quod canitur in Psalmo:* vacate & videte quoniam ego sum Deus. *Sed & propositi nostri ratio in id convenit*, &c. Et antea immediatè: *videtur mihi minimo omnium servorum Dei* PEREGRINO, *quòd res non minimæ utilitatis, Domino adjuvante, futura sit, si ea quæ fideliter à Sanctis Patribus accepi literis comprehendam, infirmitati certè propriæ pernecessaria, quippe cùm adsit in promptû, unde imbecillitas memoriæ meæ assiduâ lectione reparetur. Ad quod me negotium non solùm fructus operis, sed etiam consideratio temporis & opportunitas loci adhortatur*, &c.. Ex quibus sanè tum Lirini non degisse *Vincentium* primò subodoratus est vir sagax *H. Norisius*, sed hunc secessum ignorans *Peregrinum* nostrum, ad Villulam Massiliensem, ex probabilioribus, quas tum habuit, conjecturis amandavit. Quæ omnia pluribus excutimus, ac elucidamus.

XV. *Vincentius* Lirin. in hoc Forojulien. territorii secessu Commonitorium scripsit.

* *Cap-roux* Promontorium oræ Forojul Maritimæ, è regione Lirini.

2. Ex multis istius tractatus argumentis colligimus insuper *Vincentium* his adnumerandum esse presbyteris, qui in ora nostra maritima, & in Dioëcesi Forojuliensi præcipuè, in qua erat, *Augustini* doctrinam coram impugnabant: adeoque & *Vincentianas* objectiones vel ex ejusdem *Vincentii*, aut assecelarum officina prodiisse, cum eruditis plerisque censemus,

XVII. Idem objectionum *Vincentianarum* autor.

tanquam duriora consectaria, quæ ex *Augustini* postremis libris, ac *Prosperianis* principiis erui credebantur. Cùmque illud ipsum jam manifestasset ipse *Prosper* ad *Augustinum* scribens, hominesque *meritis atque honoribus claros*, seu qui *meritis antecellunt & reverentiam autoritate, dignitateque* sibi *præsumunt*, his opinionibus ut plurimum abductos testetur, nos per istas, ut non putavimus, probavimusque ullum uspiam eorum sanctitati fieri præjudicium, ita nec *Vincentii* gloriæ, sanctæque memoriæ splendori quidquam decedere contendimus, si, quod alii periti rerum æstimatores censent, objectiones illas *Vincentianas*, suo, aut sociorum nomine, emisit; ut haud dubié *Prosperum* ad responsionem stimularet, quâ tandem ejus mentem doctrinamque penitiùs nosset. Unde nec interesse similiter arbitrati sumus, si *Aquitanus* dolum in eis, vel malignitatem suspicatus eos paullò durius exceperit; cùm ita quandoque *Cassianum* ipsum nominatim impetat & lacessat, aliosque *Semipelagianos*, inter disputationum conflictus, similibus probris afficiat.

XVI. In Commonitorio contra hæreses, etiam *Aug.* doctrinam perstringere affectasse de novo perhibetur.

3. Quod superest, opus istud aureum licet, & nunquam satis pro dignitate commendandum eo etiam fine intentum, ut *Augustini* doctrinam in suspicionem traheret, jam maximè penes Eruditos invaluisse penè persuadeor. Et quidem quas in hanc sententiam (*Vossio* etiam anteambulone, veritas enim nec factionis, nec erroris uspiam est) protulere rationes, ac conjecturas Viri doctiss. *Hen. Norisius* Hist. Pelag. c. 11. lib. 2. nec non *Nat. Alexander.* Hist. Eccles. tom. 10. c. 3. art. 7. §. 7. graviores, clarioresque sunt, quàm ut ullius ex aliis non præoccupati consensum non eliciant. Unde nec est, cur in istis adstruendis magis laborem, nisi eorum eruditas heic disquisitiones assuere vellem; sed longè conducibilius reputo collectum, post messem, spicilegium istorum manipulis illigare. Rem paucis ecce: cùm notum compertumque sit, vel ex his quæ superiùs adduximus *Augustini* c. 3. & 4. lib. *de Prædest.* SS. testimoniis S. Antistitem in variis editis, initio conversionis, tractatibus, *Massiliensium* sententiam, circa fidei & bonæ voluntatis initia, disertè tradidisse, istosque *Nostros*, his anterioribus libris, veluti clypeo incunctanter utentes, & quâlibet occasione *Augustini* discipulis ex adverso stantibus reponentes, se in istis, nonnisi eorum ducis ac Magistri ructare verba; ut erat *Augustinianæ* doctrinæ defensorum valida exceptio, S. Doctoris scientiam *incrementorum profectibus* eò pervenisse, ut agnosceret castigaretque se-

nex, quæ juvenis ignoraverat, ac minùs peritè ſcripſerat: ita alii ex altero reclamabant anteriora *Auguſtini* ſcripta ideo etiam magis aliis quibuſque probanda, quòd illis ſuffragaretur *Antiquitas*, poſteriora autem nonniſi *novitate* niti poſſent. At vehementiùs inſtabat, omnium *ſanctorum & eruditorum fratrum* nomine, *Proſper* in reſponſis ad *Genuenſium dubia*, ſuper his maximè propoſita, aïens: *quia nec juſta nec rationabilis intelligitur eorum eſſe perſuaſio, qui hujus Viri ſcientiam tot* INCREMENTORUM PROFECTIBUS *ædificatam, ad adoleſcentiæ rudimenta revocabant, ut magis ſuffragaretur hæreticis, quod inter initia converſionis ſuæ imperitè ſenſerat; quàm prodeſſet Catholicis, quod Pontificali diligentiæ Veritas revelarat: meritò* ILLOS *hoc* PRÆJUDICIO *utentes & in his, quæ dudum abdicata *fuerant, immorantes pii, Doctoris gravitas notat, quod qui curaverunt omnes ſenſus ipſius indagare, noluerunt cum ejus eruditione* PROFICERE. Hoc invictum profectò argumentum eſt, quod ex ipſis *Auguſtini* effatis recudit *Proſper*, in adverſarios retorquendum; & quidem jam alibi vidimus quorſum iſti & quàm inaniter ejus vim eludere pertentarint, ſub finem libri contra *Collatorem*: unde nil mirum ſi hâc perpetui arietis illiſione pulſati, ab eo ſe tutari aliis tandem viis anniſi ſint. Hoc Valentiſſimi pugilis *Vincentii* partibus concedere tandem neceſſe erat experimentum, utque hunc jam egregiè demonſtrarunt laudati Viri docti, ſuas in fortunas accerſere contendiſſe *Celeſtini* contra Lirinenſes, ac Maſſilienſes, pro *Auguſtini* doctrinæ commendatione, elicitas à *Proſpero* literas, ita nunc videre par eſt, quâ exquiſitâ induſtriâ, jaculum aliò contorſerit. Poſtquam itaque auream illam ſententiam, ſub finem Commonitorii, ad *Timotheum* perſcripſit: *eadem tamen quæ didiciſti doce, ut cum dicas novè, non dicas nova*, ſic tandem *Auguſtini* Diſcipulorum objectionem ingenioſè proponit ac reſolvit.

* Legeſis proëm Capitulor. Diſſert. I.

Sed forſitan dicet ALIQUIS: *nullus ne ergo in Eccleſia Chriſti* PROFECTUS *habebitur religionis? Habeatur planè & maximus. Nam quis ille eſt tam* [1] INVIDUS *hominibus, tam exoſus Deo, qui id prohibere conetur: ſed tamen ut verè* PROFECTUS *ſit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad* [2] PROFECTUM *pertinet, ut in ſemetipſum unaquæque res amplificetur, ad permutationem verò, ut aliquid ex alio in aliud tranſvertatur. Creſcat igitur oportet; & multum vehementerque* PROFICIAT, *tam ſingulorum, quàm omnium, tam* [3] UNIUS HOMINIS, *quàm totius Eccleſiæ ætatum ac ſæculorum gradibus, intelligentia,* SCIENTIA, *ſapientia; ſed in*

1. Invidiæ quippe poſtulabantur Maſſilien.

2. En profectus exceptio ingenioſè propulſa?

3. Satis ille indicatur, cum cujus *eruditione nolebant proficere.*

4. Nam grave erat ex integro sententiam abdicasse *Augustinum*.

suo duntaxat genere, *in* [4] EODEM *scilicet dogmate*, EODEM *sensu*, EADEMQUE *sententia*, &c. Hæc *Vincentius*, cujus alia priora, ac posteriora à Viris jam laudatis animadversa, si in postremos *Augustini* libros torta sunt, ista similiter in illos & illorum defensores retorta nemo negare poterit: quæque deinceps Autor eo summo artificio commentari pergit, ut arcani consciis tantò magis videatur in S. *Hipponensis* Præsulis placita latenter invehi, quantò in alias omnes hæreses studiosiùs insurgere primâ fronte perspicitur. Et tamen quæ sic bona fide & sincero fidei Religionisque zelo viriliter executus fuit, tam copiosâ, & ad Evangelicam ubertatem confertâ mensurâ cumulavit, *qui dat omnibus affluenter & non improperat*, ut in his præcipuè ejus promissi veritatem ac certitudinem splendidè demonstrare visus fuerit esse solicitus, quo *lucernam corporis* nostri *oculum* nostrum, & ex *oculo simplici totum corpus lucidum* fore declaravit: nam *Peregrini*, seu Commonitorii sententiæ, quæ ingeniosiùs quandoque in ipsam *Augustini* doctrinam, quàm in alias quasque hæreticorum artes atque versutias vibratæ perhibentur, quantò minùs in ipsam prævaluerunt, tantò efficaciùs in alias seu exortas, seu in futurum exorituras hæreses, ac sectas quaslibet, Altissimi prædicanda conversione, potentia facta sunt, ut inter præcipua quæ adversùs errores, ac schismata penes Ecclesiam deposuerunt Antiqui PP. documenta, nullum illa præ Commonitorio frequentiùs adhibuerit, quòd semper experta sit & eo validiùs impugnari rebelles, ac feliciùs vinci. Ergò tantum abest ut ex his nubeculis debeat splendidissimus iste liber ullo sui decore, vel existimatione decedere, quòd è contra ad ejus pristinam famam accedere conveniat; scilicet *boni ingenii*, *divitisque facundiæ* fluentis paullulùm amaris supernam illam virtutem instillasse supremum Numen, quâ *dulces* in perpetuum evaderent, & veri sitientibus *fontes aquæ fierent in vitam æternam salientes*.

Quàm feliciter *Vincentio* verterit sincerum Religionis studium, & simplex in concertationib. oculus?

XVIII. Epigramma *Vincentium* ipsum designare ex multis inducitur.

His igitur ibidem pensiculatiùs explicatis ac expensis, probabilissimum ad minus ostendisse jam suasi sumus, epigrammatis istius versus ad *Vincentium* indigitandum scriptos fuisse, cùm illum in Capo-fulva Eremo degentem Commonitorio apparando dudum incumbere rumor fuit. Opinationis autem istius momenta & argumenta graviora hæc nobis habita sunt. 1. Quia cùm Commonitorii istius scopus, singulaque capita eò unicè collineent, ut VETUSTAS supra NOVITATEM extollatur, atque omnis generis autoritatibus & exemplis hanc

isti semper præpolluisse *Peregrinus* iste demonstret, pressiùs & connaturalius scriptionis istius non poterat, meo judicio, delineari character, quàm hoc Disticho: *Quæ concepta fovet promat, quæ parturit edat, seu* VETERE *armatur dogmate, sive* NOVO. Quæ congruenter omnino ad hanc *vetustatis* & *novitatis* oppositionem alludunt. Namque & hâc epigraphe, libri sui frontem ornasse: *Tractatus* Peregrini *pro Catholicæ fidei* ANTIQUITATE, probant tres optimæ notæ Mss. Codd. Bibliothecæ Regiæ. 2. Porro carmen hexametrum hujus libri naturam variamque sortem genuinè admodum videtur exprimere, siquidem non ignorant, qui illius fortunam meliùs norunt, à Commonitorii conceptû, ad partum, multùm temporis intercessisse, in primisque reservasse sibi autorem emendare *& implere quotidie, quæ recolendo didicerat*, tum, *Gennadio* teste, *secundi libri maximam in schedulis partem à quibusdam furatam*, Vincentio perditam, abbreviatam & in unum librum deinceps compactam tandem prodiisse. Quas inter moras sic urgere poterat adversarium Prosper: *Quæ concepta fovet promat, quæ parturit edat*, &c. His ergò ultro designatus est liber, ejusque fortunæ respectæ 3. Hæc nunc Autoris personam viderentur propiùs attingere: *Qui caput obscuris contectum utcumque cavernis*, &c. Quæ quidem apprimè congruunt Cucullato inter cavernosas rupes *Secretorum Lirinensium* tum posito: heic enim eas describendi nec locus, nec tempus permittunt. Iste, inquam, conceptus Scriptoris domicilium apprimè determinaret, siquidem anguem, seu *anguiculum* cum ipsomet obtrectatore confundi posse tam certum esset, quàm dubium saltem videri debet. A quo licet scrupulo nos eximant nuperi Epigrammatum nterpretes Gallici, rem omnino ad Autorem ipsum trahentes; quòd rectè ex sequentibus induci potest, ubi allegoria circa ipsum versatur semper, ac redit obtrectatorem, his tamen adeo non instabimus, ac istis, quæ 4. hoc adumbrat graphicè Distichum:

In quoscumque sinus spirarum torqueat orbes,
Et fallax multâ contegat arte caput.

Nec versus, inquam, isti nuncupatum à *Peregrino* Commonitorii titulum minùs sincerè adumbrant: scilicet, ut quemadmodum, *Peregrinus* sæpissimè mutatâ veste, regiones longinquas peragrat, sic liber suppresso autoris nomine, vel *multâ*, ut ait, *arte contecto*, in varias mundi partes transmitteretur. Sunt & alia

XIX. Epigramma non exhibet acerbiora contra *Vincentium*, illis, quæ interdum Sancti in Sanctos scripserunt.

pleraque in Disquisitione nostra Lirinensi, quæ his lucem & autoritatem, ut jam monuimus, conferunt, sed quæ huc referre non conducit.

At quorsum opus (nunc reponet nonnemo) tantùm in hoc dilucidando themate laborasse, à cujus ulteriori indagine consultius haud dubiè foret abstinuisse, vel in ejus heic perstricti Scriptoris reverentiam, quem totus laudat, suscipitque, quaquà patet Christianus Orbis? Sanè etsi non sunt hæc duriora iis convitia, quibus quandoque Catholici, sanctique Viri, in exurgentibus pro tempore controversiis, & difficultatibus capitalibus, Ecclesiæ autoritate nondum definitis, pro vehementi Fidei aut Disciplinæ, quo flammabantur, studio, se invicem, intentione tamen semper rectâ, vellicarunt ac pupugerunt; quorumque patula qui ignoraret exempla, ἀνίπτοις, ut aïunt, χερσὶν Historiam attingeret: non essent alia ad hunc dimovendum scrupulum retractanda, quàm quæ in ipsis rebus nostris, inter ipsissimos Sanctos nostros contigisse jam meminimus. Si etenim seriò perpendantur hæc, & ad ista conferantur, ex hâc licet longiùs protractâ hujus epigrammatis discussione, nihil durius *Vincentio* dictum à Poëta patebit, quàm quod ab eodem Oratore elapsum esse in præfatione ad objectiones *Vincentianas* toties advertimus: de *ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosis mendaciis*, &c. Imò & in his proprio nomine simile vero est designatum fuisse cum suis *Vincentium*, qui in epigrammate, sub *Anonymi* persona perstrictus fuit.

XX. Quâ rectâ intentione tentatus hic labor.

Quæ quidem etsi facto, non excusationem modò, sed autoritatem conferrent, his tamen eo præcipuè inhæsisse consilio nunc aperire ducam, ut scilicet nullâ novâ inductâ in *Vincentium* labis suspicione, veterem, si quæ erat, magis detergere tentarem. Quod si ex mox subjiciendâ disquisitione utcumque consequerer, rectiùs judicaretur tanti interfuisse priorem etsi paullò duriora statuentem solidasse, cui posterior omnino gloriosior innititur: quanti sæpè refert profundiorem vulneri incisionem admovere, ut pleniùs obducatur cicatrix. Etenim cùm *Prosper* altero epigrammate ingeniosè suo more ludens eundem hostem *Augustinianæ* doctrinæ carpere perrexerit, appareatque, ex immixtis Poësi salibus, *Obtrectatorem*, alio libro, *Augustini* themata convellere destinasse, certum est aliquod ex hoc illius proposito argumentum colligi posse, unde laudandus veniat *Vincentius*; siquidem cum primo epigrammate designare

signare voluit *Prosper*, ut satis ostendimus, sed ille secundò audiendus est. Sic itaque in eundem.

Quidam *doctiloqui libros senis Augustini*
Carpere, & adversum condere fertur opus.
Usque adeo ne bonum ingenium & facundia dives
Ostentare artem non aliter potuit!
In nova prostratas acies nisi bella cieret
Impiaque extinctis hostibus arma daret?
Hæc pugna incentor! mors est tua, te stylus iste
Conficit, & verbis perderis ipse tuis.
Dumque doces quantùm valeat mens libera, monstras
Velle tuum tibimet sufficere, ut pereas.
Verte gradum, fuge perniciem, stratosque rebelles
Oris Apostolici fulmine ubique vide.
Nec te mutato defendi nomine credas;
Si pastorem ovium lædere vis, lupus es.

Ut heic porrò ex * epigraphe, contextuque carminis unus & idem suggillari autor advertitur, ita & eo planum est operam à priori diversam contra *Augustinum* emittendam indicari. Namque *Commonitorium* genuinè, præter jam notata, exprimitur, per *serpentis* cujusdam *Scriptoris* lucubrationem, quæ nonnisi per cuniculos *Augustinum* impetebat. Istheic autem signatur alterius operis apparatus, in quo *extinctis hostibus arma danda* erant: & posterioribus Gratiæ Doctoris libris responsio paranda jactabatur, quod satis innuunt duo priora carmina, ubi *Augustini senis libros carpere, & adversum opus condere* Anonymus scriptor traditur: confirmantque hæc intermedia: *dumque doces, quantùm valeat mens libera*, &c. Ita satis exploratum est *Commonitorii* autorem ultimos *Augustini* libros, adversâ responsione, confutare meditatum esse; nomine itidem suppresso, vel *mutato*, ut ait S. Vates, per alterius scilicet assumptionem & rursus forsan, *Peregrini*, aut aliûsvis similis. Unde & tam abrupto perculsus iste proposito, quasi ab eo amicè dimovere studuerit artificem, antea exclamarat: *usque adeo ne bonum ingenium & facundia dives, ostentare artem non aliter potuit?* insinuans nimirum Autorem sic in transversum abire parantem, longè felicioribus viis, ac genii nobilitati magis respondentibus, peritiæ suæ documenta proferre potuisse, quàm adeo ignobilis operæ fæturâ; quæ apprimè omnino in *Vincentium* collineant, conveniuntque his qui-

* *Item in* EUNDEM. Ita omnes tam editi Codd. quàm Mss.

bus initio lib. cont. Collator. suaviter *Cassianum* affatur. At porrò cùm iste ipse usquequaque non appareat liber, nullisque etiam repositionis vestigiis uspiam apparuisse liqueat, recto judicio quisque prudens inducet, non *boni ingenii, divitisque facundiæ*, quâ præcelluisse jure notatur scriptor, exortâ derepente jacturâ, conceptum opus ad parturitionem usque produci non potuisse; quin censebit potiùs *Vincentium* inter scribendum, & orandum, aut veritate penitus perspectâ, aut certiore redditâ, aut *Augustinianæ* doctrinæ commendatione Apostolicâ meliùs intellectâ, aut alio tandem quolibet religioso affectû, ad stylum cohibendum, vel partum suffocandum adductum fuisse. Nec aliis prorsus contineri potuisset *Vincentii* studiosissimus fervor obicibus, qui secùs pristinis sensibus adhuc inhærens, nullâ morâ interpositâ, libros suos in Ecclesiæ tutelam & *minùs intelligentium*, ut jactabatur, gratiam emittere religiosissimum & acceptissimum Deo libamen reputasset. Quòd si semel publici facti essent, quorsum illi ab avidissimis *Massiliensibus* non suscipi? quorsum non jactari? Quorsum denique à *Gennadio* partium illarum, suprà quàm dici potest, studioso, coætaneo, conterraneo & exploratore, quâvis *Peregrini*, vel aliâ larvâ contecti illi fuissent, non internosci, non recenseri potuissent?

Res tota tandem concedit in laudem *Vincentii*.

XXI. Quibus tandem viis facilè dedoceri potuit *Vincentius*?

Sanè qui hæc præjudiciis non occupatus otiosè perpendet, non difficulter forsan in hanc nostram propendebit sententiam: longèque probabilius existimabit *Vincentium* meliori viâ, quam solicitis & assiduis orationibus propositi semper tenax à *Patre luminum* efflagitabat, cognitâ tandem atque repertâ, in eam deinceps abiisse, quàm in aliâ semper & invariabiliter substitisse. Et secessus illius quidem tam pius perseveransque incolatus, quo Christianæ humilitatis sacrificio Deum placare satagebat, hæc erat ipsamet via, quâ S. *Augustinus* profundissimorum divinæ gratiæ, ac prædestinationis mysteriorum intelligentiam reserari, toties in suis libris præmonere curaverat & inculcare: ut credere par adeoque sit *Vincentium* S. Doctoris consilium sincerè capessentem, aut voti plenè damnatum, aut promissâ mercedis spe vacuum omnino non abiisse. Etsi aliunde tanti viri animo commovendo, retrahendoque pares non extitissent Sodalium suasiones, quorum aliquos, teste *Prosperi* ad *Augustinum* epistolâ, ejus definitiones improbare non ausos esse, aut silentium super his servandum censuisse fusiùs alibi advertimus. Quibus quidem exemplis eò magis posthac incitari potuit *Vincentius*, quò & illos magnâ famæ sanctitatisque laude, eidem in his Ca-

p fulv montis Secretis convixisse demonstrabimus. Sanè illud pro explorato saltem haberi debet, quòd scilicet sive in istas latebras penetrarit errans, erroque *Julianus* ille, seu in contiguam Lirinensem Insulam appulsus sit, ut ex S. *Fulgentio* & aliis probatis monimentis se demonstraturum pollicitus erat testis omni fide dignus, *Hieron. Vignerius* Orat. Gallicani Presbyter, dum præfaretur in tom. 2. Suppl. S. *Augustini*; id, inquam, certum est versipellem *Pelagianum*, sibilis suis atque præstigiis, *Vincentium* nostrum (quod de aliis conjicitur) haud dementasse. Quandoquidem & ipsemet in commonitorii fine miserum *Julianum* ita solenniter execratus est; ait enim: *cujus rei inquit, mandata*, si quis ignorat ignorabitur, *id est, qui aut nescita non discit, aut scita contemnit*, ignorabitur, *hoc est indignus habebitur, qui inter unitos fide, & exæquatos humilitate divinitus respiciatur. Quo malo nescio an quidquam acerbiùs cogitari queat. Quod tamen juxta Apostolicam comminationem Pelagiano illi provenisse cernimus* JULIANO, *qui se Collegarum sensui, aut* INCORPORARE *neglexit, aut* EXCORPORARE *præsumpsit.*

Julianus ad Forojuliens. plagam aliquando transfretavit.

XXII. *Quàm à Juliano fuerit alienus Vincentius, ac excorporatus?*

Hæc *Vincentius*: quæ cùm suomet calculo, tribus fermè post Ephesinam synodum annis elapsis, hoc est ineunte anno 434. vulgarit, & in ipso deinceps integra servata sint *Commonitorio*, invictum argumentum est nullam cum *Juliano* posthàc partem habuisse *Nostrum* istum, quando abinde suam ob contumaciam undique exulans in Forojuliensem regionem transcucurrit: quem ex tunc enim *indignum divinitus respici*, *maloque* omnium *acerbissimo* perculsum sic Orbi Christiano de novo noscendum dederat Lirinensis, quorsum deinceps suscepisset, vel *ave* eidem *dixisset*? nisi juxta Apostolicam sententiam *excorporatum* hominem, ille contra eandem præceptionem suo *incorporare* consortio maluisset. Quod ab apertis ejus sensibus eo usque alienum, non mediocre, meo judicio, ad ejus commendandam in futurum modestiam, ac bonam fidem, argumentum præbet. Atque adeo vel ex his, omnis debet ablegari suspicio, ne fuerit *Vincentius*, ex eorum numero *nobilium*, *præcipuèque Religiosorum*, quos *specie miserationis illiciens* Julianus *hæresi suæ* ullâ ex parte sociaverit, ut de isto narrat *Gennadius* in catal. c. 45. Non desunt quidem, qui ex tunc nequiori isto tum afflatum spiritû Lirinensem Abbatem *Faustum* existiment, quanquam & ab istius sensibus procul iste fuerit, & totum doctrinæ virus ex *Cassiani* consuetudine, viciniaque deprompsisse probabilius sit. Sed hæc aliaque istiusmodi æquiùs, ac prolixiùs in Secretis

ipsis explorandi se dabit occasio, ubi etiam alia quædam, quæ ex laudato *Vincentii* Commonitorio in adversum omnino scriptori sensum detorquet quidam Eruditus, eluere non morabimur: unde magis ac magis à *Pelagianis* sensibus in hoc retractus & ab inusta injuria purgatus apparebit Lirinensis noster.

XXIII. Consilium in his nostrum.

Atque in istis, similibusque, vel satis fundatis, vel probabiliter fundandis operam diligenter locabimus, ut heic, ex data occasione *Vincentii* fortunam investigandi, conducibilius censuimus ea in antecessum pro ejus defensione suscipere, quæ ex probatis momentis autoritatem sibi prærogare possent: alia verò quæ perspecta erant, etiam si perspectiora reddere studuerimus, ex iis tamen aliquid erui curatum fuit, quod in summam ejus gloriam converteretur. Idque in omnem partem congruentius & omnibus acceptabilius reputavimus, quàm si, contra virorum Eruditorum sententiam, ipsamque fidem nostram, Magnum illum *Vincentium*, à *Massiliensium* colluvione semper retractum moliti essemus in cassum repræsentare: quæ non minùs illum, quàm alios sublimes viros, huic per omnia similes, absque ullo nominis aut sanctitatis decremento, suis aliquando fluctibus tenuit immersos. Quosque adeo qui inopportunis officiis inde revehere tentarunt, ut frustraneam eorum operam extitisse satis huc usque compertum, ita & ex istorum inani labore doceri alios sperandum, ut æmulentur meliora, veterisque memores Parœmiæ: ne *aërem diverberent*, aut *quid nimium* affectare præsumant.

Namque quominùs similia in his disquisitionibus jure nobis imputari posse vereamur, facit, quòd nova saltem ad aggredienda pericula propulsi, eo nos etiam animo comparatos sciamus, ac velimus, ut in quæcumque id generis argumenta penetravimus, eadem ad priorem Eruditorum adversantem definitionem abdicemus. Unde etsi nos interdum commoverint, pavidosque etiam tenuerint viarum vel salebrosa, vel incerta, opportunè tranquillavit, animosque addidit, celebre appositumque in his rerum circunstantiis *Augustini* lib. *de Mendac. ad Cosent.* c. 1. effatum, quo ait: *nunquam errari tutiùs existimo, quàm cum in amore nimio veritatis & rejectione nimia falsitatis erratur. Qui enim severè reprehendunt, hoc nimium dicunt esse; ipsa autem veritas fortasse adhuc dicit:* NONDUM EST SATIS. Et in his tamen in præsentiarum *est satis*, nec plura rimamur, nec cum aliis ulteriùs confligimus, etsi ad aliud certamen non modò ostium aperiat, sed omnino provocet novissima in quam incidimus

P. *Seraphini Picciniardi* O. P. ex Metaphysico, Patavini Theologi Dissertatio * *de opere Prædestinati*, in qua omnia pene, quæ res à *Prospero* gestas vel scriptas tangunt, susdeque vertere, Virosque eximios tam fato functos, quàm superstites, imò & alios sanctitate præstantes, sine causa, sine momentis criminari licet deprehensus novitius scriptor, cum his nostris colophonem imponebamus, vix tamen ulla adduxisse nobis creditus est, quæ responsionem mererentur, aut quæ istis nimiùm dilatis novas moras innecterent. Quòd si nihilominus tanti rem videri doceamur levi brachio citò excuti poterit. Huic itaque eousque supersedemus; nec alia porrò è nostris in *Prosperum* relectionibus & observationibus adducimus, his etsi non tam fatigati, quàm recreati; hoc enim proprium habent quæque sunt optima, ut fastidium non ingenerent, sed famem potiùs exacuant. Quod si uspiam, in hac S. Doctoris operum versura, præter spem etiam, feliciter experti sumus, cujus utique orationis membrum, vel verbum, aut particulam, aliudque nescio quid simile, quod legisse memineramus, subjectis oculo tractatibus *Anonymis* respondens ut venaremur, omnium rursus *Prosperianorum* operum lectionem iterandi licet necessitas institerit, nunquam tamen majus non fuit, quàm quod quærebamus, operæ morarumque pretium.

* Edita Patavi an. 1686. cum hoc titulo: *de novitio opere, quod inscribitur* PRÆDESTINATUS, *nova Quæstio Historico Theolog. post tres editos de Approbatione tomos Appendix.*

Nova congressionis vel rejectæ, vel dilatæ occasio.

Non defuerunt itaque aliæ omnis generis observationes inter lectitandum occurrentes, nec paucæ, nec vulgares; quæ quia res maximè *Prosperi*, fortunamque, aut alia quædam gravia tangunt, à nobis non alio fine fuere sepositæ, quàm ut ad privatam utilitatem nostram converterentur. Unde enim nobis quasi *toto Orbe divisis*, & omni penè ope destitutis injectus fuisset animus audendi majora, & *Religiosissimi Viri, Ecclesiæque Magistri* operum neglectam hactenus integram editionem meditandi? Imò & si tale quandoque pulsasset nos studium, illud ipsum continuò repressisset ea, quæ innata nobis erat fides, seu expectatio, fore ut Ascetæ doctissimi, celebratissimique inclyti Monasterii S. *Germani* Pratensis, qui omnes penè veteres Patres novam in lucem asserere tantâ laude & commendatione collaborant, eò magis curas suas in *Prosperum* convertere satagerent, quò jam jam in ipsum *Augustinum* eruditas illustrationes suas absolvisse proximi erant. Ordinis utique rem esse cum aliis judicando, si ab *Augustino* delaberentur ad *Prosperum*. Nam ut in hoc priori absolutissimo opere omnem anteriorum industriam facilè superarunt, ita omnem omnium qui secuturi

erant diligentiam præversum ire nobis reputabantur; si quod in Magistro *ineffabiliter mirabili & incomparabiliter honorando*, hoc in fidelissimo Discipulo *Viro Religiosissimo & Ecclesiæ* pariter *Magistro* cohærenter rependissent. Sed aliter omnino cogitarunt Viri optimi, qui, valentissimorum haud dubiè pugilum instar, quæque majora ac difficiliora aggredi soliti, ut aliis planiora permittant, *Prosperum* ipsum minori impendio emaculandum in medio reliquerunt, ut in antiquiorum P. P. operosiores operas studia moverent.

XXIV. Novæ & integræ omnium operum *Prosperi* editionis susceptum propositum:

Hæc profectò ex quo tam privatis quorundam literis, quàm ipsorummet nobilium Scriptorum testimoniis, vivâ voce posthac exceptis, rescivimus, etsi gratior esse cœpit jam impensus labor, non tamen eum publicum facere ante cogitavimus, quàm nobis ad illum aggrediendum & consilia iterata suggessissent, & opem huic operæ absolvendæ parem ultrò polliciti essent Viri optimi, quibus innatum de Republica literaria benè mereri. At tantos post vades ac impulsores, creverunt, non diffitemur, animi: & quem sanè non commoverent Eminentissimi Principis *Hieronymi* S. R. E. Cardinalis *Casanate* humanissimæ frequentesque Literæ, quibus tam è Vaticana, quàm è sua percelebri Bibliotheca, aliisque Romanæ Urbis, omnium Mss. *Prosperi* codd. *Lectiones variantes*, quamprimùm rescribit transmittendas? cujus & beneficii nobile jam specimen in restitutione loci percelebris c. 34. lib. 2. *de Vocat.* suppeditasse Dissert. ❧ præmonuimus. Ad quæ etiam operam suam commodare ultro spondet alter consilii autor, ac incentor, Necessarius noster D. *Claud. Stephanotius* Sangermanensis familiæ Alumnus, qui Gallicanæ *Benedictinorum S. Mauri* Congregationis generalis Procuratoris Romæ partes exequens, inter eas res quas curat, Literarias in quibus apprimè versatus est, quæ suorum, ac studiosorum amicorum commodo juvaminique esse possunt, in non modicam munii sui partem advocat, & egregiè complectitur. Sed & istis etsi maximis symbolam suam conferre velle jam longùm obtestatus est ex *Mediceæ* Bibliothecæ thesauris, qui iisdem custodiendis, ac illustrandis præest D. *Ant. Megliabe-Kius*, quem qui ignorat, aut literas ipsas, aut literatorum delicias nescit. Nam in Urbe Regia officia exhibere pergent illi ipsi, quos, ex jam collatis, cum laude recensuimus.

Per quos suggestum, & mox promovendùm?

At nec in istis, nobis defuturam confidimus illorum opem, qui hanc suscipere provinciam non duxere; etsi enim penes ipsos humanitas, & *ad omnia utilis pietas*, cum eruditione cer-

tent, sintque, quod vulgo dicitur, ἀφθόνοι μυστῶν θύραι, jure etiam necessitudinis ac benevolentiæ quâ nos dignantur tam liberè utemur, aut abutemur, in illorum consiliis requirendis & auscultandis, ut ipsis denuo multùm debiturus sit *Doctoris gratiæ* Discipulus. Et tunc quidem maximè totum *Augustinum* ad splendidiorem lucem reddidisse censendi erunt, quando *Prosper* duplicis ejus spiritus, velut alterius *Eliæ Eliseus*, hæres, istorum obstetricante quandoque manu, vitalem per nos auram ex integro recipiet, cum Magistro; quem immaniter lacessitum & adversariorum impotentibus machinis, præproperisque auguriis consepeliendum, pugnis, victoriis, & triumphis insignibus in splendorem nusquam obscurandum asseruit. Nam & id amanter facilèque non in sui gratiam *Augustini* tantùm, sed & *Prosperi* præstabunt Ascetæ celebratissimi, & in omne ævum meritò concelebrandi. Quos enim (ut de nostris olim Lirinensibus prædicavit *Eucherius* Magnus, & * nobis unicus) *quos illeic Jesu bone! Sanctorum* Doctorum *cœtus*, *conventusque vidi! pretiosa in his suavi unguedine alabastra fragrant*: reliqua citra invidiæ, vel contradictionis periculum adjicere possem, nisi ipsosmet forsan offenderem contradictores, qui *humilitate* pariter *dejecti*, *pietateque mollissimi* aliorum exemplis excitari, quàm sua proferri longè antehabent. Ergò in istis ipsis eorundem veterum *Lirinensium Secretis* explicandis, erit unde novissimis illorum æmulatoribus retribuam, & ei quo, cum aliis sanctissimis Ascetis, Religiosisque viris, regularis districtionis studio flammantur, pabulum suppeditem: quod quam primùm, juvante Numine, & auspicibus SS. Tutelaribus nostris, exequi posse spero, ut aliis curis expeditus in ipsum *Prosperum* omnino regrediar.

* Secreta Lirinensia unum *Eucherium* Lugd. Ep. manifestant.

FINIS.

LUTETIÆ,
Ex Typographia Antonii Lambin, 1689.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

Auxanius

Q

P. *Quesnellus*

R

Responsa

ERRATA

QUæ hactenus deprehensa sunt, sic corrigenda. *Pag.* 21. *lin.* antepen. sincerissimæ-quæ, *lege* sincerissimæque *p.* 32. *l.* 2. perfuctorias, *l.* perfunctorias. *p.* 74. *l.* 19. post ista: & minùs accepta quidem, adde: in aliquo saltem. *p.* 82. *l.* 23. fustatim. *l.* frustratim. *p.* 102. *l.* 36. concinnat. *l.* concinat. *p.* 120. *l.* 22. post credetur, dele punct. interrog. *p.* 144. *l.* 21. qnæ transmissa est. *l.* quo. *p.* 164. *l.* 4. too, pro toto, *p.* 275. *l.* 25. nulla non. *l.* nulla nos. Item & in aliquib. exemplaribus, irrepsit operis, pro operibus. *p.* 319. *l.* 33. dele, ad diversos. *p.* 406. *l.* 24. perspcici. *l.* perspici. *p.* 409. *l.* 9. christiavam, pro christianam. Et si quæ similia in affinium literarum inversione, aut alia minutula facilè Lector supplebit, & condonabit.